EXorcizote immunde spiritus per Deum Patrem omnipotentẽ:& per Iesum Christum filium eius:& per spiritum sanctum: vt recedas ab hoc famulo Dei: quem Deus, & dominus noster ab erroribus, & deceptionibus tuis liberare:& ad Ecclesiam sanctam matrem Catholicã, atque apostolicam reuocare dignetur.Ipse tibi imperat,maledicte damnate: qui pro salute hominis passus, mortuus, & sepultus est,te, & omnes vires tuas superauit,atque resurgens cœlos ascendit. Inde venturus est iudicare viuos,& mortuos, & sæculum per ignem.

Tunc signat eum cum pollice dextræ manus in fronte: Signo crucis dicẽs: Accipe signum Crucis Christi,atque

que Christianitatis: quod prius acceptum non custodisti, sed malè, deceptus; abnegasti.

Deinde surgit ille; & Sacerdos sinistra sua illum apprehendit per manum dextram dicens:

INgredere in Ecclesiam Dei: in qua incautè oberrasse: ac euasisse te laqueos mortis agnosce, horresce idola, respue omnē prauitatem: sine superstitionem hæreticam, vel gentilem, aut iudaicam, Cole Deum omnipotentem, & Iesum Christum filium eius, & spiritum sanctum: vnū viuum, & verum Deum, sanctam & indiuiduam trinitatem.

Tum introducit illum in Ecclesiam per manum, & eum apprehendit vsque ad altare maius: Coram quo in infimo gradu genuflectit, Sacerdos vero ascendit ad medium Altaris stans versus ad illum dicit absolute:

OMnipotens sempiterne Deus: hanc ouem tuam de faucibus Lupi: tua virtute subtractam: paterna recipe pietate, & gregi tuo reforma pia benignitate, ne de familię tuę danno inimicus exultet: sed de conuersione, & liberatione eius: ecclesia tua, ut pia mater de filio reperto gratuletur. per Christum dominum nostrum. ℟. Amen. Oremus.

DEus, qui hominem ad imaginē tuā conditū misericorditer repa ras: quem miserabiliter creasti: respice propitius super hunc famulum tuum: vt quod huius ignorantiæ necessitate: hostili, & diabolica fraude surreptum est: & altaribus sacris recepta veritatis tuę communione reddatur. Per Christum dominum nostrum. ℟. Amen.

Deinde sedeat ibidem Sacerdos & interroget illum iterum de fide catholica dicens:

CRedis in Deum patrem Omnipotentem: Creatorem cœli & terræ? ℟. Credo.

Credis in Iesum Christum eius filium vnicum dominum nostrum, natum, & passum? ℟. Credo.

Credis in spiritum sanctum: sanctam ecclesiam catholicam: sanctorum communionem: Remissionem peccatorum: carnis resurrectionem, Vitam æternā post mortē? ℟. Credo.

Postea Sacerdos interroget:

HOmo abrenuncias Sathanæ, & Angelis eius? *Respondet:* Abrenuncio

Abrenuncias escā omni sectæ gēti litatis vel hæreticæ prauitatis, siue iudaicæ superstitionis? ℟. Abrenūc.

Vis esse, & viuere in vnitate sanctę fidei catholicę? ℟. Volo.

Tunc Sacerdos surgit, & reconciliatus accedit ad pedes eius coram eo genuflectens: Sacerdos vero imponit manum dextram super caput illius dicens: Oremus.

DOmine Deus omnipotens: Pater domini nostri Iesu Christi, qui degnatus es hunc famulum tuum ab errore gentilitatis, vel mendacio hæreticæ prauitatis, siue iudaicæ superstitionis Clementer eruere: & ad Ecclesiam tuam sanctam reuocare, tu domine emitte in eum spiritum sanctum paraclitum de cælis, spiritum sapientię, & intellectus, spiritum consilij, & fortitudinis, spiritum scientiæ, & pietatis, Adimple

eum

eum lumine ſplendoris tui, & in nomine eiuſdem domini noſtri Ieſu Chriſti ſignetur ſigno Cru † cis in vitam æternam. Amen.

OFFICIVM benedictionis nuptiarum ſecundum formã Romanæ Eccleſiæ, hoc ordine: In diebus deſponſationis alicuius mulieris, venientes ad eccleſiam, ſponſus & ſponſa cum parentibus, conſanguineis, & amicis, procedãt ad altare, vbi Sacerdos ſit præparatus, ſaltem cum ſuper pellicio, & ſtola: qui ſtans verſis renibus ad altare, & vultu ad ſponſos futuros, petit primum ſecundum formam ſacri Concilij, An ſit aliquod impedimentum inter eos, quod præſens coniugium impediret, & reſponſo, quòd non: Sacerdos interrogato nomine vtriuſque dicit ſponſo:

DOmine. N. placet vobis accipere dominam. N. hic præſentem in veſtrã legitimam ſponſam per verba de præſenti, ſicut præcipit ſancta Romana, & apoſtolica eccleſia?

Quo reſpondente: placet domine. Sacerdos dicat ſponſæ: Domine. N. placet vobis accipere dominum. N. hic preſentem in veſtrum legitimum ſponſum per verba de præſenti; ſicut præcipit ſancta Romana & apoſtolica eccleſia? Qua reſpondente: placet domine. Sacerdos ponat manum dextram ſponſæ ſuper manum dexteram ſponſæ: & ſuper ponat ſtolam in modum crucis ſuper complicatas manus dexteras vtriuſque & dicat.

ET ego auctoritate sãctę eccleſię Dei qua fungor, cõiũgo vos matrimonialiter. & manu faciens ſignũ crucis ſuper vtrunque dicat: In nomine pa † tris. & fi † lij & ſpiritus † ſancti. ℟. Amen.

Poſtea aſpergens ſuper eos aquam benedictam dicat:

℣. Adiutorium noſtrum in nomine domini.
℟. Qui fecit cœlum, & terram.
℣. Oſtende nobis domine miſericordiam tuam.
℟. Et ſalutare tuum da nobis.
℣. Domine exaudi orationem meã.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiſcum,
℟. Et cum ſpiritu tuo. *Oratio.*

Benedictio Anuli.

BEnedic domine anulum hunc quem in tuo nomine benedicimus: vt quæ eũ portauerit in tua pace cõſiſtat & in tua voluntate permaneat: & in amore tuo viuat & ſeneſcat: & multiplicetur in longitudine dierum, per Chriſtum dominum noſtrum. *Alia Oratio.*

CReator, & cõſeruator humani generis: dator gratię ſpiritualis ęternæ Deus: tu domine mittere digneris ſpiritum ſanctum paraclitum ſuper hunc † anulum: vt quæ illum geſtauerit ſit armata virtute cęleſtis defenſionis: & proficiat illi ad æternam ſalutem, per Chriſtum dominum noſtrum.

Finita oratione aſpergat ſacerdos anulum aqua benedicta: poſtea ſponſus accipiens anulum de manu Sacerdotis ponat ipſum in quarto digito manus dextræ ſponſæ dicens:

IN nomine patris, & filij, & ſpiritus ſancti. Amen.

Quo dicto Sacerdos legat infraſcriptas Orationes: *Antiphona.*

Manda

MAnda Deus virtuti tuæ: Cõfirma hoc Deus quod operatus es in nobis à templo tuo, quod est in Hierusalem: tibi offerent reges munera. Increpa feras arundinis, congregatio taurorum in vaccis populorum: vt excludant eos, qui probati sunt argento.

℣. Gloria patri, & filio, & spiritui sancto.

℟. Sicut erat in principio & nunc, & semper, &c. Kirie eleison. Christe eleison. Kirie eleison.

℣. Pater noster. &c. & ne nos inducas in tent.

℟. Sed libera nos à malo.

℣. Saluum fac seruum, & ancillam tuam.

℟. Deus meus sperantes in te.

℣. Mitte eis domine auxilium tuũ de sancto.

℟. Et de Syon tuere eos.

℣. O domine saluos fac eos.

℟. Et bene prosperare in omnibus operibus suis.

℣. Domine exaudi orationem meã.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo. Oremus

Deus Abraham: Deus Isaac: & Deus Iacob: ipse vos coniungat: impleatque benedictionem suam in vobis, per Christum dominum nostrũ.

Alia Oratio.

BEnedicat vos dominus: & Custodiat vos Iesus Christus: ostendatque faciem suam in vobis, & misereatur vestri: conuertat dominus vultum suum ad vos: & det vobis pacem: impleatque vos Christus omni bene † dictione celesti in remissionem peccatorum: vt habeatis vitam æternam. Amen.

Alia Oratio.

REspice domine de cœlo sancto tuo super hanc coniunctionẽ: vt sicut misisti sanctum Angelum tuum Raphaelem Thobiæ, & Sarræ filio Raguelis: ita digneris domine mittere benedictionẽ tuã super adolescentes istos: vt in tua voluntate permaneant: & in amore tuo viuant & senescant, & multiplicentur in longitudinem dierum, per dominum nostrum Iesum Christum filiũ tuũ. &c.

Propitiare domine supplicationibus nostris: & institutis tuis, quibus propagationem humani generis ordinasti benignus, assiste: vt quod te auctore agitur: te auxiliante seruetur, per dominum nostrum Iesum Christum filium tuum: qui tecum viuit, & regnat in vnitate spiritus sancti Deus Per omnia sæcula sæculorum. Amen.

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritutuo.

℣. Sursum corda.

℟. Habemus ad dominum.

℣. Gratias agamus domino deo nostro.

℟. Dignum, & iustum est.

Prefatio.

VEre dignum & iustum est, equũ, & salutare, nos tibi semper, & vbiq; gratias agere, dñe sancte pater omnipotens æterne Deus, qui potestate virtutis tuæ de nihilo cuncta fecisti: qui dispositis vniuersitatis exordijs homini ad imaginem Dei facto: ideo inseparabile mulieris auxilium condidisti: vt fæmineo corpore de virili dares carne principium: Docens, quod ex vno placuisset institui: nunquam

quam liceret diſiungi. Deus qui tam excellenti miſterio coniugalem copulam conſecraſti: vt Chriſti, & eccleſiæ ſacramentum pręſignares in fędere nuptiarum: Deus, per quem mulier iungitur viro: & ſocietas principaliter ordinata: ea bene † dictione donetur: quæ nec ſolam per originalis peccati pęnam: nec per diluuij eſt ablata ſententiam.

Super fœminam.

REſpice propitius ſuper hãc famulam tuã, quę maritali iungenda conſortio: tua ſe expetit protectione muniri, ſit in ea iugum delectionis & pacis: fidelis & caſta nubat in Chriſto: imitatrixque ſanctarum permaneat fęminarum. Sit amabilis, vt Rachel viro: ſapiens, vt Rebecca: longæua & fidelis, ut Sarra. nihil in ea exactibus ſuis ille auctor preuaricationis vſurpet; nexa fidei, mandatisque permaneat vni thoro iuncta: cõtactus illicitos fugiat: muniat infirmitatem ſuam robore diſciplinæ. Sit verecundia grauis: pudore venerabilis: doctrinis cęleſtibus erudita. Sit fœcunda in ſobole; ſit probata & innocens: & ad beatorum requiem, atque ad cęleſtia regna perueniat.

Super vtroſque.

ET videant ambo filios filiorũ ſuorum, vſq; ad tertiam, & quartam progeniem, & ad optatam perueniãt ſenectutem per dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, filium tuum, qui tecum viuit, & regnat. &c.

Poſtea Sacerdos aſpergat illos aqua benedicta, & dicat: ℟

℣. Oſtende nobis domine miſericordiam tuam.

℟. Et ſalutare tuum da nobis.

℣. Domine exaudi orationem meã.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiſcum.

℟. Et cum ſpiritu tuo. *Oratio.*

Oremus.

DEVS qui corda fidelium ſancti ſpiritus *illuſtratione* docuiſti: da nobis in eodem *ſpiritu* recta ſapere: & de eius ſemper conſolatione gaudere. per Chriſtum dominũ noſtrum.

Poſtea dicatur miſſa de ſponſo, & ſponſa, ut in miſſali.

ORdo ad *introducẽdam mulierem in eccleſiam poſt partum. & in primis dicat Sacerdos.*

In nomine pa † tris, & fi † lij, & ſpi † ritus ſancti amen.

℣. Aſperges me domine Hiſſopo &c.

℣. Deus miſereatur noſtri, & benedicat nobis.

℟. Illuminet vultũ ſuum ſuper nos, & miſereatur noſtri. Kirie eleiſon. Chriſte eleiſon. Kirie eleiſon. Pater noſter &c.

℣. Et ne nos inducas in tẽtationem.

℟. Sed libera nos à malo.

Pſalmus.

CRedidi, propter quod locutus ſum: ego autem humiliatus ſum nimis.

Ego dixi in exceſſu meo: omnis homo mendax.

Quid retribuam Domino: pro omnibus quæ retribui mihi,

Calicẽ ſalutaris accipiam: & nomen domini inuocabo.

Vota mea domino reddam coram omni populo eius: precioſa in conſpe

ctu

tu domini mors sanctorum eius.

O domine, quia ego seruus tuus: ego seruus tuus & filius ancillæ tuæ. Dirupisti domine vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis, & nomen domini inuocabo.

Vota mea domino reddam, in conspectu omnis populi eius; in atrijs domus domini, in medio tui Hierusalem.

LAudate dominum omnes gentes: laudate eum omnes populi.

Quoniam confirmata est super nos misericordia eius: & veritas domini manet in æternum.

AD te leuaui occulos meos: qui habitas in cælis.

Ecce sicut oculi seruorum: in manibus dominorum suorum.

Sicut oculi ancillæ in manibus domini sui: ita oculi nostri ad dominum Deum nostrum, donec misereatur nostri.

Miserere nostri domine, miserere nostri: quia multum repleti sumus despectione.

Quia multum repleta est anima nostra: opprobrium abūdantibus, & despectio superbis.

℣. Gloria Patri, & filio, & spiritui sancto.

℟. Sicut erat in principio, & nunc, & semper &c.

Postea sequitur antiphona.

Exaudi nos domine: quoniam benigna est misericordia tua: & secundum multitudinē miserationum tuarum respice nos domine.

℣. Ego dixi domine miserere mei.

℟. Sana animam meam, quia peccaui tibi.

℣. Saluam fac ancillam tuam domine.

℟. Deus meus sperantem in te.

℣. Mitte ei dñe auxilium de sancto.

℟. Et de Syon tuere eam.

℣. Domine exaudi orationem meā.

℟. Et clamor meus ad te ueniat. Oro

Oremus.

DEus qui per Moysem famulum tuum israeliticæ plebi mandatis: vt mulier, quæ filium peperisset ab ingressu tēpli sequestraretur; quæsumus, vt hanc famulam tuam. N. ab omni inquinamento peccati mundare digneris: quatenus mente, & corpore mundata; sinum matris ecclesiæ sanctæ valeat penetrare, & tibi pro suis delictis acceptabile munus offerre per Christum dominum nostrum.

Et postea facias confessionem, & tunc mulier teneat lampadem in manibus suis.

IO mi confesso all'Onnipotēte Iddio, & alla Beata sempre vergine Maria. Al Beato Michaele arcangelo. al Beato Gioan battista, alli santi Apostoli, Pietro, & Paolo, & à tutti li santi, & a te Padre, perche hò peccato molto con la cogitatione, con la parola, & con l'opere, del che dico mia colpa, mia colpa, & mia massima colpa. impero prego la beata, & sempre gloriosa vergine Maria, & il Beato Michaele Arcangelo, & il Beato Giouan battista, & li sancti apostoli, Pietro, & Paolo, & tutti li santi, & voi padre vogliate pregare per me il nostro signore Iddio.

Postea Sacerdos intrans in ecclesiam dicat:

Famula Dei N. ingredere in templum Dei, & adora filium beatæ Mariæ virginis: qui tibi tribuit fœcunditatis prolem.

Postea dicitur euangelium secundum Ioannem.

INitium Sancti euangelij, secundum Ioannem: In principio erat verbum: & verbum erat apud Deū: & Deus erat verbū. hoc erat in principio apud Deum. omnia per ipsum facta sunt: & sine ipso factum est nihil. quod factum est, in ipso vita erat: & vita erat lux hominum: & lux in tenebris lucet: & tenebræ eam non comprehenderunt. fuit homo missus à Deo, cui nomen erat Ioannes: hic venit in testimonium: vt testimonium perhiberet de lumine, vt omnes crederent per illum. non erat ille lux: sed vt testimonium perhiberet de lumine. erat lux vera, q̄ illuminat oēm hominē venientem in hunc mundū. in mundo erat: & mundus per ipsum factus est: & mundus eum non cognouit. In propria venit: & sui eum non receperunt. Quot quot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios dei fieri, his, qui credunt in nomine eius, qui non ex sanguinibus neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt. & VERBVM CARO factum est, & habitauit in nobis, & vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à Patre, plenū gratiæ, & ueritatis. Oro

Oremus.

ABsolue quæsumus dñe delicta famulæ tuæ. N. & à peccatorū suorum nexibus: quæ pro sua fragilitate contraxit: tua benignitate liberetur. per dominum nostrum Iesum Christum filium tuum, qui tecum viuit & regnat in vnitate. spiritus sancti Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen. Oremus.

COncede nos famulos tuos quæsumus dñe perpetua mētis, & corporis sanitate gaudere, & gloriosa beatæ Mariæ semper virginis intercessione, à præsenti liberari tristitia, & æterna perfrui lætitia per Christum dominum nostrum.

Ista forma absolutionis abstracta de formulario Domini Papæ pro habentibus indulgentiam plenariam in mortis articulo. Primo dicat infirmus si potest: Confiteor Deo omnipotenti &c. si vero non potest, dicat alius loco eius. Postea confessor, cui fuit generaliter, vel specialiter confessus: dicat Misereatur tui, &c. consequenter subiūgat, & dicat absolutionem.

Absolutio plenaria in mortis articulo.

AVctoritate Dei, & beatorum Apostolorum Petri, & Pauli: & domini Papæ. N. & sanctæ Romanę ecclesiæ tibi concessa, mihique in hac parte commissa: ego te absolno ab omni sententia excommunicationis maioris, vel minoris: Si quam incurristi, inquantum mihi committitur: & restituo te vnitati fidelium, & sanctis sacramentis ecclesiæ. item eadem auctoritate absoluo te ab omnibus peccatis tuis, contritis, confessis, & oblitis, & à trangressione regulæ, & statutorum: inquantum claues sanctæ ecclesiæ se extendunt: & absoluo

soluo te ab omnibus pœnis tibi in purgatorio debitis propter culpas, & offensas, quas contra Deum, animam tuam, & proximum tuum commisisti: & restituo te illi innocentiæ, in qua eras, quando Baptizatus fuisti, & hoc, si de qua ægrotas infirmitate morieris. Si vero ista vice, non morieris: reseruo tibi plenariam indulgẽtiam: tibi concessam à Domino Papa, pro vltimo articulo mortis tuæ: in nomine † patris † & filij † & spiritus sancti Amen.

Ista est forma absoluendi pro illis, qui habeat indulgentiam eligẽdi sibi semel tantum confessorem: qui eos absoluat ab omni casu: ẽt pertinente ad Papã.

DOminus noster Iesus Christe te absoluat: & ego auctoritate ipsius, & beatorum Apostolorum Petri, & Pauli: & summi Pontificis mihi commissa: tibi in hac uice concessa: absoluo te ab omni vinculo excommunicationis maioris, vel minoris: vel sententia suspensionis, & interdicti: & dispenso te cum omni irregularitate, si illam incurristi: & restituo te vnioni, & participationi fidelium: nec non sanctis sacramentis ecclesiæ. Iterum absoluo te ab omnibus peccatis tuis mihi confessis, contritis, & oblitis: cum circunstantijs eorum: quomodocunque vel qualitercunque offendisti Creatorem tuum: animam tuam; proximum tuum: & regulam tuam. in nomine † patris † & filij † & spiritus sancti. Amen.

Item alia forma absolutionis absoluendi à minori excommunicatione.

Absoluo te à vinculo excommunicationis huius: quam confessus es: & ab alia, si teneris in quantum possum, & debeo: & restituo te ecclesiasticis sacramentis. in nomine † Patris † & Filij † & Spiritus sancti. Amen.

ORDO AD COMMVNIcandum Infirmum.

Cum peruentum fuerit ad locum, vbi iacet infirmus; Sacerdos intrans domum dicat.

Pax tibi domui. ℟. Et omnibus habitantibus in ea.

Deinde Sacerdos accedat ad ægrotum: & in modum Crucis aspergat eum aqua benedicta: deinde domum dicendo: Antiph.

Asperges me domine hyssopo. &c.

Psal. Miserere mei Deus &c.

℣. Gloria Patri, & Filio &c.

℟. Sicut erat in princip. &c.

Et repetitur Antiph. Asperges. deinde infirmus immediate adoret, & deosculetur Crucem: & Sacerdos dicat absolute hanc Orationem.

DOminus Iesus Christus, qui dixit discipulis suis: Quæcunque ligaueritis super terram, erunt ligata & in cœlis: & quæcunque solueritis super terram erunt soluta & in cœlis: de quorum numero quamuis indignos nos esse voluit: ipse te absoluat per ministerium nostrum ab omnibus peccatis tuis: quæcunque cogitatione, locutione, operatione negligenter egisti: & à nexibus peccatorum absolutum perducere dignetur ad regna cœlorum, qui cum patre & spiritu sancto uiuit, & regnat in secula seculorum. ℟. Amen.

Postea Sacerdos eleuet corpus domini de calice: & infirmus adorans dicat.

Domine non sum Dignus, vt ir-

tres sub tectum meum : sed tantum dic verbo & sanabitur anima mea.

Deinde Sacerdos tradat infirmo eucharistiam dicens :

ACcipe frater viaticum corporis dñi nostri Iesu Christi: qui te custodiat ab hoste maligno: & perducat in vitam æternam. ℟. Amen.

Postea lauat sibi digitos super calicem cum vino puro, & aqua, & propinet infirmo nihil dicens. post communionem vero dicat Sacerdos :

℣. Domine exaudi orationē meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo. *Oratio.*

DOmine sancte pater omnipotēs, eterne Deus : te fideliter deprecamur : vt accipienti fratri nostro sacrosanctum corpus domini nri Iesu Christi filij tui tam corporis, quā animę prosit ad remedium sempiternum. per Christum dominum nostrū.
℟. Amen.

His peractis reuertuntur ad ecclesiam dicendo Psalmum miserei mei Deus: totum.

PRO COMMVNICANDIS Episcopis & Sacerdotib. infirmis.

SI Episcopus infirmatur, & vult corpus domini post suam confessionem sumere : Sacerdos celebrans pro eo in camera missam dicat, vt assolet. & communicet : sed reseruet particulam pro Episcopo. Et non totum sanguinem sumat, sed medietatem, quia alia pars sanguinis datur Episcopo post corpus domini. Sacerdotes infirmi debent illud sumere, non vt ceteri seculares, sed debent habere stolam a collo pendentem, & sic communicare, & corpus Christi sumere, & non aliter.

Ordo ad vngendum infirmum. in primis accipiat Sacerdos oleum sanctum : deinde ordinate procedat cum psalmo, miserere mei. vt dictum est supra in communione : Cum autem peruentū fuerit ad locum, vbi iacet infirmus, Sacerdos intrans dicat :

℣. Pax huic domui.
℟. Et omnibus habitantibus in ea.

Deinde stans ante ægrotum dicat:

℣. Adiutorium nostrum in nomine domini.
℟. Qui fecit celum & terram.
℣. Dominus vobiscum,
℟. Et cum spiritu tuo. *Oratio.*

Oremus.

INtroeat Domine Iesu Christe dominum hāc sub nomine nostræ humilitatis ingressu æterna felicitas : diuina prosperitas: serena lętitia: charitas fructuosa: sanitas sempiterna: effugiat ex hoc loco accessus demonū. adsint angeli pacis : domumque hanc deserat effugata discordia. magnifica domine super nos nomen sanctum tuum : & bene † dic nostræ conuersationi: sanctifica nostrę humilitatis ingressum: qui sanctus & piu es: & permanes cum patre & spiritu sancto in secula seculorum. ℟. Amen. *Oratio.*

ORemus, & deprecemur dominum nostrum Iesum Christū: vt benedicendo bene † dicat hoc tabernaculum : & omnes habitantes in eo, & det eis angelum bonum custodem, & faciat eos sibi seruire ad considerandū mirabilia de lege sua: auertat ab eis omnes contrarias potestates :

tes: eripiat eos abomni formidine & ab omni perturbatione ac sanos in hoc tabernaculo custodire dignetur. quicum patre & spiritu sancto viuit, & regnat in secula seculorū Amen.

Deinde dicat hanc orationem.

EXaudi nos domine sancte pater omnipotens, æterne Deus: & mittere digneris sanctum Angelum tuum de cęlis, qui custodiat, foueat, protegat, visitet atque defendat omnes habitātes in hoc tabernaculo. per Christum dominū nostrum. ℟. Amen.

Deinde in modum crucis aspergat ægrotum in aqua benedicta, postea domum dicendo Antiph Asperges me dñe hisopo. Cum miserere, gloria patri, sicut erat &c. & repetitur antiphona. asperges. ut supra. Deinde in medias te faciat ægrotus confessionem & dicat: Cōfiteor Deo &c. quo dicto omnes Sacerdotes astantes dicant legendo septem Psalmos pœnitentiales. dū autem Psalmi dicuntur, vel cum dicti fuerint, Sacerdos intincto pollice in oleo sancto dicat absolute:

IN nomine † patris, & fi † lij, & spiritus † sancti extinguatur in te omnis virtus diaboli per impositionem manuum nostrarum: imo per inuocationem omnium sanctorum Angelorum, archangelorum, patriarchatum, prophetarum, apostolorum, martirū, confessorum, virginum: atq; omnium sanctorum. Amen.

Quo dicto cum pollice faciat signum crucis de oleo sancto in corpore ægri in septem locis subscriptis: ad vnamquamque crucem. propriam orationem dicendo: Ad oculos.

PER istam sanctam vnc † tionem & suam pijssimam misericordiā parcat tibi dominus quicquid oculorū vitio deliquisti. Amen. *Ad aures.*

Per istam sanctam vnc † tionem, & suam pijssimam misericordiā parcat tibi dominus quicquid aurium vitio deliquisti. Amen. *Ad nares.*

Per istam sanctam vnc † tionem & suam pijssimam misericordiam parcat tibi dominus quicquid narium vitio deliquisti. Amen. *Ad labia.*

Per istam sanctam vnc † tionem & suam pijssimā misericordiam parcat tibi dominus quicquid lingue vel oris vitio deliquisti. amen. *Ad manus.*

Per istam sanctam vnc † tionem & suam pijssimam misericordiam parcat tibi dominus quicquid tactus vitio deliquisti. Amen. *Ad pedes.*

Per istam sanctam vnc † tionem & suam pijssimam misericordiam parcat tibi dominus quicquid in cessus vitio deliquisti. Amen. *Ad lumbos.*

Per istam sanctam vnc † tionem & suam pijssimam misericordiam parcat tibi dominus quicquid lumborū vitio deliquisti. Amen.

Quibus omnibus peractis: & a clericis Psalmis & letanijs lectis; Sacerdos dicat:

KIrie eleison Christe eleison. Kirie eleison. Pater noster. Et ne nos inducas. Sed libera nos amalo.

℣. Saluum fac seruum tuum.

℟. Deus meus sperantem in te.

℣. Mitte ei dñe auxilium de sancto.

℟. Et de Syon tuere eum.

℣. Esto ei domine turris fortitudinis.

℟. A facie inimici.

℣. Nihil proficiat inimicus in eo.

Et

℟. Et filius iniquitatis non apponat nocere ei.
℣. Domine exaudi orationem meã.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo. *Oratio.*

Oremus.

DOmine Deus, qui per Apostolũ tuum locutus es: infirmatur qui in vobis: inducat presbyteros ecclesiæ: & orent super eum vngentes eum oleo sancto in nomine domini: & oratio fidei saluabit infirmum: & alleuiabit eum dominus: & si in peccatis sit: dimittentur ei: cura quæsumus redẽptor noster gratia spiritus sancti languores istius infirmi: & eius sana vulnera: eiusque dimitte peccata: atque dolores eunctos cordis, & corporis ab eo expelle: plenamque ei interius exteriusque sanitatem misericorditer redde: vt ope misericordię tue restitutus: ad pristina reparetur officia. qui cum patre & spiritu sancto viuis & regnas in secula seculorum. Amen

Oratio.

REspice quæsumus domine, famulum tuum. N. fratrem nostrum in infirmitate sui corporis fatiscentem: & animam refoue, quam creasti: vt castigationibus emendatus se sentiat tua medicina saluatum, per Christum dominum nostrum. *Oratio.*

DOmine sancte pater omnipotẽs, ęterne Deus: qui benedictionis tuæ gratiam ægris infundendo corporibus, factura tuam multiplici pietate custodis: ad inuocationem tui nominis benignus assiste: vt famulum tuum. N. ab ægritudine liberatum & sanitati donatum; dextera tua erigas: virtute confirmes: potestate tuearis: atque ecclesiæ tuæ sanctisq; altarib. tuis cum omni desiderata prosperitate restituas per Christum dominum nostrum. Amen. *Oratio.*

DOminus Iesus Christus apud te sit. vt defendat: intra te sit. vt te reficiat. Circa te sit, ut conseruet: ante te sit, ut te deducat, post te sit, vt te custodiat: super te sit, ut te bene † dicat, qui in trinitate perfecta viuit, & regnat in secula seculorum. Amen.

Postea stuppa proiiciatur in ignem. his omnibus peractis reuertatur ad ecclesiam; & crux remaneat coram infirmo.

Ordo Commendationis animæ. & prius fiant letaniæ breues. & si est fœmina dicatur pro ea.

KIrie eleison. Christe eleison. Kirie eleison.
Sancta Maria. Ora pro eo
Omnes sancti angeli, & archangeli. ora pro eo.
Sancte Abraham. ora pro eo
Omnis chorus iustorum. orate p eo
Sancte Ioannes baptista. ora pro eo
Omnes sancti patriarchæ, & prophetę. orate pro eo
Sancte Petre. ora pro eo
Sancte Paule. ora pro eo
Sancte Andrea. ora pre eo
Sancte Bartholomæe. ora pro eo
Omnes sancti apost. & euangelistæ. orate pro eo
Omnes S. innocentes. orate pro eo
Sancte Stephane. ora pro eo
Sancte Laurenti. ora pro eo
Sancte Clemens. ora pro eo
Sancte Vincenti. ora pro eo

Omnes

Omnes ſancti martires. orate pro eo
Sancte Silueſter ora pro eo
Sancte Augnſtine. ora pro eo
Sancte Nicolae. ora pro eo
Sancte Zenobi. ora pro eo
Omnes S. Pontifices & confeſſores. orate pro eo
Sancte Benedicte. ora pro eo
Sancte Bernarde. ora pro eo
Sancte Franciſce. ora pro eo
Sancte Dominice. ora pro eo
Omnes ſancti monachi & eremitæ. orate pro eo
S. Maria magdalena. ora pro eo
S. Lucia. ora pro eo
S. Catherina. ora pro eo
S. Reparata. ora pro eo
Omnes S. Virg.& vidue. orate ꝓ eo
Oés ſancti & ſanctę Dei. orate ꝓ eo
Propitius eſto. libera eum domine
Ab ira tua. libera eum domine
A mala morte. libera eum domine
A pęnis inferni. libera eum domine
A poteſtate diaboli. libera eum dñe
Ab omni malo. libera eum domine
Per mortem tuam. libera eum dñe
Per ſanctam reſurrectionem tuam. libera eum domine.
Per mortem & ſepulturam tuam. libera eum domine.
Per ſanctam Crucem tuam. libera eum domine.
Per admirabilem aſcenſionem tuam. libera eum domine.
Per gratiam ſpiritus ſancti paracliti. libera eum domine.
In die iudicij. libera eum domine
Peccatores. te rogamus audi nos
Vt ei parcas. te rogamus audi nos
Vt ei indulgeas. te rogamus audi nos
Vt ad ueram pęnitentiam nos perducere digneris, Te rogamus audi nos.
Kirie eleiſon, Chriſte eleiſon, Kirie eleiſon.

Deinde pro vicino morti: cum agone ſui exitus anima viſa fuerit anxiari, dicantur hæ orationes:

PRoficiſcere anima Chriſtiana de hoc mundo. in nomine Dei patris † omnipotentis: qui te creauit. In nomine Ieſu Chriſti. † filij Dei vi ui. qui per te paſſus eſt. In nomine ſpi ritus: † ſancti: qui in te effuſus eſt. In nomine angelorum & arcãgelorum. In nomine thronum & dominationũ, In nomine principatum & poteſtatũ. In nomine cherubin & ſeraphin. in nomine patriarcharum. & prophetarum. In nomine ſanctorum Apoſtolorum. In nomine ſanctorum martirum & confeſſorum. In nomine ſanctorum monacorum & eremitarum. In nomine virginum & omnium ſanctorum, & ſanctarum Dei. hodie ſit impace locus tuus: & habitatio tua in ſancta Syon. per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen. *Oratio.*

DEus miſericors: Deuş Clemens: Deus, qui ſecundum multitudi nem miſerationum tuarum peccata pęnitentium deles: & præteritorum criminum culpas venia remiſſionis euacuas: reſpice propitius ſuper hũc famulum tuum. N. & remiſsionem ſibi omnium peccatorum ſuorum to ta cordis confeſsione poſcentem deprecatus exaudi. Renoua in eo pijſsi me pater quicquid terrena fragilitate corruptum: uel quicquid diabolica fraude violatum eſt: & vnitati corpo ris eccleſiæ membrum redemptionis annecte: Miſerere domine gemituſ: mi-

miserere lacrimarum eius: non habentem fiduciam nisi in tua misericordia: ad tuæ sacramentum reconciliationis admitte. per Christum Dominum nostrum. Amen. *Oratio.*

COmmendo te omnipotenti Deo charissime frater: & ei, cuius es creatura, committo: vt cum humanitatis debitum morte interueniente persolueris: ad auctorem tuum, qui te de limo terræ formauerat, reuertaris. Egredienti itaque animæ tuæ de corpore; splendidus Angelorum cœtus occurrat. Iudex apostolorum tibi senatus occurrat. Candidatorum tibi martirum triumphator exercitus circundet. Iubilantium te virginum chorus excipiat: & beatæ quietis in sinu Patriarcharum te cõplexus astringat, mitis, atque festinus Christi Iesu tibi conspectus appareat: qui te inter assistentes sibi iugiter interesse decernat. Ignores omne quod horret in tenebris: quod stridet in flammis, quod cruciat in formentis. Cedat tibi teterrimus Sathanas cum satellitibus suis, in aduentu tuo te cõmitantibus angelis contremiscat: atque in æternæ noctis Chaos immane diffugiat exurgat Deus & dissipentur inimici eius: & fugiant, qui oderunt eum à facie eius. Sicut deficit fumus deficiant: sicut fluit cera à facie ignis: sic pereant peccatores à facie Dei. & iusti epulentur & exultent in conspectu Dei. Confundantur igitur, & erubescant omnes tartareæ legiones: & ministri Sathanæ iter tuum impedire non audeant. liberet te a cruciatu Christus, qui pro te crucifixus est. Constituat te Christi filius Dei uiui intra paradisi sui semper amæna, & uirentia, & inter oues suas te uerus ille pastor agnoscat. Ille ab omnibus peccatis tuis te absoluat: atque ad dextram suam in electorum suorum te sorte constituat. Redemptorem tuum facie ad faciem uideas, & præsens semper assistens manifestissimi beatis oculis aspicias ueritatem. Constitutus igitur inter agmina beatorum: contemplationis diuinæ dulcedine potiaris in secula seculorũ. Amẽ.

Alia Oratio.

SVscipe Domine animam famuli tui in locum sperandæ sibi salutionis à misericordia tua. ℟. Amen.

Libera domine animam famuli tui ex omnibus periculis *infernorum*, & de laqueis pœnarum. & ex *omnibus* tribulationibus. ℟. Amen.

Libera domine animam famuli tui: sicut liberasti Enoch, Heliam de cõmuni morte mundi. ℟. Amen

Libera domine animam famuli tui sicut liberasti Noe d diluuio. ℟. Amẽ

Libera domine animam famuli tui sicut liberasti abraham deur caldeorum ℟. Amen

Libera domine animam famuli tui sicut liberasti Iob de passionibus suis ℟. Amen

Libera domine animam famuli tui sicut liberasti Isaac de hostia & de manu patris sui Abrahæ ℟. Amen

Libera domine animam famuli tui sicut liberasti Loth de Sodome, & de flamma ignis ℟. Amen

Libera domine animam famuli tui sicut liberasti Moysen de manu Pharaonis regis egiptiorum ℟. Amen

Libera domine animam famuli: si-

cut

cut liberasti Danielem de lacu leonum ℟. Amen

Libera domine animã famuli:tui sicut liberasti tres pueros de camino ignis ardentis: & de manu regis iniqui. ℟. Amen

Libera domine animam famuli tui; sicut liberasti Susannã de falso crimine. ℟. Amen

Libera domine animam famulitui; sicut liberasti Dauid de manu regis, & Saul de manu Goliæ. ℟. Amen

Libera domine animã famuli:tui sicut liberasti Petrum, & Paulum de carceribus ℟. Amen

ET sicut beatissimam Theclam virginem, & martirem de tribus tormentis atrocissimis liberasti: sic liberare digneris animam huius famuli tui: & tecum facias in bonis congaudere cęlestibus. Amen. *Alia Oõ.*

COMMENDAMVS tibi domine animam famuli tui. N. precamurque te domine Iesu Christe Saluator mundi: vt propter quam ad terrã misericorditer descendisti, Patriarcharum tuorum sinibus insinuare non renuas. Agnosce domine creaturam tuã nõ ex dijs alienis creatam: sed ate solo Deo viuo & vero: quia non est deus alius præter te: & non est secundum opera tua. Lętifica domine animã eius in conspectu tuo: & ne memineris iniquitatum eius antiquarum: & ebrietatum, quas suscitauit furor, siue feruor mali desiderij, licet enim peccauerit, tamen patrem & filium, & spiritum sanctum non negauit: Sed credidit, & zelum Dei in se habuit: & Deum, qui fecit omnia, adorauit. ℟. Amen.

Alia Oratio.

DElicta iuuentutis, & ingnorãtias eius ne memineris quæsumus domine: sed secundum magnam misericordiam tuam memor esto illius in gloria claritatis tuæ. Aperiantur cęli ei: collętentur illi Angeli: in regnum tuum domine seruum tuum suscipe. suscipiat eum sanctus Michael Archangelus dei, qui militię cęlestis meruit principatum. Veniant illi obuiam sancti angeli Dei: & perducant eum in ciuitatem cęlestem Hierusalem. Suscipiat eum beatus Petrus Apostolus: cui à Deo claues regni cęlestis traditæ sunt. Adiuuet eum sanctus Paulus: qui dignus fuit esse vas electionis. intercedat pro eo sanctus Ioannes electus Dei Apostolus, & Euangelista. orent pro illo omnes sancti apostoli: quibus à domino data est potestas ligandi. atque soluendi. Intercedant pro eo omnes sancti & electi Dei, qui pro Christi nomine tormenta in hoc seculo sustinuerunt: & vinculis carnis exutus: peruenire mereatur ad gloriam regni cęlestis. præstante, domino nostro Iesu Christo, quicum patre, & spiritu sancto viuit, & regnat in secula seculorũ. Amẽ.

Si anxiatur adhuc anima: dicantur hi Psalmi sequentes.

Psalmus:

COnfitemini domino, quoniam bonus, quoniam in seculum misericordia eius.

Dicat nunc Israel, quoniam bonus: quoniam in seculum misericordia eius.

Dicat nunc domus Aaron: quoniã in seculum misericordia eius.

Dicant nunc qui timent dominum; quoniam in seculū misericordia eius.

De tribulatione inuocaui dominum: & exaudiuit me in latitudine dominus.

Dominus mihi adiutor: non timebo quid faciat mihi homo.

Dominus mihi adiutor: & ego despiciam inimicos meos.

Bonum est confidere in domino: quam confidere in homine.

Bonum est sperare in domino: quā sperare in principibus.

Omnes gētes circundederunt me: & in nomine domini, quia vltus sum in eos.

Circundantes circundederunt me: & in nomine domini, quoniam vltus sum in eos.

Circundederunt me sicut apes: & exarserunt sicut ignis in spinis: & in nomine dñi quia vltus sum in eos.

Impulsus euersus sum, ut caderem; & dominus suscepit me.

Fortitudo mea & laus mea dominus: & factus est mihi in salutem.

Vox exultationis & salutis in tabernaculis iustorum.

Dextera domini fecit virtutem: dextera domini exaltauit me; dextera domini fecit virtutem.

Non motiar, sed viuam; & narrabo opera domini.

Castigans castigauit me dominus; & morti non tradidit me.

Aperite mihi portas iustitiæ; ingressus in eas confitebor domino; hęc porta domini iusti intrabunt in eam.

Confitebor tibi, quoniam exaudisti me, & factus es mihi in salutem.

Lapidem, quem reprobauerunt ędificantes; hic factus est in caput anguli.

A domino factum est istud, & est mirabile in oculis nostris.

Hæc dies, quam fecit dominus, & exultemus, & lætemur in ea.

O domine saluum me fac, o domine bene prosperare, benedictus qui uenturus es in nomine domini.

Benediximus uobis de domo domini, Deus dñs & illuxit nobis.

Constituite diem solemnem in condensis, usque ad cornu altaris.

Deus meus es tu, & confitebor tibi, Deus meus es tu, & exaltabo te.

Confitebor tibi, quoniam exaudisti me, & factus es mihi in salutem.

Confitemini domino, quoniam bonus: quoniam in seculum misericordia eius.

BEATI immaculati in via: qui ambulant in lege domini.

Beati qui scrutantur testimonia eius: in toto corde exquirunt eum.

Non enim qui operantur iniquitatem: in uijs eius ambulauerunt.

Tu mandasti mandata tua: custodiri nimis.

Vtinam dirigantur vie mę: ad custodiendas iustificationes tuas.

Tunc non confundar: cum prospexero in omnibus mandatis tuis.

Confitebor tibi in directione cordis: in eo quod didici iudicia iustitię tuæ.

Iustificationes tuas custodiam: nō me de relinquas vsque quaque.

In quo corrigit adolescentior viā suam? in custodiēdo sermones tuos.

In toto corde meo exquisiui te ne repellas me à mandatis tuis.

In corde meo abscondi eloquia tua: vt non pecem tibi.

Benedictus es domine: doce me iustificationes tuas.

In labijs meis: pronunciaui omnia iudicia oris tui.

In via testimoniorum tuorum delectatus sum: sicut in oĩbus diuitijs.

In mandatis tuis exercerbor, & considerabo vias tuas.

In iustificationibus tuis meditabor: non obliuiscar sermones tuos.

REtribue seruo tuo, viuifica me: & custodiam sermones tuos.

Reuela oculos meos: & considerabo mirabilia de lege tua.

In cola ego sum in terra: non abscondas à me mandata tua.

Concupiuit aĩa mea desiderare iustificatione tuas: in omni tempore.

Increpasti superbos: maledicti qui declinant, a mandatis tuis.

Aufer à me approbrium & contẽptum: quia testimonia tua exquisiui.

Etenim sederunt principes: & adversum me loquebantur: seruus autem exercebatur in iustificationibus tuis.

Nam & testimonia tua meditatio mea est: & consilium meum iustificationes tuæ.

Adhæsit pauimento anima mea: viuifica me secundum verbum tuum.

Vias meas enunciaui, & exaudisti me: doce me iustificationes tuas.

Viam iustificationum tuarum instruem: & exercebor in mirabilibus tuis.

Dormitauit anima mea prę tædio: confirma me in uerbis tuis.

Viam iniquitatis amoue a me: & de lege tua miserere mei.

Viam veritatis elegi: iudicia tua non sum oblitus.

Adhæsi testimonijs tuis domine: noli me confundere.

Viam mandatorũ tuorum cucurri: cum dilatasti cor meum.

LEgem pone mihi domine uiã iustificationum tuarum: & exquiram eam semper.

Da mihi intellectum, & scrutabor legem tuam: & custodiam illam in toto corde meo.

Deduc me in semitam mandatorum tuorum: quia ipsam uolui.

Inclina cor meum in testimonia tua & non in auaritiam.

Auerte oculos meos ne videant vanitatem; in uia tua uiuifica me.

Statue seruo tuo eloquium tuum: in timore tuo.

Amputa approbrium meum quod suspicatus sum: quia iudicia tua iucunda.

Ecce cõcupiui madata tua: in ęquitate tua uiuifica me.

Et ueniat super me misericordia tua domine: salutare tuum secundum eloquium tuum.

Et respondebo ex probrantibus mihi uerbum: quia speraui in sermonibus tuis.

Et ne auferas de ore meo uerbum ueritatis usquequaque: quia in iudicijs tuis super speraui.

Et custodiam legem tuam semper: in seculum & in seculum seculi.

Et ambulabam in latitudine: quia mandata tua exquisiui.

Et loquebar de testimonijs tuis in conspectu regũ: & non confundebar.

Et meditabor in mãdatis tuis: quæ dilexi.

Et leuaui manus meas ad mandata tua, quæ dilexi: & exercebor in iustificationibus tuis.

MEmor esto uerbi tui seruo tuo, in quo mihi spem dedisti.

Hæc me cõsolata est in humilitate mea: quia eloquium tuum uiuificauit me.

Superbi inique agebant usquequaque: a lege autem tua non declinaui.

Memor fui iudiciorum tuorum a seculo domine: & consolatus sum.

Defectio tenuit me: pro peccatoribus derelinquentibus legem tuam.

Cantabiles mihi erant iustificationes tuę: in loco peregrinationis meæ.

Memor fui nocte nominis tui domine & custodiui legem tuam.

Hæc facta est mihi: quia iustificationes tuas exquisiui.

Portio mea domine: dixi custodire legem tuam.

Deprecatus sum faciem tuam in toto corde meo; miserere mei secundum eloquium tuum.

Cogitaui uias meas, & conuerti pedes meos: in testimonia tua.

Paratus sum & non sum turbatus: ut custodiam mandata tua.

Funes peccatorum circumplexi sunt me: & legẽ tuã non sum oblitus.

Media nocte surgebam ad confitẽdum tibi: super iudicia iustificationis tuę.

Particeps ego sum omnium timentiũ te: & custodientium mandata tua.

Misericordia domini plena est terra, iustificationes tuas doce me.

BOnitatem fecisti cum seruo tuo domine: secundum uerbũ tuũ.

Bonitatem & disciplinam & scientiam doce me: quia mandatis tuis credidi.

Priusquã humiliarer, ego deliqui: propterea eloquium tuum custodiui.

Bonus es tu: & in bonitate tua doce me iustificationes tuas.

Multiplicata est super me iniquitas superborum: ego autẽ in toto corde scrutabor mandata tua.

Coagulatum est sicut lac cor eorũ, ego uero legẽ tuã meditatus sum.

Bonum mihi: quia humiliasti me: ut discam iustificationes tuas.

Bonum mihi lex oris tui super millia auri & argenti.

Manus tuæ fecerunt me & plasmauerunt me: da mihi intellectum ut discam mandata tua.

Qui timent, uidebunt me, & lętabunt: quia in uerba tua super speraui.

Cognoui domine: quia æquitas iudicia tua: & in ueritate tua humiliasti me.

Fiat misericordia tua ut consoletur me: secundũ eloquiũ tuũ seruo tuo.

Veniant mihi miserationes tuę, & uiuam: quia lex tua meditatio mea est.

Confundantur superbi quia iniuste iniquitatem fecerunt in me: ego autem exercebor in mandatis tuis.

Conuertantur mihi timentes te: & qui nouerunt testimonia tua.

Fiat cor meum immaculatum in iustificationibus tuis: ut nõ confundar.

DEfecit in salutare tuũ anima mea & in uerbo tuo supersperaui.

Defecerunt oculi mei in eloquium tuum:

tuum: dicentes qñ consolaberis me?

Quia factus sum sicututer in pruina: iustificationes tuas nõ sum oblitus.

Quot sunt dies serui tui; quando facies de persequentibus me iudiciũ.

Narrauerunt mihi iniqui fabulationes: Sed non ut lex tua.

Omnia mandata tua ueritas: iniqui persecuti sunt me: adiuua me.

Paulominus cõsumauerunt me in terra: ego autem non dereliqui mandata tua.

Secundum misericordiam tuam uiuifica me: & custodiam testimonia oris tui.

In æternum domine: uerbum tuũ permanet in celo.

In generatione & generationem ueritas tua: fundasti terram & permanet.

Ordinatione tua perseuerat dies: quoniam omnia seruiunt tibi.

Nisi, quòd lex tua meditatio mea est: tunc forte perijssem in humilitate mea.

In æternum non obliuiscar iustificationes tuas: quia in ipsis uiuificasti me.

Tuus sum ego, saluum me fac; quoniam iustificationes tuas exquisiui.

Me expectauerunt peccatores ut perderẽt me, testimonia tua intellexi.

Omnis consumationis uidi finem: latum mandatum tuum nimis.

QVomodo dilexi legem tuam domine: tota die meditatio mea est.

Super inimicos meos prudentem me feciſti mandato tuo: quia in ęternum mihi est.

Super omnes docentes me intellexi: quia testimonia tua meditatio mea est.

Super senes intellexi: quia mandata tua quæsiui.

Ab omni uia mala prohibui pedes meos: ut custodiam uerba tua.

A iudicijs tuis non declinaui: quia tu legem posuisti mihi.

Quam dulcia faucibus meis eloquia tua; super meliori meo.

A mandatis tuis intellexi: propterea odiui omnem uiam iniquitatis.

Lucerna pedibus meis uerbũ tuũ: & lumen semitis meis.

Iurani & statui: custodire iudicia iustitię tuę.

Humiliatus sum usquequaque domine: uiuifica me secundum uerbum tuum.

Voluntaria oris mei beneplacita fac domine: & iudicia tua doce me.

Anima mea in manibus meis semper: & legem tuam non sum oblitus.

Posuerunt peccatores laqueum mihi: & de mandatis tuis non erraui.

Hęreditate acquisiui testimonia tua in ęternum: quia exultatio cordis mei sunt.

Inclinaui cor meum ad faciendas iustificationes tuas in ęternum: propter retributionem.

INiquos odio habui: & legem tuã dilexi.

Adiutor & susceptor meus es tu: & in verbum tuum supersperaui.

Declinate a me maligni: & scrutatur mandata Dei mei.

Suscipe me secundum eloquium tuum & uiuam: & non confundas me ab expectatione mea.

Adiuua

Adiuua me & saluus ero:& meditabor iniustificationibus tuis semper.

Spreuisti omnes discendentes a iudicijs tuis: quia iniusta est cogitatio eorum.

Prꝛuaricãtes reputaui omnes peccatores terræ, ideo dilexi testimonia tua.

Confige timore tuo carnes meas:a iudicijs enim tuis timui.

Feci iudicium & iustitiam:non tradas me calumniantibus me.

Suscipe seruum tuum in bonum: non calunientur me superbi.

Oculi mei defecerunt in salutare tuum: & in eloquium iustitiæ tuæ.

Fac cum seruo tuo:secundum misericordiam tuam: & iustificationes tuas doce me.

Seruus tuus sum ego, da mihi intellectum: vt sciam testimonia tua.

Tempus faciendi domine:dissipauerunt legem tuam.

Ideo dilexi mandata tua:super aurum,& topation.

Propterea ad omnia mandata tua diregebar: omnem viam iniquam odio habui.

MIrabilia testimonia tua domine: ideo scrutata est anima mea.

Declaratio sermonum tuorum illuminat, & intellectũ dat paruulis.

Os meum aperui, & attraxi spiritum:quia mandata tua desiderabam.

Aspice in me & miserere mei: secundum iudicium diligentium nomen tuum.

Gressus meos dirige secundum eloquium tuum, & non dominetur mei omnis iniustitia.

Redime me a calumnijs hominum vt custodiam mandata tua.

Facié tuã illumina super seruũ tuũ: & doce me iustificationes tuas.

Exitus aquarum deduxerunt oculi mei;quia nõ custodierunt legẽ tuã.

Iustus es, domine: & rectum iudicium tuum.

Mãdasti iustitiam testimonia tua: & veritatem tuam nimis.

Tabescere me fecit zelus meus, quia obliti sũt verba tua inimici mei.

Ignitum eloquium tuum vehemẽter: & seruus tuus dilexit illud.

Adolescentulus sum ego & contemptus,iustificationes tuas non sum oblitus.

Iustitia tua iustitia in æternum: & lex tua veritas.

Tribulatio & angustia *inuenerunt* me: mandata tua meditatio mea est.

AEquitas testimonia tua in eternum: intellectum da mihi & viuam.

CLamaui in toto corde meo exaudi me dñe: iustificatiões tuas reqrã.

Clamaui ad te saluum me fac, ut custodiam mandata tua.

Præueni in maturitate & clamaui, quia in uerba tua super speraui.

Præuenerunt oculi mei ad te diluculo:vt meditarer eloquia tua.

Vocem meam audi secundum misericordiam tuam domine: & secundum iudicium tuum viuifica me.

Appropinquauerunt persequentes me iniquitati: a lege autem tua longe facti sunt.

Prope es tu domine: & omnes viæ tuæ veritas.

Initio cognoui de testimonijs tuis: quia in æternum fundasti ea.

Vide humilitatem meam & eripe me:

me:quia legem tuam nō ſum oblitus.

Iudica iudicium meum & redime me: propter eloquium tuum viuifica me.

Longe a peccatoribus ſalus : quia iuſtificationes tuas non exquiſierunt.

Miſericordiæ tuæ multæ domine: ſecūdum iudicium tuum viuifica me.

Multi qui perſequuntur me & tribulant me : a teſtimonijs tuis non declinaui .

Vidi pręuaricantes & tabeſcebam: quia eloquia tua non cuſtodierunt.

Vide quoniam mandata tua dilexi dñe : in miſericordia tua viuifica me.

Principium verborum tuorum veritas:in æternum omnia iudicia iuſtitiæ tuæ .

Principes perſecuti ſunt me gratis: & à verbis tuis formidauit cor meū.

Lętabor ego ſuper eloquia tua: ſicut qui inuenit ſpolia multa .

Iniquitatem odio habui & abominatus ſum: legem autem tuam dilexi.

Septies in die laudem dixi tibi: ſuper iudicia iuſtitiæ tuæ.

Pax multa diligentibus legem tuā: & non eſt illis ſcandalum .

Expectabam ſalutare tuum domine : & mandata tua dilexi .

Cuſtodiuit anima mea teſtimonia tua: & dilexit ea vehementer.

Seruaui mandata tua & teſtimonia tua : quia omnes vię meæ in conſpectu tuo .

Appropinquet deprecatio mea in conſpectu tuo domine : iuxta eloquium tuum da mihi intellectum .

Intret poſtulatio mea in conſpectu tuo : ſecundum eloquium tuum eripe me .

Eructabunt labia mea hymnum : cum docueris me iuſtificationes tuas.

Pronunciabit lingua mea eloquiū tuū: quia omnia mandata tua ęquitas.

Fiat manus tua,ut ſaluet me: quoniam mandata tua elegi .

Concupiui ſalutare tuum domine: & lex tua meditatio mea eſt.

Viuet anima mea & laudabit te:& iudicia tua adiuuabunt me.

Erraui ſicut ouis,quæ perijt:quęre ſeruum tuum domine : quia mandata tua non ſum oblitus .

Interrogationes , quæ debent fieri infirmo morienti ſecundum beatum Anſelmum.& ſi eas ore confeſſus fuerit. & corde crediderit non eſt dubium de ſalute ſua .& primo interrogari debet in hoc modo dicens :

1 CRedis omnia, quæ ſunt fidei chriſtianę? ℟. Credo

2 Gaudes mori infide Chriſti? ℟. Gaudeo .

3 Recognoſcis te Deum multum offendiſſe ? Recognoſco

4 Doles de omni offenſa? Dolęo

5 Proponis de cętero ob omni offenſa peccati mortalis abſtinere? Diuino auxilio mediāte? ℟. Propono abſtinere.

6 Credis te meritis paſſionis Chriſti & non proprijs ad gloriam peruenire : Credo

Vltimo debet dicere ei :

SI occurrerit tibi inimicus, qui vult te mittere indeſperationem, ſemper opponas ei merita paſsionis Chriſti,in quo eſt ſalus.vita, & reſurrectio noſtra:per quem ſaluati & liberati ſumus. & ideo qui perſeuerauerit uſq; in finem hic ſaluus erit.

Egreſſa

Egressa autem anima dicitur hoc responsorium.

SVbuenite sancti Dei, occurrite angeli domini. Suscipientes animam eius. offerentes eam in conspectu altissimi:

℣. Suscipiat te Christus, qui vocauit te, & in sinum Abrahæ Angeli deducant te:

Suscipientes animam eius, offerentes eam in conspectu altissimi.

℟. Requiem æternam dona ei domine: & lux perpetua luceat ei.

Offerẽtes eã in cõspectu altissimi.

Deinde:

KIrie eleison. Christe eleison. Kirie eleison. Pater noster.

℣. Et ne nos inducas in tentationem.

℟. Sed libera nos a malo.

℣. Requiem æternam dona ei dñe.

℟. Et lux perpetua luceat ei.

℣. Aporta inferi.

℟. Erue domine animam eius.

℣. Requiescat in pace. ℟. Amen.

℣. Domine exaudi orationem meã.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo. *Oratio.*

Oremus.

TIbi Domine commendamus animam famuli tui. N. vt defunctus seculo tibi viuat: & quę per fragilitatem humanæ conuersationis peccata commisit, tu venia misericordissimæ pietatis absterge, per Christum dominum nostrum. Amen.

Tunc Sacerdos simpliciter dicat:

KIrie eleison. Christe eleison. Kirie eleison. Pater.

℣. Et ne nos inducas in tẽtationem.

℟. Sed libera nos a malo.

℣. In memoria ęterna erit iustus.

℟. Ab auditione mala non timebit.

℣. Ne tradas bestijs animam confitẽtem tibi.

℟. Et animas pauperum tuorum ne obliuiscaris in finem.

℣. Non intres in iudicium cũ seruo tuo domine.

℟. Quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens.

℣. Aporta inferi.

℟. Erue domine animam eius.

℣. Requiescat in pace. ℟. Amen.

℣. Domine exaudi orationem meã.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo. *Oratio.*

Oremus.

SVscipe domine animam famuli tui, quam de ergastulo huius seculi vocare degnatus es: & libera eã de locis pęnarum: quietis ac lucis æternæ beatitudine perfruatur: & inter sanctos, & electos tuos in resurrectionis gloria resuscitari per Christum dominum nostrum.

Deinde portatur corpus in ecclesiam & cantatur hoc Responsorium: Subueni te sancti, vt supra.

DEposito corpore in ecclesia duo Sacerdotes incipiãt absolute inuitatoriũ: Regem, cui omnia viuunt. fol. 12.

Et solemniter cantent totam vigiliam, uel primum nocturnum, vt infra. vel secundum ordinem breuiarij.

INCIPIT OFICIVM *paruulorum puerorum quando puer extrahit dicitur Antiphona.*

Sit nomen domini benedictum ex hoc nunc, & vsque in seculum.

Psalmus.

Lau-

LAudate pueri dominum: laudate nomen domini.

Sit nomen domini benedictum: ex hoc nunc & vsque in seculum.

A Solis ortu vsque ad occasum: laudabile nomen domini.

Excelsus super omnes gentes dominus: & super cœlos gloria eius.

Qui sicut dominus deus noster, qui in altis habitat: & humilia respicit in cœlo & in terra:

Suscitans a terra inopem: & de stercore erigens pauperem.

Vt collocet eum cum principibus: cum principibus populi sui.

Qui habitare facit sterilem in domo: matrem filiorum lętantem.

Et repetitur antiphona: Sit nomen. &c.

℣. Hic accipiet benedictionē à dño,

℟. Et misericordiā a Deo salutari suo.

Kirie eleison, Christe eleison. kirie eleison. Pater noster.

℣. Et ne nos inducas in tentationem.

℟. Sed libera nos a malo.

℣. Me autem propter innocentiam suscepisti.

℟. Et cōfirmasti me in conspectu tuo in æternum.

℣. Domine exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te ueniat.

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo. *Oatio.*

Oremus.

OMnipotens & mitissime Deus qui omnibus paruulis renatis fonte baptismatis dum migrant a seculo sine vllis eorum meritis vitam illico largiris æternam: sicut animæ huius paruuli, vel paruulæ credimus te fecisse, fac nos quæsumus per intercessionem beatę Mariæ semper virginis: & omnium electorum tuorum: hic purificatis tibi mentibus famulari: & in paradiso beatis paruulis perenniter sociari. per Christum dominū nostrū. Amē.

Antiph. Iuuenes & virgines, senes cū iunioribus laudate dominum de cęlis.

Psal. Laudate dominum de cœlis *cum gloria patri.* *quære folio 19.*

Kirie eleison. Christe eleison. Kirie eleison. Pater noster.

℣. Sinite paruulos venire ad me.

℟. Talium est enim regnum cœlorū.

℣. Domine exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te ueniat.

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo. *Oratio.*

Oremus.

OMnipotens sempiterne Deus sanctæ puritatis amator: qui animā huius paruuli ad cęlorum regnum hodie misericorditer vocare dignatus es: digneris etiam ita nobiscum misericorditer agere: vt meritis tuæ sanctissimæ passionis in eodem regno nos cū omnibus sanctis & electis tuis semper facias congaudere. qui viuis & regnas &c.

Antiph. Benedicite dominū. *Canticum trium puerorum.* *Psal.*

BEnedicite omnia opera domini domino, laudate, & super exaltate eum in secula.

Benedicite Angeli domini domino: benedicite cœli domino.

Benedicite aquæ omnes, quæ super cœlos sunt, domino: benedicite omnes virtutes domini domino.

Benedicite sol & luna domino: Benedicite steilę cœli domino.

Benedicite imber & ros domino: benedicite oēs spiritus Dei domino.

Benedicite ignis; & æstus domino: benedicite frigus & çstas Domino.

Benedicite rores& pruina domino: bene gelu & frigus domino.

Benedicite glacies & niues domino:benedicite noctes & dies dño.

Benedicite lux & tenebræ domino:benedicite fulgura, & nubes dño.

Benedicat terra dominum: laudet, & superexaltet eum in sæcula.

Benedicite montes & colles domino: benidicite uniuersa germinantia in terra domino.

Benedicite fontes domino:benedicite maria & flumina domino.

Benedicite cete, & omnia quę mouentur in aquis domino: benedicite omnes uolucres cœli domino.

Benedicete omnes bestiæ,& pecora domino:benedicite filij hominum domino.

Benedicat Israel dominum: laudet & superexaltet eum in secula.

Benedicite Sacerdotes domini domino:benedicite serui domini dño.

Benedicite spiritus;& animæ iustorum domino: benedicite sancti & humiles corde domino.

Benedicite Anania, Azaria, Misael domino:laudate & superexaltate eum in secula.

Benedicamus patrem & filium cũ sancto spiritu: laudemus & super exaltemus eum in secula.

Benedictus es domine in firmamento cęli, & laudabilis, & glorioſus, & super exaltatus in secula.

Antiph. Benedicite dominum omnes electi eius: agite diem lętitiæ: & confitemini illi. Amen. *Oratio.*

Oremus.

DEus qui miro ordine Angelorum ministeria,hominumque dispẽsas:concede propitius: vt quibus tibi ministrantibus in cœlo semper assisti tur; ab his in terra vita nostra muniatur. per dominum nostrum. Iesum Christum filium tuum,qui tecum viuit & regnat &c.

℣. Benedicamus domino. ℟. Deo gratias.& fidelium &c.

OFFICIVM DEFVNCTORVM.

Inuitatorium.

REgem,cui omnia viuunt. *Venite Adoremus.*

Regem,cui omnia viuunt. *Venite Adoremus.*

Venite exultemus domino. Iubilemus Deo salutari nro: preoccupemus faciem eius in confessione, & in *Psal.* Iubilemus ei.

Regem,cui omnia *viuunt*. *Venite* Adoremus.

Quoniam Deus magnus dominus& rex magnus super omnes Deos: quoniam non repellet dñs plebem suam, quia in manu eius sunt omnes fines terre,& altitudines montium ipse conspicit. Venite Adoremus.

Quoniamipsius est mare, & ipse fecit illud, & aridam fundauerunt manus eius: Venite adoremus. Et procidamus ante Deum:ploremus corã domino,qui fecit nos,quia ipse est dominus Deus noster, nos autem populus eius & oues pascuæ eius.

Regem cui omnia uiuunt. Venite Adoremus.

Hodie si uocem eius audieritis nolite obdurare corda vestra, sicut in exacerbatione secundum diem tentationis in deserto: vbi tentauerunt me patres vestri.probauerũt & viderunt opera mea. Venite Adoremus.

Quadraginta annis proximus fui ge-

generationi huic, & dixi ſemper: hi errant corde: ipſis vero non cognouerunt vias meas, quibus iuraui in ira mea, ſi introibunt in requiem meam.

Regem, cui omnia viuunt: Venite Adoremus.

Requiem æternam dona eis domine: & lux perpetua luceat eis: Venite Adoremus.

Regem, cui omnia viuunt: Venite Adoremus.

Antiph. Dirige.

Primum noct. 2. & 5. Fer.

VErba mea auribus percipe domine: intellige clamorem meum.

Intende voci orationis mei: Rex meus, & Deus meus.

Quoniam ad te orabo domine: mane exaudies uocem meam.

Mane aſtabo tibi & videbo: quoniã non Deus volens iniquitatem tu es.

Neque habitat iuxta malignus: neque permanebunt iniuſti ante oculos tuos.

Odiſti omnes, qui operantur iniquitatem: perdes omnes, qui locuntur mendacium.

Virum ſanguinum, & doloſum abominabitur dominus: ego autem in multitudine miſericordię tuæ.

Introibo in domum tuam: adorabo ad templũ ſanctũ tuum in timore tuo.

Dñe deduc me in iuſtitia tua: propter inimicos tuos dirige in conſpectu tuo viam meam.

Quoniam non eſt in ore eorum veritas: Cor eorum uanum eſt.

Sepulcrum patens eſt guttur eorũ: linguis ſuis doloſe agebant: iudica illos. Deus.

Decidant a cogitationibus ſuis, ſecundum multitudinem impietatum eorum expelle eos: quoniam irritauerunt te domine.

Et lętentur omnes qui ſperant in te: in æternum exultabunt, & habitabis in eis.

Et gloriabuntur inter omnes, qui diligunt nomen tuum: quoniam tu benedices iuſto.

Domine vt ſcuto bonæ voluntatis tuæ: coronaſti nos.

Requiem æternam dona eis domine: & lux perpetua luceat eis.

Antiph. Dirige domine deus meus in conſpectu tuo uiam meam.

Antiph. Conuertere domine.

DOmine ne in furore tuo arguas me: neq; in ira tua corripias me.

Miſerere mei domine, quoniam infirmus ſum: ſana me domine quoniam conturbata ſunt oſſa mea.

Et anima mea turbata eſt ualde: ſed tu domine uſquequo.

Conuertere domine, & eripe animam meam: ſaluum me fac propter miſericordiam tuam.

Quoniam non eſt in morte, qui memor ſit tui: in inferno autem quis confitebitur tibi?

Laboraui in gemitu meo, lauabo per ſingulas noctes lectum meum, lacrimis meis ſtratum meum rigabo.

Turbatus eſt a furore oculus meus: inueteraui inter omnes inimicos meos.

Diſcedite a me omnes, qui operamini iniquitatem: quoniam exaudiuit dominus vocem fletus mei.

Exaudiuit dominus deprecationẽ meam: dominus orationem meam ſuſcepit.

Erubeſcant & conturbentur uehementer omnes inimici mei: conuertantur, & erubeſcant valde velociter.

Requiem æternã dona eis domine. & lux perpetua luceat eis.

Antiph. Conuertere domine, & eripe animam meam: quoniã nõ est in morte qui memor sit tui.

Antiph. Ne quando.

DOmine Deus meus in te speraui: saluũ me fac ex omnibus persequentibus me, & libera me.

Ne quando rapiat vt leo animam meam: dum non est qui redimat, neq; qui saluum faciat.

Domine Deus meus si feci istud: si est iniquitas in manibus meis.

Si reddidi retribuentibus mihi mala: decidam merito ab inimicis meis inanis.

Persequatur inimicus animam meã: & comprehendat, & conculcet in terra uitam meam: & gloriam meam in puluerem deducat.

EXurge Domine in ira: & exaltare in finibus inimicorum meorum.

Et exurge domine deus meus in præcepto, quod mandasti: & Sinagoga populorum circundabit te.

Propter hanc in altum regredere dominus iudicat Populos.

Iudica me domine secundum iustitiam meam: & secundum innocentiam meam super me.

Consumetur nequitia peccatorum & diriges iustum: scrutans corda & renes Deus.

Iustum adiutorium meum a domino, qui saluos facit rectos corde.

Deus iudex iustus, fortis & patiẽs: nunquid irascetur per singulos Dies.

Nisi conuersi fueritis gladium suum vibrauit, arcum suum tetendit, & parauit illum.

Et in eo parauit vasa mortis: sagittas suas ardentibus effecit.

Ecce parturijt iniustitiam cõcepit dolorem: & peperit iniquitatem.

Lacum aperuit, & effodit eum: & incidit in foueam, quam fecit.

Conuersetur dolor eius in caput eius: & in uerticẽ ipsius iniquitas eius descendet.

Confitebor domino secundum iustitiam eius: & psallam nomini domini altissimi.

Requiem æternã dona eis domine. & lux perpetua luceat eis.

Antiph. Ne quando rapiat, ut leo animam meam: dum nõ est qui redimat. neque qui saluum faciat.

℣. A porta inferi.

℟. Erue domine animas eorum.

Pater noster. *secreto totum.*

Lectiones leguntur sine absolutione, & benedictione. *Lectio prima.*

PArce mihi domine: nihil enim sunt dies mei. quid est homo, quia magnificas eum; aut quid apponis erga eum cor tuum? visitas eum diluculo, & subito probas illum: vsque quo non parcis mihi, nec dimittis me vt glutiã saliuam meam? Peccaui. quid faciam tibi, o custos hominum? Quare posuisti me contrarium tibi. & factus sum mihi met ipsi grauis? Cur non tollis peccatum meum, & quare non aufers iniquitatem meam? ecce nunc in puluere dormiam. Et si mane me quæsieris, non subsistam.

Sic terminantur lectiones sine tu autem.

Respons. Credo quòd redemptor meus viuit: & in nouissimo die de terra surrecturus sum. Et in carne mea uidebo deum saluatorem meum.

℣. Quem visurus sum ego ipse, & nõ alius, & oculi mei conspecturi sunt.

Et

Et in carne mea uidebo Deum saluatorem meum.

Lectio secunda.

TAedet animā meam vitæ meæ: dimittam aduersum me eloquium meum. loquar in amaritudine animæ meæ, dicam Deo: noli me condemnare. indica mihi, cur me ita iudices? Nūquid bonum tibi videtur si calumnieris, & opprimas me opus manuum tuarum, & consilium impiorum adiuues? Nunquid oculi carnei tibi sunt, aut, sicut uidet homo, & tu uides? nunquid sicut dies hominis dies tui, & anni tui sicut humana sunt tempora, vt quæras iniquitatem meam, & peccatum meum scruteris? & scias quia nihil impium fecerim, cum sit nemo qui de manu tua possit eruere. *Respons.*

Qui Lazarum resuscitasti a monumento fætidum.

Tu eis domine dona requiem & locum indulgentiæ.

℣. Qui venturus es iudicare viuos & mortuos, & seculum per ignem.

Tu eis domine dona requiem, & locum indulgentiæ.

Lectio tertia.

MAnus tuę domine fecerunt me, & plasmauerunt me totum in circuitu, & sic repēte, precipitas me? memento quæso quod sicut lutum feceris me, & in puluerem reduces me. Nonne sicut lac mulsisti me, & sicut caseū me coagulasti? pelle & carnibus uestiti me, ossibus & neruis compegisti me. vitam, & misericordiam tribuisti mihi. & uisitatio tua custodiuit spiritum meum. *Respons.*

Domine quando veneris iudicare terrā, ubi me abscondā à vultu iręque? Quia peccaui nimis in uita mea.

℣. Commissa mea pauesco & ante te erubesco: dum veneris iudicare, noli me condemnare.

Quia peccaui nimis in uita mea.

℣. Requiem æternam dona eis domine, & lux perpetua luceat eis.

Quia peccaui nimis in uita mea.

In 2. nocturno. pro ferijs 3. & 6.

Antiph. In loco pascuæ.

DOminus regit me, & nihil mihi deerit in loco pascuę, ibi me collocauit.

Super aquam refectionis educauit me: animam meam conuertit.

Deduxit me super semitas iustitiæ: propter nomen suum.

Nam & si ambulauero in medio vmbrę mortis: non timebo malæ, quoniam tu mecum es.

Virga tua & baculus tuus: ipsa me consolata sunt.

Parasti in conspectu meo mensam: aduersus eos, qui tribulant me.

Impinguasti in oleo caput meum: & calix meus inebrians quam præclarus est.

Et misericordia tua subsequatur me: omnibus diebus uitæ meæ.

Et vt inhabitem in domo domini: in longitudine dierum.

℣. Requiem æternā dona eis domine.

℟. Et lux perpetua luceat eis.

Antiph. In loco pascuæ ibi me collocauit.

Psalmus.

AD te leuaui animam meam: Deus meus in te confido non erubescā.

Neque irrideant me inimici mei: etenim uniuersi qui sustinent te non confundentur.

Confundantur omnes iniqua agentes: superuacue.

Vias tuas Domine demonstra mihi:

hi:& ſemitas tuas edoce me.

Dirige me in ueritate tua, & doce me:quia tu es Deus Saluator meus. & te ſuſtinui tota die.

Reminiſcere miſerationum tuarū Domine: & miſericordiarum tuarum, quæ à ſeculo ſunt.

Delicta iuuentutis meę:& ignorantias meas ne memineris.

Secundum miſericordiam tuam memento mei tu:propter bonitatem tuā domine.

Dulcis & rectus dominus:propterhoc legem dabit deliquētibus in uia.

Diriget māſuetos in iudicio:docebit mites uias ſuas.

Vniuerſæ uiæ domini, miſericordia,& veritas:requirentibus teſtamentum eius,& teſtimonia eius.

Propter nomen tuum domine, propitiaberis peccato meo: multum eſt enim.

Quis eſt homo,qui timet dominū: legem ſtatuit ei in uia,quam elegit?

Anima eius in bonis demorabitur: & ſemen eius hæreditabit terram.

Firmamentum eſt dominus timentibus eum:& teſtamentum ipſius, vt manifeſtetur illis.

Oculi mei ſemper ad dominū:quoniam ipſe euellet de laqueo pedes meos.

Reſpice in me & miſerere mei:quia vnicus & pauper ſum ego.

Tribulationes cordis mei multiplicatæ ſunt:de neceſsitatibus meis erue me.

Vide humilitatem meam, & laborem meum: & dimitte vniuerſa delicta mea.

Reſpice inimicos meos, quoniam multiplicati ſunt:& odio iniquo oderunt me.

Cuſtodi animā meā,& erue me:nō erubeſcam,quoniam ſperaui in te.

Innocentes,& recti ad hęſerunt mihi:quia ſuſtinui te.

Libera Deus Iſral: ex omnibus tribulationibus ſuis.

℣. Requiē æternam dona eis domine.

℟. Et lux perpetua luceat eis.

Antiph. Delicta iuuentutis meæ, & ignorantias meas ne memineris.

Antiph. Credo uidere.

Pſalmus.

DOminus illuminatio mea, & ſalus mea:quem timebo.

Dominus proptector vitæ meæ:à quo trepidabo.

Dum appropiant ſuper me nocentes:vt edant carnes meas.

Qui tribulant me inimici mei, *ipſi* infirmati ſunt,& ceciderunt.

Si conſiſtant aduerſum me caſtra: non timebit cor meum.

Si exurgat aduerſum me prælium: in hoc ego ſperabo.

Vnam petij a domino hanc requiram: vt inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ.

Vt videam voluntatem domini:& viſitem templum eius.

Quoniam abſcondit me in tabernaculo ſuo;in die malorum protexit me, in abſcondito tabernaculi ſui.

In petra exaltauit me:& nunc exaltauit caput meū ſuper inimicos meos.

Circuiui, & immolaui in tabernaculo eius hoſtiam vociferationis: cantabo & Pſalmum dicam domino.

Exaudi Domine vocem meam,qua clamaui ad te: miſerere mei,& exaudi me.

Tibi dixit cor meum, exquiſiuit te facies

facies mea: faciem domine requiram.

Ne auertas faciem tuam ame, & ne declines in ira à seruo tuo.

Adiutor meus esto; ne de relinquas me: neque despicias me Deus salutaris meus.

Quoniã pater meus, & mater mea de reliquerunt me: Dominus autem assumpsit me.

Legem pone mihi domine in via tua: & dirige me in semitam rectam propter inimicos meos.

Ne tradideris me in animas tribulantium me: quoniam insurrexerunt in me testes iniqui: & mentita est iniquitas sibi.

Credo videre bona domini: in terra viuentium.

Expecta dominum, & viriliter age: & confortetur cor tuum, & sustine dominum;

℣. Requiem æternam dona eis Dñe.

℟. Et lux ꝑpetua luceat eis. *Antiph.*

Credo videre bona domini in terra viuentium.

℣. Collocet eos dñs cũ principibus.

℟. Cum principibus populi sui.

Pater noster. *totum secretum.*

Lectio quarta.

REsponde mihi, quantas habeo iniquitates, & peccata? scelera mea, & delicta ostende mihi. Cur faciẽ tuam abscondis, & arbitraris me inimicum tuum? Contra folium, quod vẽto rapitur, ostendis potentiam tuam, & stipulam siccam persequeris. scribis enim contra me amaritudines; & consumere me uis peccatis adolescentiæ meæ. Posuisti in neruo pedem meũ, & obseruasti omnes semitas meas, & vestigia pedum meorum considerasti: qui quasi putredo consumendus sum, & quasi vestimentum. quod comeditur a tinea.

℟. Memento mei Deus, quia ventus est vita mea, nec aspiciat me visus hominis.

℣. De profundis clamaui ad te domine, domine exaudi vocem meam.

Nec aspiciat me visus hominis.

Lectio quinta.

HOmo natus de muliere, breui viuens tempore, repletur multis miserijs, qui quasi flos egreditur, & conteritur, & fugit uelut umbra, & nũquam in eodem statu permanet, & dignum ducis super huiusce modi aperire oculos tuos, & adducere eum tecũ in iudicio. quis potest facere mundum de immundo conceptum semine, non ne, tu qui solus es? Breues dies hominis sunt, numerus mensium eius apud te est. Constituisti terminos eius, qui prætereri nõ poterũt. Recede ergo paululũ ab eo, ut quiescat, donec optata veniat, & sicut mercenarij dies eius.

℟. Hei mihi domine, quia peccaui nimis in vita mea; quid faciam miser, vbi fugiam, nisi ad te Deus meus? Miserere mei, dum veneris in nouissimo die.

℣. Anima mea turbata est valde, sed tu domine succurre ei. Miserere mei dum veneris in nouissimo die.

Lectio sexta.

QVis mihi hoc tribuat, vt in inferno protegas me, & abscondas me, donec pertranseat furor tuus, & constituas mihi tempus, in quo recorderis mei? Putas ne, mortuus homo rursum viuat? cunctis diebus, quibus nũc milito, expecto, donec ueniat, immutatio mea. uocabis me, & ego respõdebo tibi. operi manuum tuarum porriges dextram. Tu quidẽ gressus meos

di

di numeraſti, Sed parce peccatis meis. ℟. Ne recorderis peccata mea domine: Dum ueneris iudicare ſæculum per ignem.

℣. Dirige domine deus meus inconſpectu tuo uiam meam. Dum ueneris iudicare ſæculum per ignem.

Requiē ęternam dona eis domine.

Et lux perpetua luceat eis.

Dum ueneris iudicare ſæculum per ignem. *Antiph.*

In tertio nocturno proferia iiii. & ſabbato.

Antiph. Complaceat.

EXpectans expectaui dominum, & intendit mihi.

Et exaudiuit preces meas, & eduxit me de lacu miſeriæ, & de luto fæcis.

Et ſtatuit ſupra petram pedes meos, & direxit greſſus meos.

Et immiſit in os meum canticum nouum, carmen deo noſtro.

Videbunt multi, & timebunt, & ſperabunt in domino.

Beatus uir, cuius eſt nomen domini ſpes eius: & non reſpexit in uanitates & inſanias falſas.

Multa feciſti, tu domine deus meus mirabilia tua: & cogitationibus tuis non eſt qui ſimilis ſit tibi.

Annunciaui, & locutus ſum, multiplicati ſunt ſuper numerum.

Sacrificium, & oblationem noluiſti; aures autem perfeciſti mihi.

Holocauſtum & pro peccato non poſtulaſti: tunc dixi ecce uenio.

In capite libri ſcriptum eſt de me, ut facerem uoluntatem tuam: Deus meus uolui, & legem tuam in medio cordis mei.

Annunciaui iuſtitiam tuam in eccleſia magna: ecce labia mea non prohibebo, domine tu ſciſti.

Iuſtitiam tuam non abſcondi in corde meo: ueritatem tuam, & ſalutare tuum dixi.

Non abſcondi miſericordiam & veritatem tuam: à conſilio *multo*.

Tu autem domine, ne *longe facias* miſerationes tuas à me: miſericordia tua, & veritas tua ſp ſuſceperunt me.

Quoniam circundederunt me mala; quorum non eſt numerus: Comprehenderunt me iniquitates meæ: & non potui, ut viderem.

Multiplicatę ſunt ſuper capillos capitis mei: & cor meū de reliquit me.

Complaceat tibi domine, *ut eruas* me: domine ad adiuuandū *me reſpice.*

Confundantur, & reuereantur *ſimul*: qui quærunt animam meam, ut auferant eam.

Conuertantur retrorſum, & reuereantur qui volunt mihi mala.

Ferant confeſtim confuſionem ſuā qui dicunt mihi: euge euge.

Exultent & lętentur ſuper te omnes quærentes te: & dicant ſemper: magnificetur dominus, qui diligunt ſalutare tuum.

Ego autem mendicus ſum, & pauper: dominus ſolicitus eſt mei.

Adiutor meus & protector meus es tu: Deus meus ne tardaueris.

Requiem æternā dona eis domine

Et lux perpetua luceat eis.

Antiph. Complacet tibi domine, vt eruas me: domine ad adiuuandum me reſpice.

Antiph. Sana me domine. *Pſalmus.*

BEatus qui intelligit ſuper egenū, & pauperem in die mala liberabit

bit eum dominus.

Dominus conseruet eum, & viuificet eum, & beatum faciat in terra: & non tradat eum in animam inimicorum eius.

Dominus opem ferat illi super lectum doloris eius: vniuersum stratum eius versasti in infirmitate eius.

Ego dixi domine miserere mei: sana animam meam, quia peccaui tibi.

Inimici mei dixerunt mala mihi: quãdo morietur, & peribit nomẽ eius.

Et si ingrediebatur, ut videret, vana loquebatur: cor eius congregauit iniquitatem sibi.

Egrediebatur foras: & loquebatur in idipsum.

Aduersum me susurrabant omnes inimici mei: aduersum me cogitabant mala mihi.

Verbum iniquum constituerunt aduersum me: nunquid qui dormit, non adijciet, ut resurgat?

Etenim homo pacis meæ in quo speraui: qui edebat panes meos, magnificauit super me supplantationem.

Tu autem domine miserere mei, & resuscita me: & retribuam eis.

In hoc cognoui, quoniam voluisti me: quoniam non gaudebit inimicus meus super me.

Me autem propter innocentiam suscepisti: & confirmasti me in conspectu tuo in æternum.

Benedictus dominus Deus Israel à seculo, & vsque in seculum: fiat fiat.

℣. Requiem æternam dona eis dñe.

℟. Et lux perpetua luce at eis

Antiphona. Sana domine animam meam: quia peccaui tibi.

Antiphona: Sitiuit. *Psalmus.*

QVemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum: ita desiderat anima mea ad te Deus.

Sitiuit anima mea ad Deum fontem viuum: quando veniam, & apparebo ante faciem Dei.

Fuerunt mihi lacrimæ meæ panes die ac nocte: dum dicitur mihi quotidie: vbi est Deus tuus.

Hęc recordatus sum, & effudi in me animam meam: quoniam transibo in locum tabernaculi admirabilis, vsque ad domum Dei.

In voce exultationis, & confessionis: sonus epulantis.

Quare tristis es anima mea? & quare conturbas me?

Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi: salutare vultus mei, & Deus meus.

Ad me ipsum anima mea conturbata est: propterea memor ero tui de terra Iordanis, & hermonij à monte modico.

Abissus Abissum inuocat: in uoce catharactarum tuarum.

Omnia excelsa tua, & fluctus tui: super me transierunt.

In die mandauit dominus misericordiam suam: & nocte cãticum eius.

Apud me oratio Deo uitæ meæ: dicam Deo susceptor meus es.

Quare oblitus es mei, & quare contristatus incedo: dum affligit me inimicus?

Dum confringũtur ossa mea: exprobrauerũt mihi qui tribulant me inimici mei.

Dum dicũt mihi per singulos dies, ubi est Deus tuus? quare tristis es anima mea? & quare conturbas me?

Spera in Deo quoniam adhuc confitebor

ſitebor illi; ſalutare vultus mei, & Deus meus.

℣. Requiem æternã dona eis domine.

℟. Et lux perpetua luceat eis.

Antiphona. Sitiuit anima mea ad Deum fontem viuum. quando veniã, & apparebo ante faciem domini.

℣. Ne tradas beſtijs animas confitentes tibi.

℟. Et animas pauperum tuorum ne obliuiſcarijs in finem. Pater noſter.

Secretum totum. *Lectio ſeptimæ.*

SPiritus meus attenuabit r: dies mei breuiabuntur, & ſolum mihi ſuper eſt ſepulcrum. non peccaui: & in amaritudinibus moratur oculus meus libera me domine, & pone me iuxta te, & cuius vis manus pugnet contra me. Dies mei tranſierunt, cogitationes meæ diſsipatæ ſunt torquentes cor meum. Noctem verterũt in diem, & rurſum poſt tenebras Spero lucem. Si ſubſtinuero, infernus, domus mea eſt. & in tenebris ſtraui lectulum meum. putredini dixi: Pater meus es, mater mea & ſoror mea, vermibus. vbi eſt ergo nunc præſtolatio mea, & patientia mea? tues domine Deus meus.

℟. Peccantem me quotidie, & non me pœnitentem timor mortis conturbat me: Quia in inferno nulla eſt redẽptio: miſerere mei deus, & ſaluame.

Deus in nomine tuo ſaluum me fac, & in virtute tua libera me.

Quia in inferno nulla eſt reddemptio, miſerere mei Deus, & ſalua me.

Lectio octaua.

PElli meæ, conſumptis carnibus adhæſit os meũ, & derelicta ſunt tantummodo labia mea circa dentes meos. miſeremini mei, miſeremini mei, ſaltem vos amici mei, quia manus domini tetigit me. quare perſequimini me ſicut Deus, & carnibus meis ſaturamini? quis mihi tribuat vt ſcribantur ſermones mei? quis mihi det. ut exarentur in libro ſtilo ferreo & plumbi lumina, uel celte ſculpãtur in ſilice? ſcio enim, quòd redemptor meus viuit, & in nouiſsimo die de terra ſurrecturus ſum, & rurſum circundabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum ſaluatorem in eũ. Quem viſurus ſum ego ipſe, & oculi mei conſpecturi ſunt, & nõ alius. Repoſita eſt hęc ſpes mea in ſinu meo.

℟. Domine ſecundum actum meũ noli me iudicare, nihil dignũ in cõſpectu tuo egi: ideo deprecor maieſtatem tuam: Vt tu Deus: deleas *iniquitatem* meam.

℣. Amplius laua me domine ab *iniuſtitia* mea, & à delicto meo mũda me.

Vt tu Deus deleas iniquitatem meam. *Lectio nona.*

QVare đ vulua eduxiſti me? q̃ vtinam cõſumptus eſſem, ne oculus me videret, fuiſſem quaſi non eſsẽ de vtero tranſlatus ad tumulum, nunquid non paucitas dierum meorum finietur breui: dimitte me ergo, vt plãgam paululum dolorem meum, ante quam vadam, & non reuertar ad terram tenebroſam, & opertam mortis caligine. terram miſeriæ, & tenebrarum. vbi vmbra mortis, & nullus ordo, ſed ſempiternus horror inhabitat.

℟. Libera me domine de vijs inferni qui portas æreas confregiſti, & viſitaſti infernum; & dediſti eis lumen ut viderent te: Qui erant in pœnis tenebrarum.

℣. Clamantes & dicentes, aduenisti redemptor noſter. Qui erant in pœnis tenebrarum. Re-

Requiem æternam dona eis dominæ,& lux perpetua luceat eis. Qui erant in pœnis tenebrarum.

Ad laudes absolute incipit Antiphona. Exultabunt domino ossa humiliata.

Psalmus.

MIserere mei Deus: secundum magnam misericordiam tuam.

Et secundum multitudinem miserationum tuarum, dele iniquitatem meam.

Amplius laua me ab iniquitate mea: & à peccato meo munda me.

Quoniam iniquitatem meam ego cognosco: & peccatum meum contra me est semper.

Tibi soli peccaui & malum coram te feci: vt iustificeris in sermonibus tuis,& uincas,cum iudicaris.

Ecce enim in iniquitatibus cõceptus sum: & in peccatis concepit me mater mea.

Ecce enim in ueritatẽ dilexisti: in certa, & occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi.

Asperges me domine hissopo, & mundabor: lauabis me,& super niuẽ dealbabor.

Auditui meo dabis gaudium, & lętitiam: & exultabunt ossa humiliata.

Auerte faciem tuem a peccatis meis: & omnes iniquitates meas dele.

Cor mundum crea in me Deus: & spiritum rectum innoua in uisceribus meis.

Ne proijcias me à facie tua: & spiritum sanctum tuum ne auferas à me.

Redde mihi lætitiam salutaris tui: & spiritu principali confirma me.

Docebo iniquos uias tuas: & impij ad te conuertentur.

Libera me de sanguinibus Deus Deus salutis meæ: & exaltabit lingua mea iustitiam tuam.

Domine labia mea aperies: & os meum anunciabit laudem tuam.

Quoniam si uoluisses, sacrificium dedissem utique: holocaustis non delectaberis.

Sacrificium Deo spiritus contribulatus: cor contritum & humiliatum Deus non despicies.

Benigne fac domine in bona uoluntate tua Syon: vt ædificentur muri Ierusalem.

Tunc acceptabis sacrificium iustitiæ,oblationes,& holocausta: tunc imponent super altare tuum vitulos.

℣. Requiem æternam dona eis dñe.

℟. Et lux perpetua luceat eis.

Antiph. Exultabunt ossa humiliata.

Antiph. Exaudi Domine. *Psalmus.*

TE decet himnus Deus in Sion: & tibi reddetur uotum in Ierusalẽ.

Exaudi orationem meam: ad te omnis caro ueniet.

Verba iniquorum prævaluerunt super nos: & impietatibus nostris tu propitiaberis.

Beatus,quem elegisti, & assumpsisti: habitabit in atrijs tuis.

Replebimur in bonis domus tuæ: sanctum est templum tuum mirabile in æquitate.

Exaudi nos Deus salutaris noster: spes omnium finium terræ & in mari longe.

Præparans montes in virtute tua accinctus potentia: qui conturbas profundum maris sonum fluctuum eius.

Turbabuntur gentes, & timebunt qui habitant terminos à signis tuis: exitus matutini, & vespere delectaberis.

Visitasti terram & inebriasti eam: multiplicasti locupletare eam.

Flumen Dei repletum est aquis: parasti cibum illorum, quoniam ita est præparatio eius.

Riuos eius inebrians, multiplica genimina eius: instillicidijs eius lætabitur germinans.

Benedices coronæ anni benignitatis tuę: & campi tui replebuntur vbertate.

Pinguescent speciosa deserti: & exultatione colles accingentur.

Inducti sunt arietes ouium: & valles abundabunt frumento: clamabunt, & enim hymnum dicent.

℣. Requiem æternam dona eis dñe.
℟. Et lux perpetua luceat eis.

Antiph. Exaudi orationem meam: ad te omnis caro veniet.

Antiph. Me suscepit dextera tua.

Psalmus.

DEus Deus meus ad te de luce vigilo.

Sitiuit in te anima mea: quam multipliciter tibi caro mea.

In terra deserta, inuia, & inaquosa sic in sancto apparui tibi: vt viderem virtutem tuam, & gloriam tuam.

Quoniam melior est misericordia tua super vitas: labia mea laudabũt te.

Sic benedicam te in vita mea: & in nomine tuo laudabo manus meas.

Sicut adipe, & pinguedine repleatur anima mea: & labijs exultationis laudabit os meum.

Sic memor fui tui super stratum meum in matutinis meditabor in te: quia fuisti adiutor meus:

Et in velamento alarum tuarum exultabo, adhæsit anima mea post te: me suscepit dextera tua.

Ipsi uero in vanum quæsierunt animam meam, introibunt in inferiora terræ: tradentur in manus gladij partes vulpium erunt.

Rex vero lætabitur in Deo, laudabuntur omnes qui iurant in eo: quia obstructum est os loquentium iniqua.

Deus misereatur nostri, & benedicat nobis: illuminet vultum suum super nos, & misereatur nostri.

Vt cognoscamus in terra viam tuá: in omnibus gentibus salutare tuum.

Confiteantur tibi populi Deus: confiteantur tibi populi omnes.

Lętentur, & exultent gentes, quoniam iudicas populos in æquitate: & gentes in terra dirigis.

Confiteantur tibi *populi Deus, confiteantur tibi populi omnes: terra dedit fructum suum.*

Benedicat nos Deus, Deus noster. benedicat nos Deus: & metuant eum omnes fines terræ.

℣. Requiem æternam dona eis dñe.
℟. Et lux perpetua luceat eis.

Antiph. Me suscepit dextera tua dñe.

Antiph. A porta inferi. ℟.

Psalmus.

EGo dixi in dimidio dierum meorum: vadam ad portas inferi.

Quæsiui residuum annorum meorum: dixi, non uidebo dominum in terra viuentium.

Non Aspiciam hominem ultra: & habitatorem quietis.

Generatio mala ablata est, & conuoluta est à me: quasi tabernacula pastorum.

Præcisa est velut à texente vita mea: dum adhuc ordirer succidit me, de mane usque ad uesperã finies me.

Spe-

Sperabam vſque ad mane, quaſi Leo:ſic contriuit omnia oſſa mea.

De mane uſque ad ueſperam finies me:ſicut pullus hirundinis,ſic clamabo,meditabor,vt columba.

Attenuati ſunt oculi mei:ſuſpicentes in excelſo.

Domine, uim patior,reſponde pro me:quid dicam, aut quid reſpondebit mihi,cum ipſe fecerit?

Recogitabo tibi omnes annos meos;in amaritudine animæ meæ.

Domine ſi ſic viuitur,& in talibus vita ſpiritus mei:corripies me,& viuificabis me,ecce in pace amaritudo mea amariſsima.

Tu autem eruiſti animam meam, vt non periret:proieciſti poſt tergum tuum omnia peccata mea.

Quia non infernus confitebitur tibi:neque mors laudabit te:non expectabunt qui deſcendunt in lacum ueritatem tuam.

Viuens uiuens ipſe confitebitur tibi,ſicut & ego hodie: pater filijs notam faciet ueritatem tuam.

Domine ſaluum me fac:& pſalmos noſtros cantabimus cunctis diebus vitæ noſtræ in domo domini.

℣. Requiem æternam dona eis dñe. ℟. Et lux perpetua luceat eis. *Antiph.* A porta inferi erue dñe animam eius. *Antiph.* Omnis ſpiritus laudet dñm.

LAudate dominum de cęlis:laudate eum in excelſis.

Laudate eum omnes angeli eius: laudate eum omnes virtutes eius.

Laudate eum ſol,& luna: laudate eum omnes ſtellæ, & lumen.

Laudate eum cœli cœlorum: & aquę omnes, quæ ſuper cœlos ſunt, laudent nomen domini.

Quia ipſe dixit, & facta ſunt: ipſe mandauit,& creata ſunt.

Statuit ea in ęternum, & in ſeculũ ſeculi,præceptum poſuit,& non præteribit.

Laudate dominum de terra:dracones & omnes abiſsi.

Ignis grando,nix, glacies, ſpiritus procellarum:quæ faciunt uerbũ eius.

Montes, & omnes colles:ligna fructifera, & omnes cedri.

Beſtiæ,& uniuerſa pecora: ſerpentes,& volucres pennatæ.

Reges terræ, & omnes populi:principes,& omnes iudices terræ.

Iuuenes,& uirgines, ſenes cum iunioribus, laudẽt nomen domini: quia exaltatum eſt nomen eius ſolius.

Confeſsio eius ſuper cœlum,& terram:& exaltauit cornu populi ſui.

Hymnus omnibus ſanctis eius filijs Iſrael,populo appropinquanti ſibi.

Cantate domino Canticum nouum: laus eius in eccleſia ſanctorum.

Lætetur Iſrael in eo, qui fecit eum: & filiæ ſion exultent in rege ſuo.

Laudent nomen eius in choro: in timpano,& pſalterio pſallant ei.

Quia beneplacitum eſt domino in populo ſuo:& exaltauit manſuetos in ſalutem.

Exultabunt ſancti in gloria:lætabũtur in cubilibus ſuis.

Exultationes Dei in guttere eorũ: & gladij ancipites in manibus eorum.

Ad faciendam uindictã in nationibus: increpationes in populis.

Ad alligandos reges eorum in cõpedibus:& nobiles eorum in manicis ferreis.

Vt faciant in eis iudicium conſcriptum: gloria hæc eſt oĩb. ſanctis eius.

Laudate

Laudate dominum in ſanctis eius : laudate eũ infirmamẽto virtutis eius.

Laudate eum in uirtutib. eius: laudate eum ſecũdum multitudinem magnitudinis eius.

Laudate eum in ſono tubæ: laudate eum in pſalterio, & cithara.

Laudate eum in timpano & choro: laudate in chordis, & organo.

Laudate eum in cimbalis bene ſonantibus; laudate eum in cimbalis iubilationis: omnis ſpiritus laudet dñm.

℣. Requiem æternam dona eis dñe.

℟. Et lux perpetua luceat eis.

Antiph. Omnis ſpiritus laudet dñm.

Et ſtatim cantantur Letaniæ.

KIrie eleiſon. Chriſte eleiſon. Kirie eleiſon.

Chriſte audi nos. Chriſte exáudi nos.

Pater de cœlis Deus. Miſere nobis.

Fili redemptor mundi Deus. Miſerere nobis.

Spiritus ſancte Deus. Miſerere nobis.

Sãcta trinitas vnus Deus. Miſ. nobis.

Sancta Maria. Ora pro nobis.

Sancta Dei genitrix ora.

Sancta Virgo virginum ora.

Sancte Michael ora.

Sancte Gabriel ora.

Sancte Raphael ora.

Oẽs ſancti Angeli, & Arcãgeli. orate.

Oẽs S. beatorũ ſpirituũ ordines. orate.

Sancte Ioannes baptiſta ora.

Oẽs sãcti Patriarchæ, & Proph. orate.

Sancte Petre ora.

Sancte Paule ora.

Sancte Andrea ora.

Sancte Iacobe ora.

Sancte Ioannes ora.

Sancte Thoma ora.

Sancte Iacobe ora.

Sancte Philippe ora.

Sancte Bartholomæe ora.

Sancte Matthæe ora.

Sancte Simon ora.

Sancte Thadæe ora.

Sancte Matthia ora.

Sancte Barnaba ora.

Sancte Luca ora.

Sancte Marce ora.

Oẽs S. Apoſtoli, & Euangeliſtę. orate.

Omnes S. diſcipuli domini orate.

Omnes ſancti innocentes orate.

Sancte Stephane ora.

Sancte Laurenti ora.

Sancte Vincenti. ora.

Sancti Fabiane, & Sebaſtiane. orate.

Sancti Ioannes, & Paule orate.

Sancti Coſma, & Damiane. orate.

Sancti Geruaſi & Prothaſi orate.

Omnes ſancti Martires orate.

Sancte Silueſter ora.

Sancte Gregori ora.

Sancte Ambroſi ora.

Sancte Auguſtine ora.

Sancte Hyeronime. ora.

Sancte Martine ora.

Sancte Nicolae ora.

Oẽs S. Pontifices, & Confeſſores. ora.

Omnes ſancti Doctores. ora.

Sancte Benedicte. ora.

Sancte Antoni ora.

Sancte Bernarde ora.

Sancte Dominice ora.

Sanſte Franciſce ora.

Oẽs ſancti Sacerdotes, & leuitæ. orat.

Oẽs ſancti Monachi, & Eremitæ. orat.

Sancta Maria Magdalena ora.

Sancta Agatha ora.

Sancta Lucia ora.

Sancta Agnes ora.

Sancta Cecilia ora.

Sancta Catherina ora.

Sancta Anaſtaſia ora.

Om-

Oēs ſanctæ virgines,& viduæ. orate. Omnes ſancti,& ſanctæ Dei. orate. Chriſte audi nos. Chriſte exaudi nos. Kirie eleiſon. Chriſte eleiſon.

Et ſtatim cantatur miſſa,ſi tempus congruum fuerit. Qua finita Sacerdos incipiat abſolute hanc Orationem, ſine Oremus.

NOn in intres in iudicium cum ſeruo tuo domine:quia nullus apud te iuſtificabitur homo:niſi per te omnium peccatorum ei tribuatur remiſſio:non ergo cum quęſumus tua iudicialis ſententia premat:quem tibi vera ſupplicatio fidei Chriſtianæ commendat; ſed gratia tua illi ſuccurrente mereatur euadere iudicium vltionis: qui dum viueret inſignitus eſt ſignaculo ſanctæ trinitatis, qui viuis,& regnas Deus in ſecula ſecul. ℟. Amen.

POST *iſtam orationem cantores incipiant iſtud reſponſorium*:Subuenite fol.12. *ante quam finiatur reſponſorium, Diaconus cum deferentibus incenſum & aquam benedictam accedit ad celebrantē & cum cantatur, Requiem æternam,accipit Thuribulum,& nauicellam, & accedit ad ipſum celebrātem,& offert Thuribulum, Diacono uero nauicellam.Celebrans imponit incenſum in Thuribulo dicens*: Ab illo benedicaris, cuius honore cremaberis. *Deinde cum cantores cantant kirieleiſon. Omnes ſurgunt:& ipſe celebrans dicit voce competenti*: Pater noſter. *Et mox capit aſperſorium de manu diaconi, & circuit feretrum aſpergens illum aqua benedicta & cum tranſit ante crucem, facit reuerentiam inclinando caput cruci,& facto circuitu, reddit aſperſorium diacono, & de eius manu capit Thuribulum & ſimili modo incenſet circum circa inclinādo ſe cruci. Vt autem compleuit girum, reddit Thuribulum diacono, & reuertitur ad locum ſuum & ſtans vocem competenti, tenente librum ante ipſum diacono,dicit*: Et ne nos inducas intentationem.& ℟. Sed libera nos a malo. ℣. Aporta inferi.& ℟. crue domine animam eius.

℣. Requieſcat in pace. ℟. Amen.

℣. Domine exaudi orationē meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiſcum. ℟. & cum ſpiritu tuo. Oremus.

DEus cui omnia viuunt: & cui non pereunt moriendo corpora noſtra,ſed mutantur in melius:te ſupplices deprecamur: ut ſuſcipias animam famuli tui. N. per manus ſanctorum Angelorum deducendam in ſinu amici tui Abraæ Patriarchæ: reſuſcitandamque in nouiſsimo iudicij magni die: & quicquid vitiorum diabolo tallente cō traxit: tu pius & miſericors abluas indulcendo per Chriſtum dominum noſtrum,qui tecum viuit,& regnat in ſecula ſeculorum.

Finita oratione cantatur Reſponſorium.

QVI Lazarum reſuſcitaſti a monumento fętidum. Tu eis domine dona requiē,& locum indulgentiæ.

℣. Qui venturus es iudicare vuos,& mortuos, & ſeculum per ignem.

Tu eis domine dona requiem,& locum indulgentiæ.

℣. Requiem æternam dona eis dñe.

℟. Et lux perpetua luceat eis. Tu eis domine dona requiem,& locum indulgentiæ.

Et cum dicitur Kirie eleiſon,*diaconus interim cum portantibus incenſum, & aquam benedictam accedit ad celebrātem,& cum dicitur*: Requiem,*imponitur*

nitur incensum. Ad Kirie eleison, omnes surgunt, & celebrans dicit pater noster. aspergit, & incensat, ut prius, & reuersus ad locum suum dicit:

℣. Et ne nos inducas intentationem.
℟. Sed libera nos a malo.
℣. Aporta inferi. ℟. Erue domine animam eius.
℣. Requiescat in pace. ℟. Amen.
℣. Dñe exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo. Oremus.

FAC quęsumus dñe hanc cũ seruo tuo defuncto misericordiã: ut facto rũ in pęnis non recipiat vicẽ: qui tuã in votis tenuit voluntatem: ut sic vt eũ vera fides iniunxit fidelium turmis: ita illic eum tua miseratio societ angelicis choris. per Christum dominum nostrum. Amen.

Oratione completa omnes sedent, & chorus cantat Responsorium.

NE recorderis peccata mea domine: Dum veneris iudicare seculum per ignem.
℣. Dirige domine Deus meus in conspectu tuo viam meam: Dum veneris iudicare seculum per ignem.

Finito vero Responsorio, chorus incipit:

KIrie eleison Christe eleison. Kirie eleison, & interim ponitur incẽsum, & ad Kirie eleison omnes surgũt, vt supra. & celebrans dicit pater noster. aspergit & incensat, vt prius, & reuersus ad locum suum dicit:

℣. Et ne nos inducas in tentationem.
℟. Sed libera nos à malo.
℣. Aporta inferi. ℟. Erue domine animam eius.
℣. Requiescat in pace. ℟. Amen.
℣. Domine exaudi orationẽ meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo. Oremus.

INclina domine aurem tuam ad preces nostras: quibus misericordiam tuam supplices deprecamur: ut animi famuli tui. N. quam de hoc seculo migrare iussisti in pacis: ac lucis regione constituas, & sanctorum tuorum iubeas esse consortem. per Christum dominum nostrum. Amen.

Oratione finita omnes sedent. & chorus cantat Responsorium.

LIbera me domine de morte æterna, in die illa tremenda quando cęli mouendi sunt, & terra. Dum veneris iudicare seculum per ignem.
℣. Tremens factus *sum ego, & timeo* dum discussio venerit, atque *ventura* ira.

Quando cœli mouẽdi sunt, & terra.
℣. Dies illa dies iræ, calamitatis, & miseriæ, dies magna, & amara valde.

Dum veneris iudicare seculum per ignem.
℣. Requiem æternam dona eis domine, & lux perpetua luceat eis.

Libera me domine de morte ęterna in die illa tremenda, quando cęli mouendi sunt, & terra.

Dum veneris iudicare seculum per ignem.

Finito vero responsorio Chorus incipiet Kirie eleison, Christe eleison. Kirie eleison, & interim ponitur incensum, & ad Kerie eleison omnes surgunt. vt supra, & celebrans dicit pater noster, aspregit, & incensat ipsè solus ut prius, & reuersus ad locum suum dicit:

℣. Et ne nos inducas intentationem.
℟. Sed libera nos à malo.
℣. Requiem æternam dona eis domine.

mine. ℟. Et lux perpetua luceat eis.
℣. A porta inferi.
℟. Erue domine animam eius. ℣. Rquiescat in pac. ℟. Amen.
℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te ueniat.

Oremus

ABsolue quęsumus domine animã famuli tui: N. ut defunctus seculo, tibi viuat: & quæ per fragilitatem humanæ conuersationis peccata commisit: tu uenia misericordissimæ pietatis absterge. per Christum dominum nostrum. ℟. Amen.

Finita oratione dictus celebrans, aut Sacerdos præcipiat portitoribus, ut accipiant feretrum. illi vero accipientes deportent eum ad tumulum: & dum deportatur, clerici cantent has sequentes Antiphonas. Antiphona.

IN paradisum deducant te Angeli: in tuo aduentu suscipiant te martires, & perducant te in Ciuitatem sanctam Ierusalem. *Antiphona.*

CHorus Angelorum te suscipiant: & cum. Lazaro quondam paupere æternam habeas requiem.

Cum autem peruenerit ad tumulum, Sacerdos cum feretro stet iuxta tumulũ: & cantatis antiphonis, sacerdos dicat orationem. Oratio.

DEus, qui fundasti terram: formasti cœlos: qui loca sideribus stabilita fixisti: qui captiuum laqueo mortis hominem lauacri ablutione reparasti: qui sepultos Abraham, Isaac, & Iacob in spelunca duplici in libro vitæ: atque totius gloriæ principes annotasti benedicendos: ita benedicere digneris † hunc tumulum famuli tui. N. vt hic cum requiescere facias: & in sinu Abrahæ, Isaac, & Iacob collocare digneris: qui dominũ nostrum Iesum Christum contritis laqueis infernorũ Credentium resurgere se; suorumque membra resuscitare voluisti: Respice domine super hanc fabricam sepulturæ: descendat ad eam domine spiritus sanctus: ut te iubente sit in hoc loco famulo tuo quieta dormitio, & tempore iudicij cum sanctis tuis omnibus vera resurrectio: præstante eodem domino nostro Iesu Christo; qui tecum, & cum spiritu sancto tuo viuit, & regnat in secula seculorum. Amen.

Antiphona ad Benedictus. Ego sum.

BEnedictus Dominus Deus Israel: quia visitauit, & fecit redemptionem plebis suæ.

Et erexit cornu salutis nobis: in domo Dauid pueri sui.

Sicut locutus est per os sanctorum: qui à seculo sunt Prophetarum eius.

Salutem ex inimicis nostris: & de manu omnium, qui oderunt nos.

Ad faciendam misericordiam cum patribus nostris: & memorari testamenti sui sancti.

Ius iurandũ, quod iurauit ad Abraham patrem nostrũ: daturũ se nobis.

Vt sine timore de manu inimicorum nostrorũ liberati, seruiamus illi.

In sanctitate, & iustitia coram ipso: omnibus diebus nostris.

Et tu puer propheta altissimi: uocaberis: præibis enim ante faciem domini parare uias eius.

Ad dandam scientiam salutis plebi eius: in remissionem peccatorũ eorũ.

Per uiscera misericordiæ dei nostri: in quibus visitauit nos oriens ex alto.

Illuminare his, qui in tenebris, & vmbra mortis sedent: ad dirigendos

pedes nostros in viam pacis.

Requiem æternam dona ei domine: & lux perpetua luce at ei. *Antipho.*

Ego sum resurrectio, & vita. qui credit in me, etiam si mortuus fuerit, viuet: & omnis, qui viuit, & credit in me, non morietur in æternum. postea sacerdos dicat has orationes sequentes:

Oratio. Oremus.

FRatres Charissimi pro spiritu fratris, uel sororis nostræ, quem dominus Deus de laqueo huius seculi liberare dignatus est: cuius corpusculum hodie sepulturæ traditur: vt eum pietas domini in sinu Abrahæ, Isaac, & Iacob collocare dignetur: vt cum iudicij dies aduenerit inter sanctos & electos suos cum parte dextra collocandum resuscitari faciat, per Christũ dominum nostrum. Amen.

Oratio.

DEus, cui omnia viuunt: & cui non pereunt moriendo fideliũ corpora: Sed mutantur in melius: te supplices deprecamur: ut quicquid anima famuli tui. N. vitiorum: tuæque uoluntati contrarium: fallente diabolo: seu propria iniquitate, uel fragilitate cõtraxit: tu pius, ac misericors abluas indulgendo: eamque suscipi iubeas per manus sanctorum Angelorũ tuorum deducendam in sinum Patriarcharum, & Prophetarum tuorum. Abrahæ: scilicet amici tui: Isaac electi tui: & Iacob dilecti tui: à quo aufugit dolor, atque tristitia, & suspirium: fidelium quoque animę felici iocunditate lætantur: & in nouissimo iudicij magni die inter sanctos, & electos tuos eam facias perpetuæ gloriæ percipere portionem: quam oculus non vidit: nec auris audiuit: nec in cor hominis ascendit: quam pręparasti diligentibus te, per Christum dominum nostrum. Amen.

Oratio.

TEmeritas quidem est domine: vt homo hominem: cinis cinerem: mortalis mortalem tibi domino deo nostro audeat commendare. Sed quia terra suscipit terram: & puluis conuertitur in puluerem, donec omnis caro in suam redigatur originem: inde tuá pijssime pater lacrimabiliter quæsumus pietatem: vt huius famuli tui. N. animam, quam de huius seculi cœnulenta voragine ducis ad Patriã: Abrahæ amici tui sinu recipias: & refrigerij rore perfundas: sit ab æstuantis gehennæ truci incendio segregata: & beatæ requici tuæ, te donante, coniuncta: & si quæ sunt illi domine dignæ cruciatibus culpæ: tu ei gratia mitissimæ lenitatis indulge: nec peccati recipiat uicem, qui tuam in uotis tenuit voluntatem. Cumque, finito mundi termino, supernum cunctis illuxerit regnũ: nouus homo sanctorum omnium cętibus aggregetur, cum electis tuis resurgat: in parte dextra coronãdus per Christum dominum nostrum. Amen.

Oratio.

OPus est misericordię, domine sancte Pater omnipotens, æterne deus, rogare pro alijs: & qui pro nostris supplicare peccatis nequaquam sufficimus: suscipe, rogamus, animam famuli tui. N. reuertentem ad te. adsit ei Angelus testamenti tui Michael: & per manus sanctorum Angelorum tuorum: inter sanctos, & electos tuos: in sinibus Abrahę, Isaac, & Iacob Patriarcharum tuorum eam collocare digneris, libera eam domine de principibus tenebrarum, & de locis pœnarum: ne famulus tuus ullis iam prin-

cuæ

uæ natiuitatis uel ignorantiæ confundatur erroribus. Agnoscatur à tuis: & misericordia bonitatis tuæ ad locum refrigerij, & quietis in sinum Abrahæ transferatur, per Christum dominum nostrum. Amen. *Oratio.*

DEbitum humani corporis sepeliendi officium fidelium more complentes. Deum, cui omnia viuunt fideliter deprecemur: ut hoc corpus fratris nostri, uel sororis nostræ. N. à nobis in infirmitate sepultum in ordine sanctorum suorum resuscitet: & eius spiritum sanctis ac fidelibus aggregari iubeat: cum quibus inenarrabili gloria, & peremni felicitate pfrui mereatur, per Christum dominum nostrum. Amen. *Oratio.*

OMnipotés sempiterne Deus: qui humano corpori animam inspirare degnatus es: dum, te iubente, puluis redit in puluerem: tu imaginem tuam cum Sanctis, & electis tuis ęternis sedibus iubeas sociari, per dominũ nr̃m Iesum Christum filiũ tuũ &c.

His omnibus finitis post quam sepultum fuerit corpus: Celebrans siue Sacerdos cum aqua benedicta aspergat tumulum & dicat alta voce: Pater noster. *& omne sub silentio dicat: Pater noster qui es in cœlis &c.*

℣. Et ne nos inducas intentationem.
℟. Sed libera nos a malo.
℣. Non intres in iudicium cum seruo tuo domine.
℟. Quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens.
℣. Aporta inferi. ℟. Erue Domine animam eius.
℣. Requiescat in pace. ℟. Amen.
℣. Domine exaudi orationem meã.
℟. Et clamor meus ad te ueniat.
℣. Dominus uobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo. Oremus.

Oratio.

SAtisfaciat tibi quæsumus Domine Deus noster, pro anima famuli tui. N. fratris nostri, uel sororis nostrę, Beatissimæ dei genitricis, semperque uirginis Mariæ: & beatorum apostolorum Petri, & Pauli, omniumque sanctorum tuorum oratio: & pręsentis familiæ tuę humilis, & deuota supplicatio: ut peccatorum omnium ueniam, quam precamur, obtineat: nec eum patiaris cruciari gehemnalibus flammis, quem filij tui domini nostri Iesu Christi prætioso sanguine redemisti. qui te cum, & spiritu sancto uiuit, & regnat Deus per omnia sæcula sæculorum, amen. Dominus uobiscum. & cum spiritu tuo, *Sacerdos dicat:*

ANima eius, & animæ omnium fidelium defunctorum per misericordiã Dei requiescãt in pace. Amen.

Et statim cantor incipiat Responsoriũ:

MEmento mei Deus: quia uentus est uita mea, nec aspiciat me uisus hominis:
℣. Deprofundis clamaui ad te domine: domine exaudi uocem meam.
Nec aspiciat me uisus hominis.
℣. Requiem æternam dona ei domine: & lux perpetua luceat ei.
Nec aspiciat me uisus hominis.

Cum reuertuntur in ecclesiam ordinate stent in choro: & finito responsorio Sacerdos dicat: Pater noster.

℣. Et ne nos inducas intentationem.
℟. Sed libera nos à malo. *Oratio.*

TIbi domine commendamus animam famuli tui: ut defunctus sęculo, tibi uiuat: & peccata, quæ per fragilitatem humanæ conuersationis cõ-

misit: tu uenia misericordissimè pietatis absterge, per Christum dominũ.

IN funere secularium hoc modo fiat officium: *Sacerdos cum superpellicio, stola, & pluuiali in medio stans absolute, & sine oremus incipiat orationem: Non intres, quam inuenies.* fol. 20. *Post istam orationem cantor incipiat* ℟. *Sub venite. quod inuenies* fol. 12. *Finito uero responsorio, chorus incipiet* Kirie elei son. *inter imponitur incensum, ut supra* folio 20. *postea aspergit, & incensat, ut prius, & reuersus ad locum suum, dicit:* & ne nos inducas &c. *postea oratio.* Deus cui omnia uiuũt *ut supra* fol. 20. *Finita oratione cantatur* ℟. libera me domine cum suis uersibus & requiem *vt supra* fol. 20. *finito responsorio, modo, & ordine, vt supra, aspergit, & incensat. deinde,* & ne nos &c. Requiem ęternam &c. *Oratio.*

Absolue quæsumus animam famuli: vt defunctus sæculo &c. ut supra fol. 21. *Finita oratione dictus Sacerdos præcipiat portitoribus, vt accipiant feretrum. illi uero accipientes deportent eum ad tumulum. & dum deportatur, clerici cantant has sequentes antiphonas:* In paradisum *vt supra* fol. 21. *postea añ: ad benedictus:* Ego sum. *Psalmus:* Benedictus dñus Deus Israel. *Antiph.* ego sũ *tota dicatur post Psalm. vt supra* fol. 21.

Finita antiph. Sacerdos cum aqua benedicta Aspergat tumulum, & dicat alta voce: Pater noster &c. *vt supra* fol. 22. *& dicta oratione.* Satisfaciat tibi fol. 22. *Sacerdos dicat:* Anima eius, & animæ omnium fidelium defunctorũ per misericordiam Dei Requiescant in pace. Amen. *Et statim cantor incipiat* ℟. Memento mei deus *cum reliquis, ut supra* fol. 22.

DE SEPTEM SACRAMENTIS ECCLESIAE.

Sacramentum quid sit.

D. Augustl. libro. 10. de Ciuitate Dei, sic diffinit: Sacramentum est sacræ rei signum. hæc diffinitio habetur de cõsecr. d. 2. c. Sacrificium. *hæc* est etiam prima diffinitio earũ, quas Magister sentent. ponit. in 4. d. 1. & S. Thom. 3. p. q. 60. artic. 2. ubi aduerte, quòd quando dicit: sacrę rei; non intelligitur quælibet res sacra, quia sic Crux, & multa alia esset sacramentũ, sed res sacra sanctificans nos. cũ enim sacramentum sit signum *quoddam*, signa utem proprie *debentur hominibus*, & sacramentum sit proprium *hominum*, oportet, vt per rem sacram intelligamus rem homines sanctificantem. Per signum etiam non intelligas quodcunque signum, sed signum exterius, quod communiter vocatur signũ, & cum diffinit Augustl. 2. de doctrina Christiana dicens: Signũ est, quod præter speciem, quam ingerit sensibus, facit aliquid aliud in cognitionem venire. Est igitur sacramentum, signũ sensibile rei sacræ, nos sanctificantis. Per rem ergo sacram nos sanctificantem, intellige principaliter gratiam gratum facientem: quamuis. S. Thomas. 3. p. q. 60. art. 3. dicat tria figurari in sacramentis. Primum, causam effectiuam nostræ sanctificationis, scilicet passionem Christi. Luc. 22. Hoc facite in meam commemorationem. & 1. Cor. 11. Quotiescunque manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem domini annunciabitis. Secundum

dum causam formalem nostræ sanctificationis, scilicet gratiam. Tertium, causam finalem, quæ est gloria. Vnde Ecclesia cantat ex officio S. Thomæ: O sacrum conuiuium, in quo Christus sumitur. recolitur memoria passionis eius. Ecce primum. Mēs impletur gratia. Ecce secundum. Et futuræ glorie nobis pignus datur. Ecce tertium. Sūt & aliæ diffinitiones sacramenti; quæ sub alijs verbis idem quod prima iam posita, docent. Sacramentum, ait Magist. senten. est inuisibilis gratiæ, visibilis forma, vt eius imaginem gerat, & causa existat. & D. August. lib. de corpore Christi. Sacramentum est, per quod sub tegumentis rerum usibiliū, diuina virtus secretius salutem operatur. & Vgo. de sancto victore. lib. de sacramentis. 1. p. c. 1. Sacramentum est materiale elementum, foris sensibiliter propositum, ex similitudine repræsentans, ex institutione significans, ex sanctificatione continens aliquam inuisibilem, & spiritualem gratiam. & hæc de diffinitione sacramenti sufficiant.

Sacramenta quot sunt?

QVæritur, quot sint sacramenta nouæ legis. Respon. quòd septem. Baptismus, Confirmatio, Pœnitentia, Eucharistia, Ordo, Matrimonium, Extrema vnctio. Hoc determinatum est in Concilio Florentino, sub Eugenio. 4. & in cap. ad abolendam, extra de hæreticis, excommunicantur & damnantur, qui de ecclesiasticis sacramentis aliter sentire, aut docere præsumpserint, quàm ecclesia Romana docet. Præterea idem patet ex Concilio Trident. Sessio. 7. de sacramentis in genere. Can. 1. Cuius, Verba sunt: Si quis dixerit sacramenta nouę legis esse plura, uel pauciora, quam septem. videlicet, Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Pœnitentiam, Extremam vnctionem, Ordinem, & Matrimonium, anathema sit. Cum ergo Ecclesia Romana in dictis concilijs. & in vsu teneat septem esse sacramenta nouæ legis, iam nemini licebit de hoc dubitare.

Sacramentorum sufficientia.

SVfficientiam, & congruitatem huius numeri docet sanctus Thomas. 3. p. q. 6. art. 1. dicēs: Sacramenta ecclesiastica ordinantur ad duo, scilicet ad perficiendum hominem in vita spirituali, seu in cultu Christianæ religionis, & in remedium contra peccatum: & conuenienter sunt septem; vita enim hominis spiritualis similitudinē habet ad vitam corporalem; propter quod eodem nomine uocatur vtraque vita. in vita autem corporali dupliciter aliquis perficitur, uno modo quantum ad propriam personam: & hoc dupliciter: scilicet, aut acquirendo perfectionem, aut remouendo impedimenta. Perficitur autem vita perfectione, prima per generationē quando acquirit uitam: & loco istius generationis succedit baptismus, qui vocatur regeneratio, quia homo cum esset mortuus per peccatum, recipit vitam per lauacrum regenerationis, & renouationis, Ad Thitum. 3. Secunda perfectio est augumentum, cui succedit secundum sacramentum confirmationis, quod principaliter in Pentecoste est institutum, quando dominus dixit: Sedete in ciuitate donec induamini virtute ex alto. Tertia perfectio vitæ corporalis est nutritio, quæ est conseruatio vitæ,

&

& loco huius succedit eucharistia. vnde Ioan. 6. Nisi manducaueritis carnē filij hominis, & biberitis eius sanguinem, nō habebitis vitam in vobis. Sed quia homo interdum incurrit ægritudines, habere debebat remediū, quod quidem est duplex: vnum ad repellendum morbum, ut Pharmacum: alterum ad restituendas uires: sic etiam in uita spirituali ad expellendas infirmitates peccati, est pœnitentia. Psal. 2. Sana animam meam, quia peccaui tibi. alterum ad expellendas reliquias peccatorum, & est extrema vnctio. de qua Iacob. 5. Et si in peccatis fuerit dimittentur ei. In ordine ad communitatem perficitur homo dupliciter, vno modo suscipiendo potestatem regendi; & loco istius succedit ordo. Alio modo secundum naturalem propagationem, quod fit per matrimonium tā in corporali, quam in spirituali vita.

Supradicta sacramenta à quo fuerunt instituta?

RESp. iuxta fidem: Omnia septem prædicta sacramēta instituta fuisse à domino nostro Iesu Christo. Nam ita expresse diffinitur in Concilio Tridentino sess. 7. de sacramen. in genere. Can. 1. Cuius verba sunt: Si quis dixerit sacramenta nouæ legis nō fuisse omnia a domino nostro Iesu Christo instituta; anathema sit.

De sacramento Baptismi.

QVæritur quando fuit institutus Baptismus? Vtrum ante Christi passionē, uel postea: ¶ Resp. per duas propositiones. Prima: certissimū est, quòd fuit institutus à Christo ante passionem. Patet hoc Ioann. 3. ubi expresse habetur quod Christus baptizabat: & Ioan. 4. declaratur quomodo baptizabat. Quamquam Christus non baptizaret, sed discipuli eius Baptizabant de mandato ipsius. Quia alias Christus non diceretur baptizare, non est autem uerisimile quòd Christus baptizaret baptismo Ioannis. Nec etiā Apostoli Ioannis baptismo baptizabant, vt dicit Hieronymus *in epistola ad Seleutianum*, & in sermone *Epiphanię*. alias inter discipulos Ioannis non fuisset inuidia, qui dolebant eò quòd plus baptizabat Christus, quam Ioannes. nam ille baptismus diceretur Ioannis, non Christi. Item sacramenta sunt instrumenta nostræ redemptionis. cum ergo Christus perfecerit redemptionem in passione, uel resurrectione, & baptismus sit potissima *pars redemptionis*; sequitur quòd *fuit institutus* ante Christi passionem, per *Ioannē*. ibi: Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei. & ita tenent omnes Doctores, quòd fuit institutus ante Christi passionem, quando Christus fuit baptizatus in Iordane. tunc. n. sanctificans aquas, vim regeneratiuam illis contulit. Alij dicunt, quòd fuit institutus, quando Christus dixit discipulis suis: Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos, &c. Marci ultimo cap. Sed hoc refellitur, quia fuit institutus ante passionem, prædicta autem uerba dicta fuere post resurrectionem S. Thomas, & Nicolaus de lyra. tenent, quòd fuit institutus, qñ Christus fuit baptizatus in Iordane. Ioan. j. & ita tenendum est sine aliqua dubitatione.

Quod triplex est baptismus.

PRæterea sciendum, quòd triplex est baptismus, scilicet Fluminis,

qui

qui fit in aqua cõmuniter, & talis liberat à pœna,& culpa, & gratiam infundit in habitu, & characterẽ imprimit.

Alius est flaminis,qui tunc fit,quando quis desiderat baptizari,sed nõ habet per quem baptizetur. talis in fide saluabitur,prout determinatum est in decret.Apostol.de præsbytero non baptizato.& idem patet per D.Aug.li.8. de Ciuitate Dei.& lib.3. de unit.bap. & per beatum Ambrosium de obitu Valentiniani. & hic delet culpam, & gratiam habet in usu. in quo meritum consistit.

Tertius est baptismus sanguinis,qui fit in martyrio pro Christi nomine suscepto. ut patet de Innocentibus. & quidam dicunt etiam de Latrone dextro,sed non videtur esse verum, cum ille non possit dici martyr ex pœna Crucis,eo quòd non veritate, aut iustitia, aut fide Christi, sed pro suis sceleribus passus est,sicut solus confitetur dicens:Nos quidem digna factis recipimus: &c.videtur ergo potius,q̃ baptizatus est baptismo flaminis:propter confessionem fidei, quam habuit ad Christum credens in Deum, & hominem esse.& iste baptismus ab omni tentatione liberat, & confert statim præmium: quia martyres statim euolant in cœlum sine retardatione: sicut patet de sancto Stephano dicente: Video cęlos apertos. act. 7.

Baptismi materia quæ sit.

QVia baptismus est ablutio, quæ habet in aqua fieri, ideo aqua est propria materia huius sacramenti,& non vinum,nec oleum, nec alius liquor vnctuosus, sed sola aqua naturali fit baptismus. vnde ex aqua rosea, uel quacunque artificialiter facta non fit baptismus, nec ex vrina, cum talis aqua sit potius humor,quàm aqua naturalis. Ex balneo tamen, lixiuio,uel aqua decoctionis carnium depurata, & huiusmodi,bene potest fieri baptismus: quia in eis natura aquæ non mutatur. Similiter expluuia; & ore collecto fit baptismus. quia licet generentur ex uaporibus, & humoribus terræ,tamen per virtutem naturæ,quę fortior est arte, resoluitur in veram aquam. quod ars non potest facere, & sic omnis aqua vniuersaliter naturalis, est propria materia sacramẽti baptismi, quia habet proportionem ad effectum spiritualem. quoniam mundat,& est communior materia, quam omnes facile possunt habere. Patet hoc Ioan. 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & spiritu sancto, non potest &c.& ita diffinitur in Concilio Florent. sub Eugenio.4.& item in Concilio Trident. sessio. septima. de sacramento baptismi Canone.2. cuius uerba sunt: Si quis dixerit aquam veram, & naturalem non esse de necessitate baptismi, atque ideo verba illa domini nostri Iesu Christi: Nisi quis renatus fuerit ex aqua &c. ad metaphorã aliquam detorserit,anathema sit.

Baptismi forma quæ sit.

FOrma sacramenti baptismi est hæc:Ego te baptizo,in nomine patris, & filij, & spiritus sancti, amen. Quæ verba sunt de essentia formæ, sine quibus baptismus non fieret. Vnde hæc dictio: ego, cum intelligatur in hoc verbo primæ personę,baptizo, nõ est absolutè de essentia formæ, similiter hæc dictio, amen,non est de essentia formę absolutè: Sed de institutione Ecclesiæ,quia ponitur propter expressionem

& loco huius succedit eucharistia. vnde Ioan. 6. Nisi manducaueritis carnē filij hominis, & biberitis eius sanguinem, nō habebitis vitam in vobis. Sed quia homo interdum incurrit ægritudines, habere debebat remediū, quod quidem est duplex: vnum ad repellendum morbum, ut Pharmacum: alterum ad restituendas uires: sic etiam in uita spirituali ad expellendas infirmitates peccati, est pœnitentia. Psal. 2. Sana animam meam, quia peccaui tibi. alterum ad expellendas reliquias peccatorum, & est extrema vnctio. de qua Iacob. 5. Et si in peccatis fuerit dimittentur ei. In ordine ad communitatem perficitur homo dupliciter, vno modo suscipiendo potestatem regendi; & loco istius succedit ordo. Alio modo secundum naturalem propagationem, quod fit per matrimonium tā in corporali, quam in spirituali vita.

Supradicta sacramenta à quo fuerunt instituta?

RESp. iuxta fidem: Omnia septem prædicta sacramēta instituta fuisse à domino nostro Iesu Christo. Nam ita expresse diffinitur in Concilio Tridentino sess. 7. de sacramen. in genere. Can. 1. Cuius verba sunt: Si quis dixerit sacramenta nouæ legis nō fuisse omnia a domino nostro Iesu Christo instituta; anathema sit.

De sacramento Baptismi.

QVæritur quando fuit institutus Baptismus? Vtrum ante Christi passionē, uel postea: ¶ Resp. per duas propositiones. Prima: certissimū est, quòd fuit institutus à Christo ante passionem. Patet hoc Ioann. 3. ubi expresse habetur quod Christus baptizabat: & Ioan. 4. declaratur quomodo baptizabat. Quamquam Christus non baptizaret, sed discipuli eius Baptizabant de mandato ipsius. Quia alias Christus non diceretur baptizare, non est autem uerisimile quòd Christus baptizaret baptismo Ioannis. Nec etiā Apostoli Ioannis baptismo baptizabant, vt dicit Hieronymus in epistola ad Seleutianum, & in sermone Epiphanię. alias inter discipulos Ioannis non fuisset inuidia, qui dolebant eò quòd plus baptizabat Christus, quam Ioannes. nam ille baptismus diceretur Ioannis, non Christi. Item sacramenta sunt instrumenta nostræ redemptionis. cum ergo Christus perfecerit redemptionem in passione, uel resurrectione, & baptismus sit potissima pars redemptionis; sequitur quòd fuit institutus ante Christi passionem, per Ioannē. ibi: Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei. & ita tenent omnes Doctores, quòd fuit institutus ante Christi passionem, quando Christus fuit baptizatus in Iordane. tunc. n. sanctificans aquas, vim regeneratiuam illis contulit. Alij dicunt, quòd fuit institutus, quando Christus dixit discipulis suis: Euntes docēte omnes gentes, baptizantes eos, &c. Marci ultimo cap. Sed hoc refellitur, quia fuit institutus ante passionem, prædicta autem uerba dicta fuere post resurrectionem S. Thomas, & Nicolaus de lyra. tenent, quòd fuit institutus, qñ Christus fuit baptizatus in Iordane. Ioan. j. & ita tenendum est sine aliqua dubitatione.

Quod triplex est baptismus.

PRæterea sciendum, quòd triplex est baptismus, scilicet Fluminis,

qui

qui fit in aqua cõmuniter, & talis libe rat à pœna,& culpa, & gratiam infundit in habitu , & charactaré imprimit.

Alius eſt flaminis,qui tunc fit,quando quis deſiderat baptizari,ſed nõ habet per quem baptizetur. talis in fide ſaluabitur,prout determinatum eſt in decret.Apoſtol.de præsbytero non baptizato.& idem patet per D.Aug.li.8. de Ciuitate Dei.& lib.3. de unit.bap. & per beatum Ambroſium de obitu Valentiniani. & hic delet culpam , & gratiam habet in uſu. in quo meritum conſiſtit .

Tertius eſt baptiſmus ſanguinis,qui fit in martyrio pro Chriſti nomine ſuſcepto. ut patet de Innocentibus. & quidam dicunt etiam de Latrone dextro,ſed non videtur eſſe verum , cum ille non poſsit dici martyr ex pœna Crucis,eo quòd non veritate , aut iuſtitia , aut fide Chriſti , ſed pro ſuis ſceleribus paſſus eſt,ſicut ſolus confitetur dicens:Nos quidem digna factis recipimus : &c.videtur ergo potius,q̃ baptizatus eſt baptiſmo flaminis:propter confeſsionem fidei, quam habuit ad Chriſtum credens in Deum, & hominem eſſe.& iſte baptiſmus ab omni tentatione liberat, & confert ſtatim præmium : quia martyres ſtatim euolant in cœlum ſine retardatione : ſicut patet de ſancto Stephano dicente: Video cęlos apertos. act. 7.

Baptiſmi materia quæ ſit.

QVia baptiſmus eſt ablutio , quæ habet in aqua fieri , ideo aqua eſt propria materia huius ſacramenti,& non vinum,nec oleum , nec alius liquor vnctuoſus , ſed ſola aqua naturali fit baptiſmus. vnde ex aqua roſea, uel quacunque artificialiter facta non fit baptiſmus, nec ex vrina , cum talis aqua ſit potius humor, quàm aqua naturalis. Ex balneo tamen, lixiuio,uel aqua decoctionis carnium depurata, & huiusmodi,bene poteſt fieri baptiſmus: quia in eis natura aquæ non mutatur. Similiter expluuia ; & ore collecto fit baptiſmus. quia licet generentur ex uaporibus , & humoribus terræ,tamen per virtutem naturæ,quę fortior eſt arte , reſoluitur in veram aquam. quod ars non poteſt facere, & ſic omnis aqua vniuerſaliter naturalis, eſt propria materia ſacraméti baptiſmi , quia habet proportionem ad effectum ſpiritualem . quoniam mundat,& eſt communior materia , quam omnes facile poſſunt habere . Patet hoc Ioan. 3. Niſi quis renatus fuerit ex aqua , & ſpiritu ſancto, non poteſt &c.& ita diffinitur in Concilio Florent. ſub Eugenio.4.& item in Concilio Trident. ſeſsio. ſeptima. de ſacramento baptiſmi Canone.2. cuius uerba ſunt : Si quis dixerit aquam veram, & naturalem non eſſe de neceſsitate baptiſmi, atque ideo verba illa domini noſtri Ieſu Chriſti : Niſi quis renatus fuerit ex aqua &c. ad metaphorá aliquam detorſerit,anathema ſit .

Baptiſmi forma quæ ſit .

FOrma ſacramenti baptiſmi eſt hæc: Ego te baptizo,in nomine patris, & filij, & ſpiritus ſancti , amen. Quæ verba ſunt de eſſentia formæ , ſine quibus baptiſmus non fieret. Vnde hæc dictio : ego , cum intelligatur in hoc verbo primæ perſonę,baptizo, nõ eſt abſolutè de eſſentia formæ , ſimiliter hæc dictio , amen,non eſt de eſſentia formę abſolutè: Sed de inſtitutione Eccleſiæ,quia ponitur propter expreſ-

ſionem

sionem ministri, ly Ego: & Amen ad certitudinem effectus baptismi.
Vnde cum non sint de essentia formæ absolutè: si quis ea dimitteret. propter hoc non impediretur baptismus, quia fieret. Sed qui hoc dimitteret scienter, peccaret, mandatum Ecclesię transgrediẽdo. & non potest dici: Baptizo me, quia sicut nullus potest se ipsum generare, sic nec baptizare, cum baptismus sit quædam generatio spiritualis. ideo dicitur: Baptizo te. sed non, Baptizo me. & non potest dici in nominibus, quia virtus diuina, quæ operatur in baptismo, pertinet ad diuinam essentiam, quæ est vna in tribus personis. Ideo ad denotandam vnitatem essentiæ, dicitur: In nomine: & non: In nominibus. Neque potest baptizari in nomine genitoris, & geniti, & flaminis. quia solum ex illis verbis fit baptismus, quæ significant, Pater, & Filius, & Spiritus sanctus: genitor autem, & genitus, & flamen non significant proprietates relatiuas personarum diuinarũ, sed dicuntur actus notionales ipsarum personarum. & significant magis ipsos actus, quam ipsas personas & ideo solum in nomine Patris, & Filij & Spiritus sancti fit baptismus, & non ex alijs verbis. Patet hoc Matth. ult & in Concilio Florent.

QVæritur utrum mutatio hius formæ uitiet Sacramentum;

Respondetur, q̃ duplex est uariatio, quædam, quæ mutat sententiam, & sensum formæ, & talis euacuat sacramentũ. Altera, quæ non mutat sensum, & sententiam formæ, & talis non tollit sacramentum. Vnde in cap. Retulerũt de consecratio. dist. 4. Zacharias Papa determinauit, ut quod ille, qui dixit: Ego te baptizo in nomine patrias, & filias, & spirituas sanctas. uere baptizauit.

Variatur forma quinque modis.

FOrma Baptismi quinque modis variatur: vno modo variando: & hoc dupliciter: vel circa significationem verborum, sicut dictum est in nomine genitoris &c. Et sic non fit baptismus: Alio modo circa voces solum, manente eadem significatione & modo significandi: & sic diuersis linguis, fit baptismus: sicut latino, gręco, & gallico sermone: & sic talis variatio non obest. Similiter variando circa voces, manente eadem significatione, & hoc in mera simplicitate sicut laici faciunt, qui nesciunt verba latina proferre vel formare, vt nomine patris &c. vel ponendo nominatiuum vel datiuum. pro genitiuo, non impediretur baptismus. Secus enim esset si intelligens hoc faceret ex intentione nouum ritum vellet facere, & introducere: quia peccaret & baptismum impediret. Secũdo mutatur forma corrumpendo, uel diminuendo, scilicet subtrahendo aliquid quod sit de essentia formę, vt si dimittatur, ly. Baptizo vel ly. te. vel aliquot trium hominum personarum. & sic non fit baptismus.

Veruntamen si, necessitate mortis imminente, vna persona solum nominetur: & puer decedat antequam alię personę nominentur, ut sic dicendo: Baptizo te in nomine patris: & tunc puer decederet antequam diceretur: & filij, & spiritus sancti. Pie credendum est: quod summus Sacerdos, scilicet Deus. supplet defectum. si vero subtrahatur uel diminuatur aliquid quod non sit absolute de essentia formæ,

me, sed solum de institutione ecclesię: sicut ly. ego. ly. amen non impediretur baptismus. peccaret tamen quia hoc scienter faceret. Tertio impediretur baptismus addendo. scilicet quando additio corrumpit sensum: & est contra reuerentiam personarum: ut si dicatur: Baptizo te in nomine patris maioris, & filij minoris. quia personæ æquales sunt. si uero additio corrumpat sensum, nec sit contra reuerentiam personarum, baptismum non impedit: siue fiat a parte ante ut dicendo. Baptizo te in nomine patris omnipotentis, & Filij unigeniti, & Spiritus sancti paracliti. siue etiam a parte post: ut dicendo baptizo te in nomine patris, & filij, & spiritus sancti, & beate Marię Virginis & huiusmodi non impeditur baptismus. & hoc tamen intelligitur quando ille qui hoc addit non intendit facere nouum ritum: nec hoc faciat ex malitia, sed ex mera simplicitate. similiterque non credat & intendat quod baptismus efficaciā habeat ex beatæ Mariæ uel beati Petri: sed ex sola inuocatione Trinitatis: sed solum credat quod oratio beatæ Marię & beati Petri prosit baptizato ad sui baptismi cōseruationem. Quarto impeditur baptismus transponendo scilicet literas uel sillabas quibus sensus corrumpitur. si uero transponat dictiones: sicut ly. baptizo post te, non impeditur baptismus. licet peccet hoc faciens. Quinto corrumpitur baptismus interpolando. quando fit tanta interpolatio uerborum & operum quod Corrumpitur intentio & actus baptismi, siue baptizantis, uel intermiscendo aliquid impertinens ad sacramentum, ut dicendo baptizote in nomine Patris & tunc aliud operetur per magnum tempus, uel aliquid dicat in medio. ut patizo te in nomine patris: uade fac ignem, & huiusmodi talis discontinuatio magna corrumpit baptismum. si uero propter necessitatem fiat modica interpolatio: sicut sputando, uel stet nutando, non corrūpit baptismum. igitur ex omnibus premissis colligimus, quod forma baptismi hæc est: Ego te baptizo in nomine patris, & filij, & Spiritus sancti Amen.

De Ritu baptizandi.

QVæritur quomodo fiat baptismus. Respondetur, quod dupliciter datur baptismus secundum usum diuersarum ecclesiarum: quandoque datur per immersionem. ita quod totus puer immergitur in aqua. quandoque etiam datur per aspersionem. quando puer aspergitur & super eum aqua infunditur. Quæritur si hæc immersio & sparsio semel debet fieri, aut pluries. Respo. Secundum ritum diuersarum ecclesiarum, quandoque fit terna immersio uel aspersio quandoque unica. & in his consuetudo ecclesiarum est seruanda. Quęritur si in locis ubi consueuit ecclesia ternam immersionem facere: si solam unica fieret, nunquid esset puer baptizatus. Sic: sed faciens peccaret mandatum ecclesiæ & consuetudinem non faciens: sed transgrediens, nisi simplicitas eum excusaret. Etiam quæritur: quę pars corporis debet immergi: uel aspergi. Respo. Caput. quia in eo omnes sensus uigent, & in eo est principiū uitæ aīalis: & si caput hīi nō possit, alia pars quę haberi pōt ut patet in pueris existentibus in uteris maternis

quorum ſola manus apparet, & de periclitatione timetur, in tali caſu debet aſpergi pars, quæ apparet: & pie credendum eſt quod Deus ſupplet defectum: ſi tamen poſt modum uiuus habeatur debet caput aſpergi ſub conditione, ſic dicendo: Puer non intendo te rebatizare. ſed ſi non baptizatus fueris, ego baptizo te in nomine patris, & filii, & ſpiritus ſancti. & hoc ſecurius: quia aliter non intelligitur baptiſmus perfici. igitur baptiſmus per immerſionem uel aſperſionem unicam uel ternam debet fieri in eccleſia, in qua habitant.

Pectus baptizati ungitur cum in uocatione Trinitatis.

VNctio in pectore cum inuocatione Trinitatis, ut nullæ reliquiæ latentis inimici in eo reſideant: ſed in fide ſanctæ Trinitatis mens eius confortetur & ſuſcipiat, & habeat intelligentiam mandatorum Dei.

Quis poteſt baptizare ſolemniter.

SOlemnitates, quæ fiunt in baptiſmo: nullus faciat, ſiue in neceſsitate, ſiue extra, niſi ſit proprius ſacerdos uel epiſcopus, uel de eorum licentia.

De tempore baptizandi.

QVæritur quando dandus eſt baptiſmus ſcilicet ſtatim uel differendus. Reſp. in adultis non eſt ſtatim dandus: ſed potius per aliquod tempus differendus, quia probandi ſunt ſi ex fide accedunt: ne reſiſtant a propoſito, & contumeliam faciant ſacramento. Pueris uero propter periculum mortis ſtatim eſt dandus, nec eſt differendus: quia non poteſt eis aliter ſubueniri.

Quibus dandus baptiſmus.

PVeri gentilium & iudeorum non eſt inuitis parentibus, aut eis naſcentibus; baptiſmus miniſtrandus. maxime tempore quo carent uſu rationis, cum ſecundum ius naturale in tali tempore ſint ſub parentum cura & tutela, qui poſſent eos inducere ad relinquēdum quod ignorantes ſuſceperunt, quod uerteretur in fidei detrimentum. Vnde beatus Auguſt. dicit, quod non eſt bonum faciendū, ut inde proueniat malū.

Quid de infantibus, quos meretrices relinquunt in foribus eccleſiarum, & biuijs, de quibus dubitatur, an fuerint baptizati. de huiuſmodi infantibus & pueris, quos ſtatim natos comperitur, & neſcitur, an fuerint baptizati; conſulitur ut ſub conditione baptizentur, ſub hac forma: Puer ſi es baptizatus, te rebaptizare non intendo: ſed ſi non es baptizatus, ego te baptizo in nomine patris & filij & ſpiritus ſancti amen. quia in tali caſu non dicimus baptiſmum iterari. quia non dicimus iteratum, quod neſcitur eſſe factum. & quid de his pueris eſt faciēdum, quos obſtetrices ad templum deferunt. & eos in neceſsitate ab eis aſſerunt baptizatos. eodem modo ſicut in prædictis facient, & eos ſub conditione baptizant. nec mulierū, uerbis aſſentiant: quia cum ignarę ſint, creditur eas uerba baptiſmi corrupte protuliſſe, aut immerſionem, ſeu aſperſionem non indebite feciſſe, & ideo pueros ſic ſub conditione baptizatos non eſt rebaptizare, potius ſed ſuæ ſaluti ſuccurrere.

Baptizandi nares & aures quare tangitur ſaliua.

Tanguntur

TAnguntur baptizandi nares & aures de saliua, & dicitur ei uerbū Euangelicum, quod Iesus quendam mutuū & surdum sanauit tangens cum sputo linguam eius, & mittens digitos in auriculā eius dixit: effeta quod est aperire, hoc enim sacramentū hic agitur, ut per saliuam tipicam, & sacerdotis factum, sapientia & uirtus diuina salutem eiusdem Cathecumeni operetur ei nares ad accipiēdum odorem Dei notitie. & ut aperiantur ei aures ad audiendum mandatum Dei: & aperiantur illis sensus & intimo corde ad respondendum: propter gloriā etiā muneris & operis: non tangit Episcopus os, sed nares, ut bonum odorem accipiat pietatis, & addo quod non debet Baptismus nec Confirmatio reiterari, alias sępius baptizati, aut confirmati Compelluntur intrare religionem. c. dictum. c. de causæ.

Paruuli quare sufflantur in baptismo.

ET sufflantur paruuli & exorcizantur idest increpantur, seu adiurantur ut expellatur ab eis diaboli potestas inimica, quæ decipit hominē ut possideat homines, hæc autem exsufflatio siue exorcizatio, & si non prodest aliquid ad uitam, quia adhuc in eis mors manet, prodest tamen ut inimicus ei nocere non possit, idest enim spiritus sanctus non solum uerbis quę dicuntur in nomine suo: uerum etiam significationibus quæ fiunt in honore, & est notādum quod exorcismus grece, latine dicitur adiuratio, ut est illud. Exi ab eo in munde spiritus &c.

A quibus debet baptismus ministrari.

QVæritur a quibus baptismus debeat, seu possit ministrari. Respon. Cuilibet naturam humanam habenti congruit hoc sacramentum ministrare: quia sicut aqua est elementū quo baptismi sacramentum efficitur, propter eius communitatem ut nullus posset propter defectum materie a non suscipiendo baptismum, excusari: sic omnis homo siue masculus siue fœmina potest baptismum ministrare in necessitate: ut nullus etiam possit propter defectum ministri excusari. Sed quia sacerdos est minister sacramentorum principalis: ideo prius & principaliter ad ipsum pertinet huius sacramenti ministratio: quia cessante necessitate, hoc sacramentum cum solemnitate fieri debet, scilicet sub benedictione aquæ, & huiusmodi, licet non sint de essentia sacramenti: sunt tamen de honestate & congruitate, & quia hæc ad sacerdotem pertinēt, ideo primo: nisi necessitas occurrat. debent baptizandum ad sacerdotem deferre & a sacerdote baptizari. Sed necessitate vrgente, & sacerdote absente possunt pueri a clericis baptizari. & si clerici non fuerint, possunt a laicis, & prius, a uiris, & si uiri sint absentes, mulieres possunt pueros in tali necessitate baptizare. & ideo laici tam uiri quam mulieres sunt a sacerdotibus ad baptizandum pueros instruendi. Quæritur quod matre pariente nullus fuerit præsens nisi pater. nunquid pater potest in tali casu ex necessitate suum proprium filium baptizare & ius petendi debitum matrimonij ab uxore non perdat. Respon. in tanta necessitate ubi per alium, quam per patrem uel matrem puero non potest subueniri: licitum est parentibus suos proprios filios baptizare. nec propter hoc

a iure debiti matrimonij sunt priuati: aliud tamen esset, & est si temerarie alter eorum suum proprium filium baptizaret uel ambo: quia si quis hoc faceret, iure debiti matrimonij priuaretur. & iam ambo, si uterque eorum hoc temerarie faceret, & proprium filium baptizaret unus & alius eum susciperet. Quęrit an possint duo homines unum puerum baptizare: quorum unus uerba proferat, & alter immergat. uel aspergat: uerbi gratia, duo sũt, quorum unus mancus: quia manus non habet: & loqui potest: & alter mutus qui loqui non potest, & manus habet in necessitate. nunquid potest mãcus puero sibi præsentato uerba proferre, & mutus immergere uel aspergere: & eorum opera sit baptizatus puer. Resp. quod non, quia oportet in baptismo quod simul concurrat in actione baptizandi ex eodem uerbum prolatum cum operatione elementi. Aliter falsa esset oratio quæ uirtutem baptismi exprimit, ut dicendo: baptizo te. oportet. ꝙ ille qui immergit seu baptizat loquatur, & quod uerbũ eius accedat ad elementum. Aliter esset falsa oratio eius. unde si mancus qui immergere non potest dicat: baptizo te, mentitur. quia nõ immergit sed potius mutus: & ideo non baptizat. inde necessarium quod ex eodem proferãtur uerba simul cum aqua immersione uel aspersione. Quærit an hęretici scismatici, pagani, iudei, infideles possunt ministrare sacramẽtum baptismi: dico quod sic. dum tamen habeant intentionem uniuersalem faciendi quod facit ecclesia absolute. nec obest baptismum susciptentibus ignorari ab eis. Si fictus aliquis accedat ad baptismum, sicut sępe uidemus iudeos, non intendens ibi aliquid recipere nisi solum id quod facit ecclesia, Sacramentum, id est ablutionem, recipit & caracterem: Sed rem sacramenti id est gratiam spiritus sancti non recipit. Sed recedente fictione non propter hoc est rebaptizandus cum baptismus reiterari non possit. Sed confiteri debet de fictione: & tunc suscipit gratiam spiritus sancti, & uirtutem obtinet sacramenti. Quæritur ad quod prodest illa gratia, quę in baptismo confertur. Resp. hominem a pena & culpa totaliter absoluit eorum, quæ ante baptismum gesserat. tamen quia in paruulis solum est originale peccatum, & non actuale: cũ vsu rationis careant, *ipsos a peccato originali purgat.* Adulti uero, quia nõ solum contrahunt peccatum originale, sed etiam actuale: eos ab utroque absoluit, & a pœna, quę pro utrisque debetur.

Gratia & virtutes dantur in baptismo.

QVæritur, vtrum in baptismo detur gratia Resp. quod de hoc non potest dubitari. nam pręter quam quod in sacra scriptura habetur, est etiam determinatum in clementi. vni. de sum. Trin. & fide cathol. & in cap. maiores. de baptismo. & etiam virgini Mariæ contulit gratiam, contra quosdam errantes, & dicentes, ipsam vel non habuisse præceptum baptismi, vel non recepisse in eo gratiam. Confert etiam virtutes infusas, vt in prædictis Cap. est ab Ecclesia determinatum.

Baptismi effectus, an sit æqualis in omnibus susciptentibus.

QVęritur, an baptismus omnibus conferat ęqualẽ effectũ? Resp. duplicẽ esse baptismi effectum, unũ

or-

ordinatum, qui est gratia & virtutes,& remissio peccatorum,atque pœnarum.Alterum aliquo modo annexũ, vt donum prophetiæ, & gratiæ gratis datæ.& de hoc secundo effectu,manifestum est quod non semper omnibus confertur æqualis. De primo vero est inter theologos concertatio. Scotus enim & Gabriel & Caieta. tenẽt quod licet ratione sacramenti detur determinata gratia, tamen ratione deuotionis ministrorum, uel quia unus est prædestinatus ad maiorem gratiam,quam alius, est maior effectus baptismi in uno quam in alio. Sed ego non dubito quin hoc sit falsum,& contra sanctum Thom.sed dico, quod semper ratione sacramenti datur æqualis gratia. ita tenet Maio.4.d.4.q.3.& hoc intellige de puero.nam de adulto non negarem quim maiorem gratiam baptismi recipiat unus,quam alius . quia est maior dispositio in uno,quam in alio.

An sit baptizandus,qui est in actuali voluntate peccandi .

REspondet.S. Tho. 3.p.q. 68.articulo.4.& art.8.ad 4.& Scotus.4. dist.4.q.5.& Pal.4. dist.4.q. 1. & Duran.4.dist.4.q.2.quod talis non est baptizandus, & de hoc non est dubitandum, & Augustꝰ. & habetur de consecrat. distinction. 4. Cap. omnis qui iam suæ uoluntatis arbiter constitutus est. cum accedit ad sacramentum fidelium,nisi pœniteat, non potest nouam uitam inchoare. ab hac pœnitentia,cum baptizentur, soli pueri immunes sunt.item. actu.2.Agite pœnitentiam,& baptizetur unusquisq; uestrũ. pœnitentia autem,quæ ante baptismũ requiritur, debet esse contritio.sicut & in sacramento confessionis. nisi excusetur ignorantia, qua putat se sufficientem dolorem habere, cum tamen non habet : tunc,enim sufficit attritio cum sacramento.sicut etiam de pœnitentia. & per omnia similis dolor requiritur ante baptismum,sicut ante pœnitentiã: quia dolere de peccatis, est de iure naturali,quod non impeditur a iure diuino . Baptismus autem in peccato mortalis susceptus, ualere incipit fictione recedente vt determinat Augustꝰ.Cap. tunc ualere.de conse.dist.4.maxime si habuerit attritionem. Sed quæritur . quare hoc sacramentum habeat istud priuilegium, quòd recedente fictione ualeat, cum Eucharistia non habeat illud.immo nec pœnitẽtiã : attritio enim post pœnitentiam nihil valet.quamuis cum pœnitentia ualeat.& tamen attritio post baptismum, illius in quã peccati,attritio de quo erat fictio,sufficit ad hoc ut baptismus cõferat gratiam ex opere operato. Resp.S.Thom. 4. distin.4.quæst.3.art. 2. quod ratio discriminis est, quia baptismus imprimit characterem, quia iam talis est.uere baptizatus. & baptismus non potest iterari ; & si sic,non repararetur effectus eius, esset in uacuum susceptus. effectus autem aliorum sacramentorum iterabilium potest recuperari.

De susceptoribus à sacro fonte .

QVæritur nũquid est necessarium quod, aliqui ad leuandum puerum accedant semper ? nunquid potest idem puerum tenere, & ipsum baptizare ? Resp. iustum est vt aliqui ad suscipiendum puerum de sacro fonte accedant:& patrini dicuntur.quia sicut baptizans est sicut pater spiritualis : ita suscipiens est sicut mater uel nutrix spiritualis. ideo sicut in generatione

tione naturali requiritur pater & mater:ita in ſpirituali generatione. unde ſicut mater fungitur ad puerum officio nutricis:ſic ſuſcipiens puerum officium nutricis ſpiritualis, & nutrire ſpiritualiter tenetur,& ipſum erudire. in ſumma tamen neceſsitate ubi plures haberi non poſſent : poſſet ille idem qui immergit puerum, ut aſpergit in batiſmo ſuſcipere , & utroque officio fungitur . Quæritur quot ad ſuſcipiendum puerum de ſacro fonte ſuſficiunt.Reſp.unus ſolus:ſed quandoq; duo ad deſignandam vnitatem deitatis & humanitatis in Chriſto.nec plures:ſicut patet in Concilio Tridentino.ſeſſio 24. Cap.2.ubi dicit:Docet experientia , propter multitudinem prohibitionum,multoties in caſib.prohibitis ignoranter contrahi matrimonia:in quibus uel non ſine magno peccato perſeueratur:uel ea non ſine magno ſcandalo dirimuntur. volens itaque ſancta Synodus huic incommodo prouidere, & a cognitionis ſpiritualis impedimento incipiẽs,ſtatuit, vt unus tantum ſiue uir,ſiue mulier, iuxta ſacrorum Canonũ inſtituta,uel ad ſummum unus, & una baptizatum de baptiſmo ſuſcipiant,inter quos, ac baptizatum ipſum , & illius patrem & matrem,nec non inter baptizantem& baptizatum,baptizatique patrem,ac matrem tantum ſpiritualis cognatio contrahatur.Parochus , antequam ad baptiſmum conferendum accedat , diligenter,ab ijs,ad quos ſpectabit , ſciſcitetur, quem uel quos elegerint , vt baptizatum da ſacro fonte ſuſcipiant, & cum uel eos tantum ad illum ſuſcipiendum admittat , & in libro eorum nomina deſcribat.doceatque eos quã cognationem contraxerint,ne ignorantia ulla excuſari ualeant. quod ſi alij,ultra deſignatos , baptizatum tetigerint, cognationem ſpiritualem nullo pacto contrahant. Conſtitutionibus in contrarium facientibus,non obſtantibus. ſi parochi culpa , vel negligentia ſecus factum fuerit,arbitrio ordinarij puniatur . Ea quoque cognatio,quæ ex confirmatione contrahitur, confirmantem, & confirmatum, illiusque patrem & matrem , ac tenentem non egrediatur : omnibus inter alias perſonas huius ſpiritualis cognationis impedimentis omnino ſublatis.Quæritur quod ſi conſaguinei poſſunt plures intereſſe. Reſp. omnes conſanguinei in gradu attinentes , pueri baptizati & eius parentum pro unica perſona reputantur. & ideo quando dicitur quod ſolum duæ perſonæ recipiantur ad lauandum puerum: intelligitur de illis,qui nihil attinent puero nec eius parentibus:& inter quos poſſet matrimonium copulari.

Quatuor hominum genera non poſſunt eſſe patrini.

SVnt autem quatuor genera perſonarum quas eccleſia non ſuſcipit in patrinos. Primum genus eſt monacus;Abbas, Abbatiſſa : moniales & huiuſmodi. Secundum genus ſunt infideles. Tertium illi,qui non ſunt confirmati,ea diſt. in baptiſmo: qui alios non poſſunt tenere in baptiſmo uel in confirmatione. non enim ueri debent uocari fideles:unde nec ueri teſtes eſſe poſſunt.2.q.7.non poteſt. & ca.ſeq. Quartum genus,eſt uir & uxor ſimul. 30.q.4.quod uidetur : niſi prius ambo uotum emiſerint caſtitatis . Si ambo eudem puerum. de fonte leuãrent:

ſpirituales

ſpirituales parentes eiuſdem fierent, unde ulterius carnaliter commiſceri non debent.

Pueri pueros a ſacro fonte ſuſcipere prohibeantur.

QVæritur quot annorum debent eſſe pueruꝝ de ſacro fonte ſuſcipientes. Reſp. adultę etatis, & tot annorum, quod ſuorum poſſunt eſſe memores factorum & ideo pueros nō admittant ad lauandum pueros: quia ſuos filios docere neſcirent & etiam propter eorum labilem memoriam poſt immemores facti ſunt: poſſunt ducere filias ſuas in vxores.

QVęritur ſi ſacerdos ex impruden tia baptizat maſculum puerū, quem fęminam credit eſſe, an ſit rebaptizandus. Reſp. quòd non, quia baptiſmus nullum proprium ſexum ſibi appropriat: Sed naturam humanā. Vnde prima intentio eccleſiæ,& miniſtri eſt,puerum, & hominem baptizare,& per accidens uirum, & fęminam. Ideo ſi maſculum baptizaret, quem credit fœminam:uel fœminam, quam credit maſculum, non eſt rebaptizandus puer. Sed nomen appropriandum eſt. quod ſuo ſexui congruit. ut ſi fœmina fuerit, & nomen ei impoſitum fuerit in baptiſmo Ioannes, Ioanna vocetur.&ſi non fuerit nomen propriū ſexui: vocetur ſecundum nomen vnius de patrinis, uel ſecundum conſilium Epiſcopi.

QVid ſi mulier mortua fuerit, & puer creditur viuere,quid agēdum eſt?

Si conſtiterit eam eſſe mortuam, ſtatim aperiatur, & puer extrahatur ab ea:& ſi viuus reperiatur, baptizet.

QVæritur quòd ſi puer reperiatur mortuus, nunquid eſt cum matre ſepeliendus?

De hoc ſunt diuerſę opiniones:quidam dicunt, quòd ſepeliendus eſt cū matre:licet nō fuerit baptizatus, quia portio matris eſt, & huic opinioni videtur conſentire Gaufridus in ſumma ſua. Alij dicunt,quibus magis conſentio,quòd non eſt cum matre ſepeliendus: quia poſt quam formatus perfecte reperitur, dubium nō eſt in eo animam præfuiſſe diſtinctam ab anima matris,etiam corpus eius,licet ei coniunctum fuerit,& ab ea ſumpſit alimētum. & ideo idem eſt iudicium de eo, ſicut de pagano. & hæ duæ opiniones tanguntur indecretis: de conſecra.diſt. 1.ſuper illud:eccleſia,in qua mortuorum.

MVlta ſunt,quæ præcedunt baptiſmum, & quæ ſequuntur. eorumq, dicuntur quædam, Cathechiſmus,& Exorciſmus. Exorciſmus, eſt illa adiuratio, quæ fieri habet antequā baptiſmus miniſtretur:& ibi fiunt plura. Sed primum in frōte ſignatio.ad expellendam uirtutem demonis. Secundum eſt benedictio, cum manus impoſitione, ad præcludendam viam diabolo,& pulſo,ne redeat. Tertium,eſt aurium ſputo linitio, propter fidei receptionem. Quartum eſt narium ſputo linitio. propter fidei approbationē. Quintum eſt ſalis in ore appoſitio, propter fidei doctrinæ conteſsionem. Sextum,olei ſancti,ante,& retro inunctio, propter aptitudinem eius contra demonem ad pugnam.Septimum, eſt aqua benedicta conrra diabolicas impugnationes exteriores.& hęc ſeptem ad exorciſmum pertinent. Ad Cathe-

thechiſmum uero pertinet fidei inſtructio, de qua debent inſtrui ad baptiſmum venientes. & ideo dicitur parulis: Credis in Deum? &c.& Patrini reſpondẽt:Credo,ſcilicet operam daturos,ut credant. Adulti uero debent per ſe ipſos reſpondere. Igitur hæc duo, ſcilicet Cathechiſmus, & Exorciſmus præcedere debẽt baptiſmum. Illa uero, quæ ſequuntur baptiſmum, tria ſunt: quorum Primum eſt,Chriſmatis vnctio in vertice, quæ ſignificat deſcenſum ſpiritus ſancti. Secundum eſt alba ueſtis, quæ deſignat innocentiæ puritatem. Tertium eſt candela, quæ in manu ponitur, quæ deſignat lumen cognitionis,quod debet habere Baptizatus, in bonis ſectandis, & malis euitandis.

QVæritur,an conueniat hæc omnia operari in puero in neceſsitate à laicis Baptizato,ſeu ab alijs.

Non conuenit: quia ut iam dixi,Exorciſmus ordinatur ad inimici expulſionem. & Cathechiſmus ad fidei inſtructionem. Per Baptiſmum autem ab eo diabolus eijcitur, & patrini in fide firmi ſunt & pro eo ſpoponderũt: ideo non oportet illa iterari: Sed ſolũ illa;quæ ſequuntur Baptiſmum, presbiter operetur;ſcilicet linitionem Criſmatis.&c.

AN ABRENVNCIO BAPTIZATI SIT VOTVM.

QVæritur,an in Cathechiſmo puerorum,quando reſpondent pro eis: Abrenuncio, ſit ibi noua obligatio pueri, anſic maneat puer obligatus, ſicut ſi feciſſet uotum.

Reſpondetur quod Durandus vĩ dicere ſic.Pal.tamen bene dicit,quod ibi nulla eſt obligatio etiam ſi quis baptizatus ſit adultus,non enim intendit eccleſia obligare eos denuo,ſed ut acceptẽt ea, ad quæ tenẽtur Chriſtiani.

Notandum etiam quod in Cathechiſmo contrahitur quædam cognatio ſpiritualis inter ſuſceptorem:& ſuſceptum, inter patrinum uero, filiosque eos, & baptizatum contrahitur affinitas ſpiritualis.ſi autem nõ baptizetur, ſed fiant ſolemnitates tantum;contrahitur etiam affinitas, ſed imperfecta: nam prima dirimit matrimonium, nõ tamen ſecunda, ut habetur de cognatione ſpirituali. Cap.5.

Chriſtiani omnes ante baptiſmum bis oleo vnguntur.

OMnes Chriſtiani ante baptiſmum bis vnguntur; ſcilicet oleo benedicto, primo in pectore de inde inter ſcapulas: & bis poſt baptiſmum, ſcilicet chriſmate ſacro: primo in vertice, de inde per Epiſcopum infronte: & ſecundum Auguſtinum. 3. diſt. eccleſiaſticarum primæ tres vnctiones introductæ ſunt potius vſu quam per aliquam ſcripturam, in pectore quidẽ in quo eſt locus cordis, & Baptizandus vngitur oleo, primo, ut per ſpiritus ſancti donum abijciat errorem, & ingnorantiam, & ſuſcipiat fidem rectam: quia iuſtus ex fide uiuit & corde creditur ad iuſtitiam.Inter ſcapulas uero,ut per ſpiritus ſancti gratiam excutiat negligentiam, & torporem, & exerceat bonam operationem,quia fides ſine operibus mortua eſt.In pectore, ut per operis exercitium ſit fortitudo laborum in ſcapulis, quatenus fides per deiectionem ſecundum apoſtolum operetur.

De sacramento Confirmationis.

CONfirma hoc Deus, quod operatus es in nobis. Psal. 67. post sacramentum baptismi, sequitur, aliud, quod maius est, quantum ad ministrorum dignitatem. hoc enim à summis Pontificibus, ideſt Episcopis uel suffraganeis tantummodo traditur, sicut & à solis Apostolis tradebatur, vt dicitur de consecratio. distin. 5. manus, prius enim unctio, postea sequitur Confirmatio, ibi peccatum dimittitur: hic gratia donatur. Datur autem hic illa gratia, qua contra singula vitia, & si non semper, quandoque tamen, pugnatur. Est autem gratia quasi armatura quædam, qua in hoc deserto post transitum moris baptismi contra uitia pugnamus. sicut enim submersis Egiptijs à tergo sequentibus filios Israel olim hostes oppugnauerunt per desertum: sic submerso diabolo in baptismo, qui primum nos insequebatur; contraque vitia gratia in hoc sacramento est data, qua quasi armatura, & munitione quadam muniamur. Vnde post baptismi susceptionem, in qua est gratia collata quantum ad innocentiæ, & nouæ vitæ restitutionem congruè petit ecclesia sibi dari sacramentum à Deo, per quod in illa gratia confirmẽtur uerba præmissa: Confirma hoc Deus. scilicet per sacramentum confirmationis, quo operatus es in nobis, scilicet per gratiã baptismalis renouationis. Ista duo sacramenta, ita sunt coniuncta, quòd ab inuicem in se, morte præueniente, nullatenus possunt segregari, & nunc sine altero rite perfici non potest. Ita dicit Melchiades Papa, scribens Hispaniarum Episcopis, Cuius verba ponuntur de Consecrat. dist. 5. de his vero. difinitur autẽ istud Sacramentum secundum doctorem subtilem super. 4. sent. distin. 7. q. 1. sic: Confirmatio est vnctio hominis viatoris aliqualiter consentientis, uel libero arbitrio non unquã usi, facta in fronte figura Crucis cum Crismate sanctificato, & hoc à Ministro idoneo, simul cum intentione debita in ungente, & verba debite proferente, significans efficaciter ex institutione diuina unctionem animæ per gratiam roborantem ad confitendum cum constantia fidem Christi. & secundum beatum Thom. super. 4. sententiarum: Confirmatio in re est ipsa linitio Crismatis sub forma verborum præscripta.

Confirmatio est à Christo instituta.

QVæritur ante omnia, an Confirmatio sit, à Christo instituta? ad hoc dicunt quidam, quòd Confirmatio non fuit instituta à Christo, nec ab Apostolis, sed ab Ecclesia. Hoc tenet Alex. de ales. 4. p. q. 23. membro. 1. Et S. Bonauentura 4. dist. 7. & Alexander ait, quòd confirmatio fuit instituta in Concilio Meldensi. Oppositum tenet omnis schola Theologorum. Opinio tamen Alexandri non est hæretica, quia non negat confirmationem esse sacramentum, sed tãtum dicit, quòd Christus habens potestatem condendi sacramenta, communicauit illam Ecclesiæ. Sed nos dicimus confirmationem institutam esse à Christo. Nam Apostoli confirmabant, ut patet actuũ. 8. & 19. & confirmati recipiebant Spiritum sanctum, etiam visibiliter, & nõ legimus; quòd ipsi Apostoli hoc instituerint, ergo & quod fuerit ante Concilium Meldense, patet de cõse. dist. 5. vbi Melchiades. Vrbanus. & Fabia-

nus, antiquissimi Pontifices loquuntur de confirmatione, sicut de re in Ecclesia consueta. Et sanctus Clemens, qui Petro successit in epist. 3. ad vniuersos. Et Ciprianus in Concilio Carthaginem. & Hierony. aduersus Luciferiam. Cum autem Sacramenta sint instrumenta nostræ redemptionis, quam Christus operatus est vsque ad resurrectionem, oportet dicere omnia sacramenta instituta fuisse ante resurrectionem Christi. Instituit ergo Christus, hoc Sacramentum, Ioan. 16. quando promisit Apostolis Spiritum sanctum, quo confirmarentur virtute ex alto. Illa enim missio spiritus sancti in Pentecoste, uel fuit sacramentum Confirmationis, uel habuit locũ eius. Quod autem Confirmatio sit sacramentum verè, & propriè. Et quod sit à Domino nostro Iesu Christo institutum, est ab omnibus fidelibus tanquam de fide firmiter tenendum, vt iam superius definitum est, cum de sacramẽtis in communi ageremus. q. 4. & 5. Itẽ hoc idẽ probatur ex eodem Concilio Tridentino. sessione. 7. de confirmatione. Canon. 1. cuius uerba sunt: Si quis dixerit, Confirmationem baptizatorum ociosam ceremoniam esse, & non potius uerum, & proprium sacramentum, aut olim nihil aliud fuisse, quam Catechisin quandam, qua adolescentiæ proximi, fidei suæ rationem coram Ecclesia exponebant, Anathema sit.

Quot sunt de substantia huius sacramẽti.

CIrca quod sciendum est secundũ Petrum de Tharan. super. 3. distin. 18. & Arch. de consecra. dist. 5. nouissime. quinque dicuntur de substantia huius sacramenti, duo ex parte sacramenti, in se scilicet materia Crismatis, id est oleum cum balsamo ab Episcopo sanctificatum, vt habetur de consecratione. dist. 4. presbiter. Nec potest sine tali oleo conferri hoc sacramentum, eo quòd secundum Thomá super. 4. dist. 7. q. 2. art. 3. illa sacramenta, quæ sibi ministrum determinant etiam materiam sanctificatam requirunt, & exigunt. Sed sacramentum quod non determinat sibi ministrum, nisi quantum ad solennitatem, non habet materiam sanctificatam quantum ad necessitatem, sed quantum ad solẽnitatem, ut baptismus. & quia hoc sacramentum determinat sibi ministrũ, ideo etiam requirit materiam sanctificatam ab eo, qui est minister huius sacramenti, scilicet ab *Episcopo*. Quæ autem materia est crismatis ostendit art. 2. dicens, quòd sacramentum sumpsit initium ab aduentu spiritus sancti in discipulos, qui apparuit in linguis igneis, sed ignis nihil conuenientius accipi potest loco eius pro materia in cõfirmatione, quam oleum, quia lucet, & nutrit ignem. Figuram autem linguæ conuenienter accipit balsamus propter odorem, quia per confessionem linguæ odor bonæ notitiæ Dei diffunditur in omni loco. Ideo sicut uisibilis, apparitio spiritus sancti fuit in igne figurata in figura linguæ, ita materia confirmationis est in oleo balsamato, ut oleum pertineat ad conscientiam, quam oportet habere nitidã eos qui confessores diuinę fidei constituuntur. & Balsamus ad bonam famam pertinet, quam oportet diffundere & uerbis, & factis in confessionẽ fidei. hæc S. Tho. & licet Christus circa institutionẽ huius sacramenti non fuerit usus tali materia, nec Apostoli post eum: tamẽ

hodie

hodie Ecclesia non utitur incongruetali materia, eo quòd Christus non alligauit potentiam suam sacramentis. Potuit enim sine tali materia conferre per alium modum gratiam huius sacramenti. Similiter secundum Doctorem subtilem potuit cum discipulis dispensare in primitiua Ecclesia, vt per alium modum conferrent hoc sacramentum: maxime cum tunc erant aliqua signa sensibilia, vt puta descensus spiritus sancti de super, & donum linguarum, quæ omnia accipiebant cõfirmati per Apostolos. unde non fuit necessaria eis materia huius sacramenti in signo tam occulto: ex quo in magis uisibili, & euidentiori illud conferebant. Credit tamen idem doctor, quòd hæc materia ab Apostolis sit instituta, licet non legatur.

Forma sacramenti Confirmationis, & de eius substantia.

QVæritur, quæ sit forma sacramẽti Confirmationis.

Respon. quod hæc: Consigno te signo crucis, & confirmo te Chrismate salutis. hoc tenẽt omnes doctores, nullo excepto, & ita habet ritus Ecclesiæ, & auctoritates sanctorum. & si Apostoli non utebantur hac forma, vt patet actuum. 8. hoc ideo fuit secundum Thomam, & omnes. quia oleum ponitur in confirmatione pro signo uisibili: Sed tunc miraculose fiebant signa uisibilia. & ideo non ungebant confirmatos. Item propter irrisiones infidelium uitandas, esset enim ridiculum apud infideles, si ungerentur Confirmati, & ideo solum confirmabant per manuum impositionem. Cessantibus illis signis uisibilibus miraculose factis, usi sunt materia, & forma prædictis.

TErtium, quod est de substantia huius sacramenti, quod requiritur ex parte ministri, est dignitas pontificalis, seu episcopalis: & intentio debita. in tantum enim requiritur ministerium pontificis in collatione huius sacramenti: ut si per aliũ simplicem sacerdotem fieret etiam de commissione, non valeret, licet secundum quosdam Papa potest simplici Sacerdoti committere, ut posset hoc sacramentum conferre. & hoc tenet gloss. cap. 4. de consuetudine. hoc etiã tenetur ibi Hostien. hoc etiam tenet Archidia. 95. dist. Peruenit. hoc etiam idem approbat. 5. Thomas. super. 4. distin. 7. quæst. 2. art. 3. ubi assignat rationem, dicens, quod Papa per hoc, q Episcoporum summus, non dicitur habere plenitudinem potestatis per relationẽ ad corpus domini verum, sed per relationem ad corpus misticum. & quia gratia sacramentalis descendit in corpus misticum à capite, ideo omnis operatio in corpus misticum sacramentalis, per quam gratia datur, dependet ab operatione sacramentali super corpus domini verũ. & ideo solus sacerdos potest absoluere in foro pœnitentiali & baptizare ex officio. ideo dicendum est, quòd promouere ad illas perfectiones, quæ non respiciunt corpus domini uerum, sed solum corpus misticum potest à Papa, qui habet plenitudinem Pontificalis potestatis, cõmitti Sacerdoti, ut habeat actum summum super corpus domini verum: non autem Diacono, uel alicui inferiori, qui non habet conficere corpus domini verum, sicut nec absoluere in foro pœnitentiali. non autem potest simplici Sacerdoti committere

promouere ad perfectionem, quæ respicit aliquo modo corpus domini verum: & ideo simplex sacerdos ex mandato Papæ, non potest conferre ordinem sacerdotij, quia omnes sacerdotes habent actum supra corpus domini verum, uel supra materiam eius. Potest tamē cōcedere sacerdoti, quod confirmet. quia Confirmatio perficit eum in actu Corporis Christi mistici, non autem habet aliquam relationem ad corpus domini uerum. & hoc dictum approbat in toto Petrus de Tharan. super. 4. senten. dist. 4. secundo principali. q. 1. art. 2. hoc idem approbat Scotus, & licet Bonauentura videatur præmissis contradicere, tamen assentiendum est maiori parti doctorum prædictorum, qui cum terminatione Ecclesiæ hoc approbantes consentiunt in toto, & concordant.

QVartum, quod est de substantia huius sacramenti, est ex parte susciptentis: scilicet susciptens, qui est frons. Vnctio enim fit ad consignificādum id, quod confertur in sacramento. vnde in confirmatione confertur audacia confessionis, cuius oppositum scilicet timor, & erubescentia principalius, & euidentius in fronte manifestātur. ideo fit vnctio frontis. hæc ratio Archi. de conse. dist. 7. q. 4. quia etiam robur in fronte signatur. iuxta illud Ezechiæ. 3. Ecce dedi frontem tuam duriorem frontibus eorum. vnde in tribus sacramentis fit triplex vnctio sancti chrismatis. sed tamen diuersificantur ex fide. quia in baptismo, ut dictū est, fit in vertice ad significādam fidei susceptionem, quia vertex est locus rationalis in Confirmatione in fronte fit vnctio, ad significandam audaciam confessionis, cuius impedimentum, scilicet timor, uel verecundia in pallore, uel rubore frontis, ostendit ex propinquitate Cellulæ memoratiuæ, & imaginatiuæ. in ordine uero in manibus fit vnctio ad significandam potestatem consecrandi corpus dominicum. Hæc Petr. Aliam rationem ponit canon dicens: Spiritus sanctus in baptismo tribuit plenitudinem ad innocentiam, in Confirmatione augumē tum, gratiam præstat, in baptismo regeneratur ad vitam. post baptismum Confirmatur ad pugnam. in baptismo abluimur. post baptismū roboramur. Regeneratio per se soluit, Confirmatio armat, & instruit ad agones huius mundi, & prælia. de consecra. distin. 5. Spiritus sanctus. his omnibus consonans Rabanus de institutione clericor. libr. 1. 30. dicit. Signatur in baptismo baptizatus cum chrismate in capitis summitate idest in vertice per sacerdotem simplicem. per Pontificē verò in fronte. ut in priori vnctione, scilicet in summitate capitis, in baptismo, significetur super ipsum spiritus sancti descensio ad inhabitationē Deo consecrandam. In secunda quoque scilicet in Confirmatione, ut eiusdē spiritus sancti septiformis gratia cum omni plenitudine sanctitatis, scientię, virtutis, & veritatis venire in hominē declaretur. Habentur ista verba de consecra. dist. 5. nouissime. dicitur autem hæc gratia, non solum communiter. sicut in alijs Sacramētis, sed etiam specialiter, per quam quis deputatur ad effectum sanctitatis, & idoneus efficitur ad Christum confitendum, & hæc est maxima vtilitas. vnde hoc debent pensare homines, & istud Sacra-

mentum

mentum non omittere, nam omissio ipsius, augumentum gratiæ subtrahit.

Chrisma Confici præcepit dominus Moysi.

LEgitur, dominum præcepisse Moisi ut conficeret chrisma, quo vnguento vngeret Tabernaculum in dedicatione & arcam testamenti, mensamque cum vasis: & quo similiter Sacerdotes & reges vngerentur. de consecratione. dist. 1. §. 1.

De ritu Confirmationis, & susceptore, vel Patrino.

CIrca ritum huius Sacramenti, vide celeberrimam diffinitionem Concilij Tridentini de Sacramentis in genere sectio. 7. Cano. 13. supra quæst. 36. vbi de baptismi ritibus agebatur. & est notãdum, quòd susceptores Cõfirmandi, seu Patrini debent esse Confirmati: ut patet de consecrat. d. 4. c. in baptismate. & si Patrinus non Confirmatus teneat, non oritur inde cognatio spiritualis, quæ alias oriretur: quia non est verus susceptor. quilibet autẽ Confirmatus potest esse Patrinus, nisi vir vxoris, & vxor viri. Si uir tamen teneat vxorem, inde oritur affinitas: & si scienter fecerit. non potest petere debitum, tenetur tamen reddere. & contrahitur in hoc Sacramento tanta affinitas, quanta in baptismo. & non possunt esse susceptores plures, sed vnus, & debet esse alius, quam in baptismo. Quod autem fiat signatio in fronte, nõ videtur esse de essentia huius Sacramenti, quia in Euangelio non legimus, nisi quod imponebant manus super illos. quod autem fiat per modũ crucis patet esse necessarium, quia in forma dicitur: Consigno te signo crucis, & confirmo te Chrismate salutis in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti Amen. Oleum autem necessarium est, & ritus ecclesiæ tenet, quod Confirmatus non lauet oleum per septem dies: Sed hoc nõ est de essentia. & hęc de Sacramento Confirmationis.

DE SACRAMENTO Eucharistiæ.

ACcipite, & Comedite. Matth. 26. & de consecra. di. 2. panis. quia suscitati à peccatis per baptismũ; & Confirmati in gratia per Confirmationem, ne laborantes in via præsentis vitæ in certamine spirituali deficiant (opus enim habent refici cibo spirituali, alioquin, Saluatore testante: dimissi ieiuni fuerint, deficient in uia. Matth. 15. Ideo post duo Sacramenta, sequitur tertium, scilicet venerabilis eucharistia, quod est cibus animarum nostrarum. iuxta illud Ioan. 6. Nisi mãducaueritis carnẽ. &c. ne igitur omittatur; Sed frequentius sumatur à fidelibus, hortatur Saluator in verbis præmissis: Accipite, & comedite. & rectus ordo est, ut post baptismum, & post Confirmationem sumatur hoc venerabile Sacramentum ab adultis. Legimus si quidem, quòd submersis Egyptijs in mari rubro, transitoque mari prædicto, filij Israel nouum Pascha in azimo pane fecerunt in deserto; sic nos submersis demonibus in baptismo cum peccatis nostris in deserto huius mundi Pascha nouum in azimis sinceritatis, & veritatis, huius sanctissimi panis, facere debemus.

An eucharistia sit sacramentum.

QVæritur, an eucharistia sit sacramentum.

Resp.

Resp. ab omnibus christianis, quod sic, & maximum omnium sacramentorum: ita determinatur in multis Concilijs, & ideo hoc firmiter est de fide tenendum, ut habes superius de sacramentis in genere. Item idem habetur in Concilio Tridentino sessio. 13. ca. 2. & ecclesia cantat: Tantum ergo sacramentum, &c. sed quid est illud, quod vocamus sacramentum, an sit actio ipsa puta consecratio, vel sumptio eucharistiæ, uel aliquid aliud?

Resp. ex S. Thom. 3. par. q. 73. art. 1. ad 3. & 78. arti. 1. ad 2. quod nec consecratio, nec sumptio eucharistiæ est sacramentum, nec pars sacramenti. sed sacramentum eucharistiæ perfectum est id, quod remanet post consecrationem. sicut enim collatio baptismi non est sacramentum baptismi, ita nec consecratio eucharistię est sacramentum, nec ipsa sumptio: sed species ipsæ, & corpus Christi sunt sacramentum: vt patet in capi. penult. 1. q. 1. ubi dicitur. sunt enim sacramenta. Baptisma, Chrisma, Corpus Christi, & sanguis. Ecce aperte dictum. & licet sub diuersis speciebus contineatur corpus Christi, est tamen vnicum sacramentum, non vnitate naturalis, cum species sacramentales differant specie: sed unitate finis, quia omnia, quæ in eo sunt, ordinantur ad vnum finem, scilicet uel ad cõtinendum Christum, vel ad faciendam vnitatem Corporis mistici.

Eucharistia an sit de necessitate salutis.

QVæritur, vtrum sacramentum eucharistiæ sit de necessitate salutis.

Resp. quod est præceptum de Eucharistia. vt patet Ioa. 6. Nisi manducaueritis carnem filij hominis. est etiã sacramentum hoc de necessitate præcepti ecclesiæ, ut diffinitum est in cap. omnis vtriusque sexus. de pœnitentijs, & remissionibus, & longe efficacius. idem est diffinitum in Concilio Tridenti. sessio. 13. cano. 9. cuius uerba sunt: Si quis negauerit, omnes & singulos Christi fideles vtriusque sexus, cum ad annos discretionis peruenerint teneri singulis annis, saltem in Pascate ad communicandum. iuxta præceptum sanctæ matris ecclesiæ, Anathema sit. Secundo dico, quòd sacramentum hoc non ita est de necessitate salutis, sicut baptismus. nam nemo potest saluari sine baptismo realiter, uel in uoto suscepto: & tamen sine eucharistia possunt saluari multi, ut de facto saluantur pueri baptizati, ac proinde non est ita de necessitate salutis. sicut baptismus, eucharistia autem interpretatur bona gratia, ut patet. 1. q. 1. cap. multi. ab alijs interpretatur gratiarum actio, synaxis, communio; & sacrificium.

In eucharistia non manet substantiæ panis, & vini.

DVbitat an in eucharistia maneat substantia panis & uini S. Thoma. 3. p. q. 75. arti. 2. & omnes doctores dicunt, quod non, & hoc de fide tenendum est. & fuit determinatum in Concilio Constantien. sess. 8. ubi condemnatus fuit Vuicleff, qui oppositũ tenebat. & tunc in Concilio Lateranen. in cap. firmiter, de summa trinitate, & fide cathol. item in Concilio Tridentino sessio. 13. Cano. 2. cuius uerba sunt: Si quis dixerit in sacrosancto Eucharistiæ sacramento remanere substantiam panis, & vini cum corpore, & sanguine

guine domini nostri Iesu Christi, negaueritque mirabilem illam, & singularem conuersionem totius substantiæ panis in corpus, & totius substantiæ uini in sanguinem, manentibus duntaxat speciebus panis, & vini, quam quidem conuersionem Catholica Ecclesia aptissime transubstantiationem appellat; Anathema sit. Desinit autem per consecrationem esse ibi panis, materia, & forma, manentibus accidẽtibus: & incipit ibi esse corpus Christi loco panis. non tamen dicitur annihilari, licet nihil ipsius maneat, quia omnis motus accipit nomen à termino ad quem, sicut uocamus calefactionem quando ex aqua frigida fit calida, quia illa actio terminatur ad calorem. Cum igitur conuersio ista non habeat pro termino decisionem panis, sed præsentiam Corporis Christi sub his speciebus, ideo non dicenda annihilatio panis, sed conuersio, licet desinat esse materia, & forma panis, secundum se. Disputatio uidetur de nomine, sed hoc modo dicitur conuenientius.

Christus est totus in tota hostia, & in qualibet parte.

QVæritur, vtrum Christus sit totus in tota hostia, & totus in qualibet parte hostiæ.

Resp. iuxta fidem Catholicam, affirmatiuè. Sic enim expresse diffinitur in Concilio Florenti. sub Eugenio quarto. & item in Concilio Tridentino, Sessio. 73. Can. 3. cuius uerba sunt: Si quis negauerit in uenerabili sacramento eucharistiæ sub unaquaque specie, & sub singulis cuiusque speciei partibus, separatione facta, & totum Christum contineri, Anathema sit. S. Thom. ingenue fatetur nescire modum, quo Christus est in hoc sacramẽto. Alex. de Ales. 4. p. q. 40. Altisiodorensis, Ricardus, Bonauentura, Pal. Durand, Capreo. S. Thom. & omnes antiqui ponunt hunc modum, & dicunt, quod Christus est totus in tota hostia, & totus in qualibet eius parte, & quod omnes partes Christi sunt simul cum qualibet parte hostiæ; sed nõ simul inter se. nam Corpus Christi in hostia est extensiue, & septem pedũ. nec membra Christi in hostia sunt simul, sed sicut in cœlo: quantitas enim habet duo officia, unum est separare partem ex parte subiecti, ita quod caput sit extra pedes, & brachia extra crura. Alterum est extendere partes in situ in ordine ad locum. Quantitas ergo in Eucharistia exercet officium primum, non tamen secundum: nam si Christi corpus non esset in hostia extensum, non organizatum, nec cum figura, & viueret ibi violenter. Hunc etiam modum tenet Scotus. Maio. & Marsilius; ex quo sequitur, quòd corpus Christi in Eucharistia uere, & sine fictione quacunq; potest a nobis imaginari, cuiuscunque figuræ voluerimus. & sic depingitur Crucifixus, eo modo se habere, sicut si esset vnus puer tantillus, sicut est imago Crucifixi in hostia, nam ubi sunt oculi imaginis, est oculus Christi, & ubi manus Christi, quomodocunque figurata sit imago. Hæc non est mala imaginatio.

Quæritur, an prædicta continentia, & existentia corporis, & sanguinis Christi, & totius Christi sub speciebus panis & vini, sit uera, & realis;

Respondetur affirmatiue, & ita secundum fidem Catholicam tenendum est. ita enim diffinitur in Concilio Tridenti.

Tridenti.Sesio.3.Cano.1.cuius verba sunt: Si quis negauerit in Sanctissimo eucharistiæ sacramento contineri vere realiter, & substantialiter corpus, & sanguinem una cum anima,& diuinitate domini nostri Iesu Christi, ac proinde totum Christum, sed dixerit tantúmodo esse in eo,vt in signo,uel figura aut virtute, Anathema sit.

QVæritur, an huiusmodi realis existentia & continentia totius Christi, & partium eius in hoc sacramento, duret duntaxat pro tempore,quo sacramentum est in usu,hoc est si sit ibi vere, & realiter solummodo,quando sacramentum sumitur.

Respondetur negatiue,quòd est ibi ab instanti consecrationis,& transsubstantiationis, usque dum species ipsæ panis, & uini desinant esse in rerum natura, & ita de fide tenendum est. Sic enim diffinitur in Concilio Tridentino.sesio. 13. Cano. 4. his uerbis:Si quis dixerit peracta consecratione in admirabili eucharistiæ sacramento nõ esse corpus, & sanguinem domini nostri Iesu Christi,sed tantum in usu,dũ sumitur,non autem ante,uel post in hostijs, seu particulis consecratis, quæ post communionem reseruantur, uel super sunt, non remanere verum corpus domini, Anathema sit.

QVæritur, an in sacramento eucharistiæ, Christus sit adorandus adoratione latriæ non solũ interno cultu; sed etiam externo;

Respond.affirmatiue, & ita secundum fidem Catholicam firmiter est tenendum. Sicut enim diffinitur in Concilio Triden.Sesio 13.Cano.6. Cuius uerba sunt: Si quis dixerit in sancto eucharistiæ sacramento Christum unigentium Dei filium, non esse cultu latriæ etiam externo adorandum, atque ideo nec festiua peculiari celebritate venerandum,neque in processionibus secundum laudabilem,& uniuersalem Ecclesiæ sanctæ ritum & consuetudinem solemniter circumgestãdum, vel non publice, vt adoretur populo proponendum,& eius adoratores esse idolatras, Anathema sit.

EX quæstionibus nunc proxime diffinitis constat licere sacram eucharistiã in sacrario reseruati,& licere, item ipsam ad infirmos honorifice deferre, & oppositæ assertiones hæreses sunt,ut patet ex Concilio Tridentino. Sesio.13.Cano.7. cuius uerba sunt:Si quis dixerit non licere sacrã eucharistiam in sacrario reseruari, sed statim post consecrationem astantibus necessario distribuendam,aut non licere, vt illa ad infirmos honorifice deferatur, anathema sit.

Ex eisdem item diffinitis quæstionibus liquet,certissimumque est, Christum in eucharistia exibitum manducari non tantum spiritualiter, sed etiã sacramentaliter.quod quidem diffinitum est,ubi supra Canon.8.his uerbis; Si quis dixerit Christũ in eucharistia exhibitum spiritualiter tãtum manducari, & non etiam sacramentaliter, ac realiter, Anathema sit.

Christus quomodo moueatur in eucharistia.

QVæritur, utrum Christus moueatur in hoc sacramento;

Respondet S. Tho.3.p.q.76. Art.6. ponẽs duas propositiones. Prima est: Corpus Christi in eucharistia non potest moueri localiter perse : quia non potest transire ab vna parte hostiæ ad

alium.

aliam. Secunda, ad motum hostiæ corpus Christi mouetur localiter per accidens, sicut, motis nobis, mouentur ea, quę sunt in nobis. idem dicit Marsilius. 4. q. 7. artic. 3. dub. 5. de alijs autē motibus, alterationis, calefactionis corruptionis, & similibus; dicit S. Thomas. & Scot. & quòd non est ibi capax alicuius actionis, ut passionis naturalis, saltem respectu alicuius extrinseci, respectu cuius habet se corpus Christi, sicut si esset substantia spiritualis. & ita communiter tenent omnes: & hoc non est propter impedimentum Christi, sed naturaliter. & sic in Sacramento hoc non est mobiliter Christus nisi solo motu locali, & si corruptis speciebus desinat ibi esse corpus Christi, non tamen dicitur corrumpi: sicut nec ego desinēs esse in hoc loco, dicor corrumpi. manet igitur Christus, tandiu in speciebus, quamdiu manet substantia panis, & vini, si non essent consecratæ.

Christus an videri possit in hostia.

QVæritur, vtrum Christus possit uideri in hostia.

Resp. S. Thom. 3. p. q. 76. artic. 7. quod naturaliter loquendo, nullus oculus corporeus, præter oculum Christi, potest videre Christum. in Eucharistia, nec oculus corporis glorificati. idem dicit Scotus. 4. di. 10. q. 9. & Marsilius. q. 7. arti. 3. & durandus. dist. 10. q. 4. Secundo dico, quòd oculus Christi in eucharistia uidet se existētem in eucharistias hoc. S. Tho. 3. p. q. 76. arti. 7. ad secundum: & quia litera est ibi mendosa, debet sic legi. Ad 2. dicendum, quòd oculus corporalis Christi uidet se in sacramento. non tamen potest uidere ipsum modum existendi, quo est sub sacramento, quod pertinet ad intellectum. Tertio dico, quòd oculus corporalis, tam uiatoris, quam beati, per miraculum potest Christum uidere in eucharistia. Hoc S. Thom. & Scotus. & hoc de oculo corporali.

Vtrum uero per intellectum possit Christus uideri, & eius modus existendi in hoc sacramento.

Dico cum. S. Thom. loco citato nunc, quod naturaliter loquendo nullus intellectus humanus, aut angelicus, coniunctus, aut separatus, potest cognoscere Christum in hoc sacramēto, secundum quod est sub speciebus. Patet, quia iste modus existendi, est super naturalis excedens totam naturę facultatem. Secundo, dico, quòd beati uident hoc misterium, sed in uerbo: nam cum hoc sacramentum sit unum pręcipuum de substantia fidei, & uisio córrespondeat fidei, & spei beati uidēt illud, sicut. n. audiuimus, sic vidimus in ciuitate dei nostri. Psa. 47.

Effectus eucharistiæ.

QVæritur, qui sint effectus huius sacramenti.

Respo. S. Thom. 3. p. q. 79. arti. 1. quod primus effectus est collatio gratiæ. hæc autem gratia cōfertur in sumptione, vt patet Ioan. 6. qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem in me manet & ego in eo. Gratias, quas ꝓmittit Christus in hoc sacramēto, promittit rōne sumptionis, ergo ante sumptionem non conferuntur: & de hoc non est dubitandum. datur autem prędicta gratia immediate in ipsa sumptione, & omnibus sumentibus eucharistiam confertur æqualis gratia ratione sacramenti ex opere

operato. non tamen ideo datur maior gratia, quia recipitur sub utraque specie: nam alias qui maiorem hostiam sumeret, maiorem perciperet gratiam ratione quantitatis continuę, quod est falsum: ac proinde nec ratione quantitatis discretæ, cum sub specie panis, & uini sit unicum sacramentum. & alias fraudaretur populus magna gratia sacrificij: cum profecto pia mater ecclesia non negaret illud sub vtraque specie, si daretur maior gratia. Iste autem effectus gratiæ non impeditur per peccatum veniale, licet enim quis recipiat eucharistiam, in actuali peccato ueniali, non ideo impeditur augmentum gratiæ in eo, ut ait. S. Thom. 3. p. q. 79. arti. 8. quia alias esset magnum periculum. quis enim sine peccato ueniali accederet sæpe? per peccatum autem uenia le impeditur actualis sensus, gustus, & delectatio spiritualis. Nec etiam requiritur tunc motus liberi arbitrij actualiter, concomitans sumptionem eucharistiæ: sufficit enim motus liberi arbitrij præcedens, ut etiam dicit. S. Thom. 4. dist. 15. quæst. 1. artic. 3. quęs. 3. ad 2.

An minister eucharistiæ sit Sacerdos.

QVæritur, an minister huius sacramenti sit Sacerdos.

Resp. quòd non est licitum dubitare de hoc. patet in cap. Firmiter de summa trinitate. & fide catholica. & in Concilio Florent. & etiam patet exui ipsius nominis. Sacerdos enim dicitur à sacrificando, sed eucharistia est sacrificium: ergo ad solum Sacerdotem spectat. Item, quia in lege veteri non pertinebat ad omnes afferre sacrificia; sed solum ad Sacerdotes: & Abraham obtulit decimas Melchisedech, quia erat Dei Sacerdos: ergo etiam in lege noua solis Sacerdotibus licet offerre sanctum sacrificium altaris. Quando autem ordinandi cum Episcopo consecrant, si aliqui dicant formam consecrationis, antequã Episcopus. uel post quam finiuit Episcopus. nihil faciunt, ut dicit Palu. & Caietanus. nam intentio eorum est consecrare cum Episcopo.

De forma Sacramenti Eucharistiæ.

QVæritur, quia per virtutem verborum, quæ sunt forma huius sacramenti, Transsubstantiatur panis, & vinum in corpus, & sanguinem Christi.

Resp. istius Sacramenti *duæ* sunt formæ: vna super panem, & alia super vinum: forma vero, quæ est super panem, qua trassubstantiatur panis in corpus Christi; hæc est: Hoc est corpus meum. Vnde alia verba: Accipite; & manducate. &c. non sunt de essentia formæ, sed solum illa verba prædicta: quæ si Sacerdos non diceret super panem, cum intentione conficiendi, consecraret: quamuis peccaret transgrediendo Ecclesiæ constitutionem. Forma vero super vinum, qua transubstantiatur in sanguinem, hæc est: Hic est enim calix sanguinis mei, noui, & æterni testamenti, misterium fidei, qui pro vobis, & pro multis effundetur in remissionem peccatorum. & istorum verborum solum illa sunt de essentia formæ, in quibus tota virtus sacramẽti consistit. scilicet illa: Hic est calix sanguinis mei: Alia verba non sunt de essentia Sacramenti. sed quædam corũ declarant vsum Sacramenti. sicut illa. Accipite, & manducate. &c. & quædã

effi-

efficaciam Sacramenti, sicut illa: Noui, & æterni. Similiter hęc dictio, enim, non est de essentia formæ, sed de institutione ecclesiæ. Vnde si quis eam demitteret conficeret: & nec Sacramentum impediret. Sed peccaret. Nota etiam, quòd calix ibi ponitur Metaphorice, & similitudinarie pro passione Christi. Item scias, quòd cũ corpus humanum non sit sine sanguine. nec sanguis sine corpore: ideo in consecratione prima fit conuersio in corpus, & ex naturali concomitantia in animam, & sanguinem, & alia quę corpus sequuntur. Similiter etiam de sanguine, Primo fit conuersio in sanguinem, & ex naturali concomitantia in corpus, & alia quæ humanum sequuntur sanguinem.

QVæritur si Sacerdos consecraret corpus, & non consecraret sanguinem, nunquid esset ibi uerum corpus Christi consecratum.

Resp. verum Christi corpus etiam esse ibi sub illis speciebus virtute verborum, quæ ad consecrationem corporis pertinent. licet nũquam sanguis consecraretur: Vnde errauerunt quidam, & in hęresim lapsi sunt, qui dixerunt, quod vna forma expellat aliam, & quòd non est ibi corpus, donec prolatio fiat verborũ sanguinis: Hoc esset enim idolatria. Quia Sacerdos eleuãdo hostiam, corpus Christi non indicaret populo, sed solum panem: quod est erroneum dicere, & hæresis: quia ibi est verum corpus Christi.

An ministrare Eucharistiam laicis, conueniat Sacerdotibus.

QVæritur, an ministrare Eucharistiam laicis spectet ad Sacerdotem.

Resp. quòd propria auctoritate, & tanquam ex officio, spectat ad solum Sacerdotem: ut habetur in cap. Peruenit de consecrat. d. 2. vbi puniũtur Sacerdotes, qui per alios mittebant sacramenta, & dicitur, quòd solus Sacerdos potest id facere. Tempore uero, quo populus communicabat sub vtraque specie, diaconi ministrabant sanguinem, non tamẽ corpus domini, quia in calice non tangebatur corpus domini immediate; & ideo sanguinem ministrare poterant: non autem corpus domini, quia immediate tangitur. ut in necessitate, scilicet ægrotante Præsbitero, potest diacono committi, ut deferat corpus domini. ita dicit Palu. dist. 13. & S. Thom. 4. di. 13. q. 1. arti. 3. nec est dubitandum de hoc. & etiam sine commissione posset diaconus in necessitate portare Eucharistiam, ut ait S. Thomas. non tamen sub diaconus, aut alij inferiores. Durand. dicit se uidisse, quod diaconus Cardinalis, Papa celebrante, dat Eucharistiam alijs clericis. ipse dubitat an id recte fiat. Sed certe nullum Sacrilegium ibi interuenit iudicio meo.

De Sacramento Pœnitentiæ.

POEnitentiam agite appropinquabit enim regnum cœlorum. Matth. 3. & 4. & de pœniten. dist. 1. ex his. quia restituta in baptismo innocentia, homo fragilis illæsam, & incontaminatam continuè seruare non potest uitam, quin sæpius cadat: ideo diuina maiestas contra casum hominis pro restitutione innocentiæ perditę de sacramento pœnitentiæ prouidit, per quam homo adeo per peccatum e longatus ad ipsũ appropinquat. Hinc est, quòd Saluator ueniens in mundum,

quasi bonus medicus ęgrotis cõsulẽs dicit: Pœnitentiam agite, Secundum Gorram super Matth. tanquam medicinam ad sanandum morbum, quasi armaturam ad ineundum bellum, quasi clauem ad reserandum cœlum. Tria enim consequitur pœnitentia acta, scilicet sanationem vulneris cordis, armationem insidiarum hostis, & aptionem regni cœlestis. unde dicitur: Appropinquabit enim vobis regnum cœlorum. Diffinitur autem sic secundum Magistrum Senten. lib. 4. dist. 14. Pœnitentia est virtus, qua commissa mala plangimus cum emendationis proposito. Ambros. autem sic diffinit Pœnitentiam: Pœnitentia est virtus cordis, amaritudo animæ pro malis, quæ quis commisit. alibi etiam idem Ambr. dicit: Pœnitentia est mala præterita plãgere, & plangenda iterum non committere.

Pœnitentia est Sacramentum.

QVæritur, vtrum pœnitentia sit sacramentum, & vtrum post baptismum sit aliquod signum visibile institutum ad remissionem peccatorum actualium.

Resp. quód sic, & est conclusio de fide: ut patet Ioan. 10. Quorum remiseritis peccata, remittũtur eis. & Matth. 18. Quodcunque solueris super terram, erit solutum & in cœlis. ex his locis patet, quod est aliqua auctoritas, & iurisdictio inter homines ad remittenda peccata. & iurisdictio inter homines exercetur per actum exteriorem: ergo pœnitentia est signum sensibile institutum à Deo in remissionem peccatorum, ac proinde est Sacramentum. idem patet auctoritate Ecclesiæ in cap. ad abolendam. extra de hæreticis. & expresse inter Sacramenta nũmeratur confessio peccatorum. & inter hæreticos numerantur qui aliter sentiunt de Sacramentis. quam ecclesia Romana sentit. & in Concilio Florentino sub Eugenio. 4. numeratur Pœnitentia inter septem Sacramenta: ergo. idem diffinitur in Concilio Tridenti. Sess. 10. de pœnitentiæ sacramento. Cano. 1. cuius verba sunt. Si quis dixerit in catholica ecclesia pœnitentiam non esse verè, & proprie Sacramẽtum pro fidelibus quoties post baptismum in peccata labuntur, ipsi Deo reconciliandis, à Christo domino nostro institutum, Anathema sit.

Et quòd Sacramentum pęnitentiæ, & Sacramentum baptismi, non sint vnũ Sacramentum, sed duo, firma fide tenẽdum est. sic enim dicitur in prędicto Concilio & Sesio. Can. 2. & Cano. 2. item si quis Sacramenta confundens, ipsum baptismum, pœnitentiæ Sacramentum esse dixerit, quasi hæc duo Sacramenta distincta nõ sint, atque ideo pęnitentiam, non recte secundam post naufragij tabulam appellari, Anathema sit.

Vocatur autem Sacramentum pœnitentiæ, quamuis contineat Contritionem, Satisfationem, & Confessionem: quia sumpsit nomen ab vltimo: ut dicit S. Thomas. 4. dist. 16. quæst. 1. arti. 1. sicut sæpe vsitatum est. nã licet homo sit animal, corpus, & substantia, non denominatur nisi ab vltimo, qđ est homo; Sic etiam Sacerdos, quãuis sit diaconus, & subdiaconus, nominatur Sacerdos ab vltimo. Quia uero vltima pars pœnitentiæ, quæ est satisfactio, est pœnalis, immo omnia in hoc sacramento sunt pęnalia: ideo uocatum

est

est sacramentum, pœnitentiæ totum aggregatum ex illis partibus, tam actus pœnitentiæ, quam absoluentis.

Materia Sacramenti Pœnitentiæ.

QVæritur, quæ sit materia huius Sacramenti.

Respon. quod materia remota sunt peccata pœnitentis. Vnde cum Beatissima virgo nullum prorsus peccatum habuerit, falsum est, quod quidam fingunt, scilicet quòd confitebatur Beato Ioanni Euangelistę. Materia uero propinqua, sunt tres actus pœnitentis, scilicet, Contritio, Confessio, & Satisfactio, ita enim diffinitum est in Concilio Florent. sub Eugenio. 4. & idem etiam diffinitur in Concilio Trident. sessione. 14. de pœnitentiæ sacramento cano. 4. his verbis: Si quis negauerit ad integram, & perfectam peccatorum remissionem requiri tres actus pœnitentiæ. quasi materiam sacramenti pœnitentiæ, videlicet, Contritionem, Cófessionem, & satisfactionem, aut dixerit duas tantum esse pœnitentiæ partes, terrores, scilicet, incussos conscięntiæ, agnito peccato, & fidem conceptam, ex euangelio uel absolutionē, qua credit sibi per Christum remissa peccata, Anathema sit.

Forma Sacramenti Pœnitentiæ.

SCiendum quòd duplex est pœnitentia, scilicet interior tantum, & est dolor pro peccato, & hæc de iure naturæ; alia exterior, quæ fit arbitrio hominis, scilicet imposita per Sacerdotem. Prima non est sacramentum propriè, sed secūda, scilicet per ministros ecclesiæ imposita. Est autem materia huius sacramenti actus ministri, scilicet Sacerdotis, quem exercet circa peccatorem, absoluendo ipsum, forma autem istius sacramēti licet a Christo non sit instituta certa, tamē secundum Doctores est hæc, quòd primo præmittatur oratio, scilicet illa: Dominus Iesus Christus te absoluat, uel misereatur tui omnipotens Deus, & dimittat tibi omnia peccata tua; & perducat te in vitam æternam: & tunc sequatur forma essentialis scilicet, & ego auctoritate, qua fungor, ABSOLVO TE à peccatis tuis, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. ita ponit Albertus in scripto. 4. senten. dist. 17. dicit autem Thom. in 3. parte. q. 84. arti. 3. qđ de substantia formæ est: EGO TE ABSOLVO, sed hoc, quod præmittitur scilicet, Oratio, nó est de substantia formæ: sed tantum, ne sacramenti effectus impediatur ex parte pœnitentis. Fit autem manus impositio super caput confitentis, quod non est de essentia, secundum Thomam, quia hoc sacramentum non ordinatur ad aliquam excellentiam gratiæ consequendam, sed ad remissionem peccatorum. Vnde magis in hoc sacramento competeret signum crucis, quam manus impositio, in signum, quòd per sanguinem Christi remittuntur peccata: non tamen est de necessitate sacramenti. Hoc tamen quod dicit Sacerdos: Ego te absoluo, ualet tantum, idest, Sacramentum absolutionis tibi committo. sicut, cum quæritur ab aliquo baptizándo: Credis in Deum? Respondet: Credo, quod ualet tantum, sicut Sacramētum fidei suscipere uolo. Secundum doctorem Parisiensem. dist. 14. quæst. 3. plures tamen docti sic absoluunt: Auctoritate domini nostri Iesu Christi, Beatorum, Petri, & Pauli. & auctoritate mihi in hac parte concessi,

ab

ab omnibus peccatis tuis per te, Deo, & mihi confessis, ego te absoluo, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti: Tamen ex quo certa forma non est ab ecclesia prescripta in hoc sacramento, eligat quis sibi quam vult ex istis. Vnde ex hoc potest patere, quod cum istud sacramentum nō habeat certam formam a Christo institutam, uel per Ecclesiam præscriptam, videtur consonum, quòd illi, qui absoluunt per virtutē passionis Iesu Christi, uel aliter, non sint damnandi, tanquam erronei. immo videtur, quòd prædicta forma absolutionis per doctores inuenta, & aprobata sit sustinenda, nec opus fuit repetere confessiones talibus factas. quia in nullo cōtra determinationem ecclesiæ venerunt prædicti: nec causa inducēdi errorem per illam formam, sed tanquam pie seruatam, eadem vsi sunt.

Vlterius sciendum, quod tres sunt species pœnitentiæ, quædam est solēnis, quædam publica, quędam priuata, seu secreta. Solemnis pœnitentia est, quæ imponitur ab Episcopo in capite ieiunij pro crimine publico, & manifesto, sicut pro homicidio, & Sacrilegio, incendio &c. & talis non potest reiterari, ne uilescat, nec imponitur clerico nisi deposito. & agens talem pœnitentiam, de cetero non potest promoueri ad sacros ordines. Forma autem imponendi eam ponit Sot. dist. in cap. vbi dicitur, quòd omnes pœnitentes, qui talem pœnitentiam publicam suscipiunt, præsentent se Episcopo in cap. quadragesimæ ante fores ecclesiæ nudis pedibus, vultibus in terra demissis. &c.

Item debent adesse Decani, Archipræsbyteri, Parochiani, & præsbyteri pœnitentium, qui debent iniungere talibus pœnitentias. post hæc eos in ecclesiam introducant, & cum omni clero septem Psalmos pœnitentiales, ipsis in terram prostratis, cū lacrimis, pro eorum absolutione decantent. Postea surgens ab oratione, manus eius imponat aquam benedictam super eos aspergat: cinerem tamen prius immittat. De inde cilicio capita eorum cooperiat. Post hoc per ministros Ecclesiæ de Ecclesia eos expellat cum Responsorio: In sudore vultus tui. Iste tamen modus non seruatur apud nos. Sed translatus est in cęnam domini, & expeditur. Sciendum tamen secundum Gulielmum, quod *ingressus* ecclesiæ, qui iniungitur solemniter pœnitentibus, pendet ex arbitrio sacerdotis. tamen post quam introducunt tales in ecclesiam per Episcopum feria quinta magna, solum intrabūt ecclesiam vsq; ad octauam paschæ. & postea exibunt per totum annum, ut dicit glos. prima dist. in capite. & erunt extra ecclesiam vsque ad eādem feriam sequētis anni. nec communicabunt aliquando vsque admortem. quandoque tamen minus secundum arbitrium episcopi. 12. q. 2. de uiro. 33. quæst. 2. Admonete. 26. q. 6. si quis de corpore & de pœnitent. dist. 5. si qui uero. Si tamen pęnitet, potest in secundo, uel tertio anno reddi ingressus ecclesiæ. ut patet. 12. quęst. 2. de uiro.

Pœnitentia publica est, quæ fit in publico, non tamen cum prædicta solemnitate, vt cum iniungitur a licui peregrinatio per mundum cum baculo cubitali, & cum scapulari, &c. & hanc potest imponere quilibet suo parochiano

rochiano,& fit publice,ideo,vt publicum peccatum publicam habeat medicinam. sicut si quis in fornicatione esset deprehensus publicè, unde quia talis magna est confusione dignus,propter aliorum scandalum, & vt sit alijs in terrorem, & in exemplum pœnitendi,& non desperandi, publice agat pœnitentiam. Non oportet autem pro quolibet manifesto peccato, manifestam agere pœnitentiam, secundum Albertum, sed solum quando scandalizauit alios,& hoc est contra multos, qui iniungunt suis parochianis publicam pœnitentiam ante fores Ecclesiæ, uel in circuitu Cemeterij ambulare ante processionem in die festiuo, vel iacere ad faciem infra ostium Ecclesiæ, pro leui peccato, sicut pro vna potatione,uel pro alio peccato, quod tamen non scandalizauit totam Ecclesiam.& isti præcludunt viam pœnitendi,seu confitendi alijs similibus peccatis inuolutis, ne similiter confundantur. Pœnitentia autem priuata, seu secreta est, quam quis imponit pro peccato occulto.

Pœnitentiaest sufficiens remedium contra peccata.

QVæritur, utrum pœnitentia sit remedium sufficiés contra peccata.

Respon.quòd sic. patet ex illo Ezechiel. 18. Si impius egerit pœnitentiã ab omnibus peccatis suis, quæ operatus est, vita uiuet,& nõ morietur: Omnium iniquitatum eius, quas operatus est, non recordabor. & idem dicitur.capit.33.& sapien.2. Dissimulans peccata hominum propter pœnitentiam.& Matth.3.Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnũ cœlorũ. idem dicitur Matth.4.& Luc.15.Gaudium est angelis super uno peccatore pœnitentiam agente. & 2. Corn.7. Quæ enim secundum Deum tristitia est,salutem operatur.Luc.17. Si pœnitentiam egerit, dimitte illi, & sunt in utroque testõ infinita testimonia.

Dubitatio:si obijcias illud Hebæ.6. Impossibile est eos,qui semel sunt illuminati, rursus renouari ad pœnitentiam.

Dico cum S.Thom.3.p.q.84.artic. 10.ad 1. & cum Chrisosto. & omnibus sanctis doctoribus, quod ibi negat Paulus,non pœnitentiam, sed renouationem per baptismum secundo acceptum:quia baptismus non est iterabilis. Peccatum vero in spiritum sanctũ, si sit finalis impœnitentia,idest peccatum,cum quo homo moritur, absque eo quod egerit pœnitentiam de eo,est irremissibile. Alia autem peccata in spiritum sanctum dicuntur irremissibilia,quia difficile dimittuntur, & raro. Deus tales conuertat, & sunt in magno periculo. Sed tamen si pœnitentiam egerint, remissionem sine dubio consequentur.

Pœnitentia est necessaria ad salutem.

QVæritur, an pœnitentia sit remedium necessarium ad salutem post lapsum in peccatum.

Respon.quod sic. nam in sacris literis ubicunque dominus hortatur ad ueniam petendam,non dat aliud remedium,nisi pœnitentiam. ergo, & hoc adeo uerum est, quod etiam requiritur pœnitentia de peccatis commissis ante baptismum, adulti enim qui baptizantur,necesse est,quòd doleant de peccatis iuxta illud actuum. 2. Pœnitentiam agite,& baptizetur unus quis-

que

que uestrum. & Augustinus libro de pœnitentia ait: Omnis, qui iam suæ voluntatis arbiter constitutus est, cum ad sacramentum fidelium accedit, nisi cum ueteris uitæ pœniteat, nouam nõ potest incoare. quod & habetur de consecratio. dist. 4. cap. omnis qui. Ab hac autem pœnitentia cum baptizantur, soli paruuli sunt immunes.

De uenialibus autem non est necessaria pœnitentia, quia per dilectionem Dei, & per multa alia remitti possunt. Si uero peccator præueniatur aliquo periculo maris, uel latronum, uel alicuius alterius, pœnitentia erit, quod faciat tunc quicquid possit, dicate: Miserere mei Deus, uel aliquid simile: quicquid enim possit etiam in ultimo statu, facere hoc animo, vt concilietur Deus, & placatus reddatur, pœnitentia est. talis namque non est extra salutis statum.

Pœnitentia remittit pœnam peccatorum.

QVæritur, vtrum per pœnitentiã remittat pœna debita peccatis

Respond. quòd per pœnitentiam semper remittitur aliqua pars reatus, & si sit minor: non tamen oportet, quòd tollatur tota obligatio ad pœnam, nam omnes fatentur, quòd post quam pœnituit. aliquis imponenda est aliqua pœnitentia, nec hoc infert præiudiciũ aliquod diuinæ misericordiæ, quod post dimissam culpam, quærat pœnam ab amico: qui enim peccat læditur iustitiam simul, & amicitiam, iure autem amicitiæ tenetur ego, dum aduersarius petit ueniam, & est paratus facere, quicquid uoluerim, recipere eum ad pristinam amicitiam, nec debeo dicere, non parcam, aut non erit amicus, donec reddat domum, quam combusit. Sed nihilhominus salua amicitia possum repetere domum meam, & Rex potest amico suo remittere homicidium. tamen omnino, salua amicitia, cogit eum satisfacere alteri pro iniuria. Sic Deus omnino post quam aliquis petit ueniam, redit in amicitiam, & nihilominus exigit iustitiam. Nota vnum locum, ex quo expressè constat, quòd Deus punit hominem, post quã factus est ei amicus. 2. Reg. 12. postquam dimisit Deus peccatum Dauid, dicitur, uerumtamen filius, qui natus est tibi, morietur. &c.

Per omnia bona opera restituitur aliquid de gratia perdita.

VTrum autem ratione aliorum bonorum operum restituatur aliquid de gratia perdita, siue præcedenti? Probabiliter dicimus, quòd sic. Videtur enim omnino, quòd bonus princeps, si propter delicta abstulerit ab aliquo bona. postmodum, illo pœnitente, restituerit ei princeps aliquam bonorum partem, & tot obsequia posset deinde regi exhibere, quod reddat ei omnia: & esset hoc laudabile in principe; ita prorsus videtur dignum sentire de Deo, & quod diligenti Deum, vel danti elemosinam, vel alia bona opera facienti post pœnitentiam, restituat aliquid de gratia perdita. Certum igitur est, merita præcedentia non perdi omnino, sed recuperari à pœnitente.

An post vitam sit locus pœnitentiæ.

QVæritur, vtrum post hanc vitam sit locus pœnitentiæ? Respon. quòd non, sed prout in corpore gessit siue bonum, siue malum, recipiet. 2. Corinth. 5. & ubi ceciderit lignum, ibi mane-

manebit. Ecclesiast. 2. ueniet nox, quando nemo poterit operari, Ioan. 9. Sed contra de Traiano, & alijs, quos apostolici suscitauerunt, quorum aliqui forsan erant in infernum detrusi.

Respon. non dubito, quia Deus possit homines damnatos liberare ab inferno, sed hoc est præter legem, id autem, quod dicitur de Traiano timeo, quod sit fabula, tamen quicquid sit, Deus potest omnes damnatos eripere ab inferno, etiam si eos non peniteret, & sic non est opus dicere, quòd suscitauit illum ad pœnitendum, non enim erat opus.

DE CONTRITIONE, QVAE EST PRIMA Pars Pœnitentiæ.

VT autem ordinate procedamus circa huiusmodi pœnitentias tam publicas, quã priuatas, tria considerari oportet circa istud sacramentum, habet enim pœnitentia tres partes, scilicet Contritionem, Cõfessionem, & Satisfactionem. Contritio est dolor pro peccatis voluntariè assumptus, cum proposito cõfitendi, & satisfaciendi. Circa quod sciendum, quòd dolor est duplex, unus est uoluntatis, qui non est aliud, nisi paccati displicentia, & iste est de necessitate, & essentia cõtritionis. Alius est dolor sensibilis, qui apparet in lacrimis & suspirijs, & iste non est de essentia contritionis, Sed de perfectione, quia non est in nostra potestate ea habere, quando uolumus. potest autẽ tanta fieri contritio, quòd non solum culpa, sed etiam tota pœna dimittatur. Potest enim tantum incendi charitas in contrito, & tantus esse dolor sensibilis, quòd contritio inde procedẽs merebitur solutionem ab omni pœna. Sciendum tamen est, quòd aliqui putant satis indiscrete tunc esse contritionem, quando habent quandam displicentiam de peccatis uel quando ha bent propositum dolendi de eis, & tales pauperes decipiuntur, hoc enim non est contritio, sed attritio. Sed quã do homo habet perfectam displicentiam, & habet non solum dolendi propositum, sed etiam uerum Cordis dolorem pro ipsis: tunc habet contritionem, secundum Thom. in 4. dist. 17. q. 6. arti. 3. debet autem peccator de omni peccato mortali dolere, & contritio nem habere, & de quolibet specialiter. De oblitis tamen sufficit contritio generalis cum conatu ad recordandũ, & ad dolendum. & debet dolere de obliuione peccatorum, quæ ex negligentia sua processit. Non intelligas, quod quis necessario debet habere do lorem specialem de quolibet peccato mortali, talem uidelicet dolorem, qui est gratia informatus, sed liquet quòd debet hoc habere circa principium confessionis, cum quis recogitat peccata, & dolet, & benefaceret peccator qui pro maiori plus doleret. quia magis per hoc Deum offendit, & maiorem pœnam promeruit. Nec debet cõtritio, saltem in habitu, cessare in peccatore, etiã post cõfessionem, sed semper manere, vt dicit Thom. in 4. distinct. 17.

An sit necessarium propositum non peccandi.

QVæritur, an sufficiat dolere solum de peccatis præteritis, vel an requiratur etiam propositum

tum non peccandi? Hæc est grauis quæstio & de qua sunt uariæ sentẽtiæ, Maior.in 4.dist.14.quæst. 1.& Almain.& Bonauentura. 4. d. 14.in expositione textus dicunt, quod si pœnitens nihil cogitat de futuro, non oportet, quòd habeat propositum cauendi à peccatis,sed sufficit, quod actualiter non habeat contrarium actum.S.Tho. 1.2.quæst.113.art.5.& in 4.dist.14.in expositione testus.& dist. 17.quæst.2. art.2.quæstiuncula.4.& 3.p.q.85.art. 3.& quæst.90.artic.4.& 3.contra gentes.cap.72. & Adrianus quodlibet. 5. art.3.dicunt, quòd requiritur actuale propositum cauendi à peccatis futuris. idem tenet Albertus magnus. 4.d.14. art.10.& Alexãder de Ales.4. p.membro 9.quæ harum sententiarum sit vera,firmiter tenendum atque intrepide dicendum est,quod sola sententia. D. Thom.quam stabilem, & firmam faciunt primum verba Concilij Florent. quæ dicunt,quòd ad contritionem spectat dolere de peccatis commissis, cum proposito nõ peccandi deinceps. Præterea Concilium Tridentinum. Sess.14.cap.4. cuius uerba sunt: Contritio,quę primum locum inter dictos pœnitentiæ actus habet, animi dolor, ac detestatio est de peccato commisso,cum proposito non peccandi de cætero.item Ioan.5. & 8. existenti ad piscinam dixit dominus,&adulteræ:Amplius noli peccare:non dixit non pecces,sed noli.item primum, ei qui fecit iniuriam, postulandum est huiusmodi propositum (frater nunc amas?) item non habet veram pœnitentiam qui nõ diligit Deum super omnia:sed qui sic diligit Deum vult ei in omnibus placere,& in nullo displicere.ergo talis habet propositum cauendi futura.

An contritio sit dolor propter Deum.

QVæritur, utrum dolor contritionis habere debeat hanc circunstãtiam finis, vt sit propter Deum?vtrum ad hoc, quòd contritio sit sufficiens ad remissionem peccatorum, requiratur dilectio Dei super omnia?

Resp.quod de hoc sunt opiniones, Gabriel.4.d.14.quæst.1. ad 1.& 2.& Palu.dist.17.q.2.Conclu.1.& Caieta. quæst.1.de contritione,& Capre.2.d. 14.q.1.ad 1.Greg.tenent, quòd requiritur dilectio Dei super omnia. & idẽ videtur dicere.S.Tho.3.p.51. 85.art. 5.ubi dicit, quòd quintus actus, qui concurrit ad contritionem, est actus charitatis, & 1.2.q.113.art.4. 1.dicit quod ad pœnitentiam non sufficit motus fidei, nisi sit informatus charitatę. & 3.p.q.85.art.6.dicit quòd actus pœnitentiæ nascitur ex actu charitatis.& probatur, quia in pœnitentia fit integratio amicitiæ (fit enim ex inimico amicus.) Sed hoc est impossibile,nisi inimicus incipiat diligere,ergo:In contrarium est, quia dilectionis actus est perfectior,quam actus pœnitentiæ:ergo remissio peccatorum non deberet tribui actui pœnitentiæ, sed actui dilectionis:cuius oppositũ dicunt omnes. Pro solutione huius dubij notandum, quod actus pœnitẽtiæ est actus distinctus ab actu dilectionis Dei. quia pœnitentia,& charitas distinguuntur,ergo etiam actus earum.Hoc supposito, videtur, quòd nõ possit esse pœnitentia sine dilectione Dei. quia odium nascitur ex amore, ergo odium peccatorũ, nascitur ex dilectione Dei, si enim nõ diligerem Deum, quare odio haberẽ

pec-

peccata; nunquid propter amorẽ Creaturæ? non certe, sed propter Dei amorem; cum igitur odium peccatorum super omne odibile in vere pœnitenti, ergo procedit ex amore Dei super omnia, & ita regulariter dicitur, quod peccator ex amore mouetur ad pœnitendum. potest tamen esse, quòd in voluntate non sit alius actus, quam iste; Doleo, *quia* offendi Deum, quia nec est *elicitus*, nec imperatus a charitate, & iste talis actus sine alia dilectione sufficit ad remissionem peccatorum, qui licet regulariter procedat à charitate. tamẽ remissio peccatorum magis tribuitur pœnitentiæ, quã charitati, quia in sacra Scriptura illi actui promittitur remissio, & S. Thom. dicit quòd pœnitentia procedit ex amore, intelligendum est communiter, & regulariter, vt patet apud ipsum. 4. p. 14. q. 1. art. 2. quæst. 1. Verum est, quòd ipse actus pœnitentiæ, nolle Deo displicere, est vera dilectio, dolor igitur peccatorum debet esse propter Deum, non propter timorem pœnarum. aut propter quod uis aliud: sed quia sunt offensæ Dei patris pijssimi.

An qui dolet propter Deum, semper recipiat gratiam.

QVæritur, vtrum qui dolet, vt nunc diximus, semper recipiat gratiam?

Caiet. q. 1. de contritione, tenet mirabilem opinionem, scilicet, quòd stat, quempiam dolere de peccatis perfecte, & perfectè proponere cauere ab illis in futurum, & perfecte diligere Deum super omnia, & non habere gratiam. Ratio eius est, quia alias sequeretur, quod posset quis habere euidẽtiam, quod sit in gratia. Oppositum tenent omnes doctores, & dicũt, quòd quam primum fecerit aliquis totum, quod in se est, statim habebit gratiã. vide S. Thom. 1. 2. q. 112. artic. 2. ad 1. & q. 113. art. 3. & 8. & 3. p. q. 85. art. 5. & 6. & in pluribus alijs locis. & oppositum esset contra Scripturam sacram dicentem: Conuertimini ad me, & ego conuertar ad uos. iam hic pœnitens conuertitur ad Deum, & Deus conuertitur ad pœnitentem. Iacob. 4. Appropinquate Deo, & appropinquabit uobis. & Ioan. 14. Quid diligit me diligitur a patre meo. & Psal. 50. Cor contritum, & humiliatum Deus non despicies. Falsissimum ergo est, quòd Caieta. dicit. & dico quòd non stat de lege, quòd taliter pœnitens careat gratia, cum faciat totum, quod in se est. nec, hoc dato, sequitur se scire euidenter, quòd habeat gratiam: non enim ego possum habere euidentiam, quod doleo de peccato super omnia, uel quod proponam perfectè cauere in futurum. Habemus igitur pro certo, quòd qui sic dolet, habebit gratiam.

An attritio possit fieri contritio.

QVæritur, vtrum attritio possit fieri contritio?

Ad hoc suppono ex omnibus doctoribus, & S. Thom. quod nihil aliud est contritio, quam dolor perfectus: attritio vero dolor imperfectus. tunc dicit. S. Thom. 4. d. 17. q. 2. arti. 1. quæstiuncula. 3. quod attritio non potest fieri contritio. Probatur, quia principium contritionis est gratia virtus infusa: attritionis vero principium est habitus acquisitus, vel sola potentia, idem autem actus non potest elici a virtute infusa, & acquisita, uel à potentia; sciendum est tamen, quod

duplex est contritio, quædam intrinsece, quæ habet hoc pro obiecto: doleo de peccatis super omnia. Alia extrinsecè, idest ex circunstantia, & sic omnis dolor, qui est cum gratia, vocatur Contritio, eodem modo duplex est attritio, quædam intrinsece ex obiecto, vt puta, doleo de peccatis, quia turpia sunt. & infamia, uel propter infernum. Alia extrinsece, puta, doleo de peccatis propter Deum: & cum omnibus circunstantijs, sed omitto præceptum aliquod necessarium, tunc sit cõclusio: Nunquam ex attritione fit contritio intrinseca, quia differunt ex obiecto: una enim dolet propter Deum, alia propter pœnas, unde Conclusio. S. Thom. intelligitur de attritione proprie dicta, & de contritione propriè dicta.

An tota uita sit tempus contritionis.

QVæritur, vtrum tota ista uita sit tempus contritionis.

Resp. primo quod est expediens, & conueniens sæpe dolere de peccatis, & sancti ita consulunt. ad amicitiã enim pertinet sæpe dolere de offensa facta amico, maxime quia dolere debemus quousque reparemus detrimentum factum per peccatum: sed multa sunt, quę nullo modo possunt reparari, puta tempus, quod perdidimus peccando, ergo per totam vitam dolere debemus de illo, hoc; autem intelligendum est de dolore, qui est in uoluntate, nam de sensitiuo dolore graue esset videre amicum semper esse tristem. loquendo autem de doloris tempore; qui est sub præcepto, dico, quòd de peccato semel dimisso non tenemur amplius dolere, quia Deus non iudicat bis in idipsum, ut dicitur Nahum. 1. Sed de peccato non dimisso est dubium, quando teneatur homo conf. ad hoc Caieta. quodlibeto. 2. q. 3. dicit, quod præceptum contritionis partim est affirmatiuum, quia obligat ad actum, scilicet ad dolorem: partim negatiuum, quia obligat ad non manendum in peccato. loquendo de hoc præcepto, in quantum est affirmatiuum, obligat semper, sed non ad semper, sicut, & reliqua præcepta, affirmatiua: scilicet in casu necessitatis, puta cum quis administrat, uel recipit sacramentum, uel *in* articulo mortis. loquendo *vero de prædicto* præcepto, in quantum est negatiuum obligans ad non manendum in amicitia Dei, obligat sicut & cætera præcepta negatiua semper, & ad semper & ad statim & sicut qui tenet alienum, tenetur statim reddere, sic qui est in statu inimicitiæ Dei, tenetur statim ab illo exire. Peccat autem contra hoc præceptum qui habet actum commissionis contrarium, puta si dicat: uolo manere in hoc statu per diem, aut per horam. Sicut qui retinet alienũ nõ semper peccat de nouo, sed cũ habet hũc actum positiuum: Nolo reddere alienũ est tamen semper in malo statu. Magister Victoria tenet, quod nullum est præceptum de pœnitentia, aut contritione, quod obliget sub nouo peccato quamuis peccatum mortale sine pœnitentia non possit deleri, ac proinde sit necessarium dolere, seu pœnitere, sed qui nõ pœnituerit, dãnabitur quidem propter peccata, quę commisit, sed nõ quia non pœnituit, sed quia mihi magis

gis placet opinio Contraria, ideo hanc non prosequor.

An contritio remittat totam pœnam.

QVæritur, vtrum semper remittatur per contritionem tota pœna peccatis debita.

Respondetur iuxta fidem catholicam negatiue. ita enim diffinitum in Concilio Triden. sess. 14. Cano. 12. his uerbis: Si quis dixerit totam pœnam simul cum culpa remitti semper Deo Anathema sit. & item Cano. 15. in fine. præterea patet, nam iam satisfactio non esset pars huius sacramenti, quod est contra prius diffinita: item, quia aliàs non esset opus purgatorio. quod autem post remissionem culpæ maneat reatus pœnæ, probatur unica auctoritate. 2. Reg. 12. ubi post quam peccatum Dauid remissum est, dicitur in pœnam eius vnicus filius, qui natus est tibi, morietur, & alius locus Iosuæ. 22. an parum uobis est, quod peccastis in Belphegor, vsque in præsentem diẽ macula huius sceleris in uobis permanet. uide S. Tho. 1. 2. quæstio. 86. arti. 2. potest nihilominus tanta esse contritus. quod sufficiat ad remittendam totio, pœnam, sicuti credimus de Magdalena. & hæc de contritione sufficiant.

DE CONFESSIONE.

COnfessio autem secundum Augustinum sic diffinitur: Est per quam morbus latẽs spe veniæ aperitur. vel secũdum Raymundum: Confessio est legitima coram Deo, & sacerdote peccatorum declaratio. tenentur autem habentes annos discretionis ad eam faciendam semel in anno, ut patet de pœniten. & remissi. cap. omnis vtriusque sexus. imo qualiscunque esset contritio, si quis contemneret confiteri damnaretur. Vnde falsum est, & hæreticum dicere, sufficit soli Deo confiteri. nam dicit canon de pœniten. disti. prima taciturnitas. ubi est taciturnitas confessionis, non est speranda uenia criminis. Patet hoc exemplo Christi, qui Lazarum suscitauit, sed tamen Discipulis tradidit absoluendum. Io. 11. & can. 9. 3. tunc uera. item decem lepro sos ad sacerdotes misit, qui in uia eundo fuerunt mandati, ut dicitur. Luc. 17. per quod significatur, quod peccator licet in eundo ad confessionem ratione contritionis, quam habet, consequatur ueniam, & remissionem peccatorum, tamen tenetur uenire, & confiteri sacerdoti.

Sed dices, quare peccator debet ire ad confessionem, uel sacerdotem, ex quo remissa sunt ei per contritionem.

Resp. secundum Hostiensem in summa de pœnitentijs, & remissionibus ca. 1. tu dic ꝙ pecator duplici uinculo ad satisfaciendum astringitur, uno, à quo ligatur ad Deum: & illud in contritione dimittitur. Alio, à quo ligatur ad ecclesiam; & hoc per confessionem, & satisfactionem dimittitur, & per absolution ẽ Sacerdotis relaxatur. Ad hoc facit de senten. excommu. à nobis. cap. 1. de pœniten. dist. 1. multiplex. ex cap. quem pœnitet. in fine. & dist. 5. Consideret. Licet igitur peccatũ dimittatur quo ad reatum per contritionem, manet tamen obligatio ad pœnam temporalem, per Sacerdotem infligendam. & probat Archid. de pœniten. dist. 3. quia sicut omnes creaturæ ostendunt, & cõfitentur

ſitentur defectus ſuos temporales, & naturales hominibus eo modo, quo poſſunt, ut dicit gloſſ. ſuper illo uerſu: Confeſsio, & magnificentia opus eius. &c. ita homo debet oſtẽdere defectus ſuos uoluntarios, & confiteri uerbo uocali, in quo abundat. & etiam debet confiteri homini, eo quòd uerbum diuinum humiliatum eſt pro peccatis noſtris delendis: quod uerbum unitũ humanitati obligat nos, ut humiliemur uerbo noſtro loquendo non ſolũ homine, ſed etiam Deo: & non ſolum Deo, ſed etiam homini: quod fit in cõfeſsione uocali. Præterea cum hodie peccemus coram Deo, ſicut in ueteri teſtamento fuit: ſed homini loco Dei conſtituto, nec propter hoc, quòd in contritione homini dimittitur reatus culpæ: ſuperflua eſſet confeſsio uocalis, quæ ſecundum Vgonem Cardinalem adhuc eſt neceſſaria ad humilitatem, & iuſtitiam exercendam. Item ad hoc, quòd eccleſia ſatisfaciat, quæ læſa eſt ex peccato: Valet etiam ſecundum Ioann. Andream propter fidem, quam peccator habet credens auctoritatem clauium in eccleſia. Similiter ualet propter obedientiam, quã habet miniſtris eccleſiæ uel Deo, de pẽniten. diſt. prima. multiplex. & cap. nonnulli. Quando ergo legis in ſcripturis ſanctis, quòd ſola contritio ſufficit ad remiſsionem peccatorum, intelligas, in neceſsitate, quando Confeſsio non poteſt haberi. Nam tunc non eſt præceptum, iuxta illud: Confitemini alterutrum &c. quia neceſsitas legem non habet. Nam tunc volũtas pro facto reputatur: ſufficit enim tũc, ſoli Deo confiteri in corde. Si tamen ibi eſſet aliquis laicus bonum eſſet ſibi confiteri propter hoc, ut poſtea eccleſiam informaret, quibus remedijs pro anima ſua eſſet ſubueniendũ. Doctor ſubtilis tamẽ dicit: ex quo accuſatio in cõfeſsione nõ fit ad aliud, niſi ut conſequatur ſententiam. & laicus non habet auctoritatem ſententiá di in iſto foro, ſequitur, quòd nullum præceptum eſt ad accuſandum ſe coram laico; forte autem melius eſſet hoc dimittere, ſi peccator poſſet aliqualẽ verecundiam coram ſe habere recogitando eadem, & ſic æque puniri.

Etiam licet ſimplicibus laicis, ſi ſit vtilis talis confeſsio coram laico in neceſsitatem, non tamen viris diſcretis qui ſciunt ad quid inſtituta confeſsio eſt. Hinc eſt, quòd dicit. *Ioan. Andre.* in cap. ſi Epiſcopus. de pœniten. & remiſsi. lib. 6. in vlti. gloſ. quod licet laico in neceſsitate poſsimus confiteri, tamen ipſe non poteſt abſoluere, quia non habet claues. de pœniten. diſt. 1. quem pœnitet. & notatur de officio curæ paſtoralis. ubi Vgo. dicit, quòd licet in neceſsitate; non tamen ad hoc vt ſit vera abſolutio, ſed quo ad ſigna pœnitentiæ declaranda. Sed Raimundus contradicit. item Archidi. 25. diſt. audire. dicit quoſdam dixiſſe, quòd nullus etiam in neceſsitate tenetur confiteri ruſtico, uel laico, præsbytero abſente, maxime peccata mortalia, & dicit, quòd illud Iacobi: Confitemini alterutrum peccata veſtra tantum de venialibus intelligitur, quæ poſſunt talibus laicis confiteri in neceſsitate, vel loquitur de confeſsione generali, quæ fit in eccleſia. uel loquitur tantum de Sacerdotibus. Vgo vero dicit, quòd laico tenetur quis confiteri peccata ſua, cum non poteſt habere Sacerdotem.

tem. Nec videtur uere pœnitens, qui in articulo mortis peccata sua non cõfitetur cuicunque potest si Sacerdotẽ habere nõ potest: quamuis laicus non habeat auctoritatem absoluendi: dicit autem glos. 30. q. 1. omnes. quod si laicus in necessitate audiat peccata mulieris, non potest cum ea postea contrahere; si tamen cõtrahat, forte tenet matrimonium. Videtur tamen hoc tantum modo sacerdoti prohiberi, cũ tantum eius officium sit audire peccata. Tu dic secure, quòd talis potest cũ tali muliere cõtrahere, quam audiuit in necessitate, quia per hoc sacramentum nulla compaternitas contrahitur. vt dicitur in Canone, quamuis &c. de cognatione spirituali lib. 6. item sciendum, quòd Confessio sex decim Conditiones habere debet. quæ habentur in his versibus:

Conditiones Confessionis.

Sit simplex, humilis, confessio, pura, fidelis,

Atque frequens, nuda, discreta, libens, verecunda,

Integra, secreta, lacrimabilis, accelerata,

Fortis, & accusans, & sit parere parata,

QVantumcunq, autem nota sint Sacerdoti peccata, adhuc tñ debent narrari in confessione; quia non sufficit, quod ea cognoscat Sacerdos, ut homo tantum, scilicet in publico, sed etiam, ut Deus, scilicet in secreto cordis. de pœniten. distin. 1. imperfecta. in glos. 1. Tenetur etiam peccator non solum mortalia, sed etiam venialia confiteri, licet non ita necessitate absoluta tenetur ad confessionẽ venialium, sicut mortalium, Tamen ex quo non possumus uitam æternam consequi sine remissione uenialium, tenemur ad eorum confessionem, ut dicit. S. Thom. in 4. dist. 15.

Confessio est necessaria ad salutem.

QVæritur, utrum confessio sit de necessitate salutis?

Resp. quod sit, & ita firma fide tenendum est. Vt patet ex Concilio Tridentino. sess. 14. Canone. 6. cuius uerba sunt: Si quis negauerit Confessionem sacramentalem; uel institutam; uel ad salutem necessariam non esse, iure diuino, Anathema sit. Idem patet, ex cap. omnis utriusque sexus de pœnitentijs, & remissionibus, ubi hoc expresse dicitur. ex prælegatis constat confessionem etiam de iure diuino, de qua tamen re inferius aliqua dicentur.

Sed dubium est quid, si confessio, non esset præcepta de iure diuino? sufficit enim quod iam ecclesia in Concilio generali obligauit omnes ad confessionem, & videtur, quòd ecclesia non potuerit confessionem præcipere. nam secundum communem opinionem, ecclesia non habet iurisdictionem super actus interiores, ergo saltem nõ posse nos obligare ad confitendum illos: quod quidam asserunt, sed tamẽ damnati sunt. Item ecclesia non posset oligare me etiam pro quocunque crimine, ut religionem profiterer, quia esset nimis graue onus, vt est communis opinio, sed etiam est onus grauissimum, & difficillimum peccata confiteri: ergo si non esset præceptum diuinũ, ecclesia non posset ad hoc obligare. Hæc est res disputabilis, qua disp. parum indigemus, quia habemus pro certo, quod de confessione sit præceptum in iure diuino, vt primo probabimus.

bimus. Notandum tamen, quod sunt præcepta quædam, quæ licet sint absoluta non obligant hominem absolute sed in casu, vt de elemosina est absolute præceptum, & tamen non obligat nisi in casu necessitatis. & potest esse quod nunquam occurrat talis casus in vita, & ideo non vocatur elemosina necessaria ad salutem. Idem de sanctificatione sabbati, maxime si Ecclesia non determinasset diem. idem de honorandis parentibus. Alia sunt præcepta, quæ obligant absolute, & non est satis in casu. sed oportet, vt uos ꝙratis casum, & disponamini ad implenda illa, & huiusmodi est præceptum Baptismi, Confessionis, Eucharistiæ, circa quæ teneor ad illa implēda, & hæc nocantur necessaria ab salutem.

Confessio non est tam necessaria sicut Baptismus,

AN confessio sit adeo necessaria ad salutem, sicut Baptismus.

Resp. primo, quod non est adeo necessaria, ut Baptismus, nam puer sine actuali baptismo non potest saluari, potest tamen homo saluari sine actuali confessione.

Sed vtrum, cum quis potest confiteri, possit aliquando omittere confessionem.

Resp. pro nunc quod tenetur confiteri, etiam si perdat bona. Si uero simul concurrat aliud præceptum diuinum cum confessione, & præceptum confessionis non possit impleri sine alterius præcepti trangressione, si aliud est maius (maxime de iure naturali) tunc non tenetur confiteri, quale est non scandalizare. Vnde si fœmina sciret confessorem scandalizandum, si ei confiteretur, non tenetur confiteri ei, ut latius dicemus infra.

Confessio non est de iure naturali.

AN confessio sit de iure naturali.

Resp. quòd non, quia sacramenta ecclesiæ sunt supra naturam, & pertinentia ad fidem. quis enim cognoscet aquam mundare peccatorem.

Peccata venialia an teneamur confiteri.

VTrum, teneamur cõfiteri peccata venialia.

Resp. quod omnes conueniunt in hoc, quòd qui habet mortalia peccata non tenetur confiteri venialia, quia si teneretur confiteri venialia, ergo & omnia, cum venialia, sint infinita, esset quasi impossibile omnia confiteri.

Sed dubium est, an qui non habet nisi venialia, teneatur ea confiteri semel in anno.

De hoc. S. Thom. q. 6. arti. 3. ad tertium. ponit duas opiniones, prima dicit, quod tenetur, quia præceptum de confessione est absolutum, & potest impleri, ergo. Secunda opinio dicit, ꝙ nullus tenetur cõfiteri venialia & hæc est tenenda, quia præceptum de confessione intelligitur de mortalibus. ut expresse diffinitur in Concilio Tridẽtino sess. 14. Canone. 7. ubi sic dicitur: Si quis dixerit sacramentum pœnitentiæ ad remissionem peccatorum necessarium non esse iure diuino confiteri omnia, & singula peccata mortalia. &c. Anathema sit. Circa venialia non est proprius Sacerdos, nam quilibet potest ea confiteri, cui voluerit. Item ecclesia voluit de nouo præcipere confessionem, sed præceptum iuris diuini determinare, quo ad tempus executionis, at à Christo a non est præcepta confessio, nisi mortalium, ergo. item in illa decretali imponitur non

con-

confitenti grauissima pœna vt scilicet arceatur ab ingressu Ecclesiæ,& mortuus christiana careat sepultura: sed huiusmodi pœnæ imponuntur à pia matre Ecclesia perfectioribus viris, quales sunt, qui habent solum peccata venialia,quæ alij peccatores non tenẽtur confiteri, (alias meliores essent peioris conditionis) ergo. Item.quia ad remissionem venialium sunt complura remedia, uidelicet confessio generalis, Oratio dominica, Tunsio pectoris.&c. Cæterum & si nullo iure teneamur confiteri venialia, laudabile tamen est, & ualde vtile illa confiteri. Horum enim peccatorum confessio sufficiens materia est sacramenti pœnitentiæ. essetque Hæresis asserere quod non liceat confiteri peccata uenialia, vt diffinitum est in Concilio Tridentino. Sess. 14. Can. 7. Cuius verba sunt: Si quis dixerit, non licere confiteri peccata uenialia, Anathema sit. Talis igitur, qui non habet nisi venialia, petat in Paschate Eucharistiam, & Sacerdoti dicenti, quod prius confitea tur, respondeat se non egere confessione,& sacerdos credat. Sed quis est hic? & laudabimus eum.

Mentiri in confessione quale sit peccatum.

AN aliquis possit confiteri peccatum, quod non habet.

Respondet S. Thom. quòd si nunquam licet mentiri, multo minus in cõfessione. Sed quale peccatum erit? Dico probabiliter, quòd qui confitetur mortale, quod non habet, peccat mortaliter. quia peccat circa ea, quæ sunt de necessitate confessionis,& decipit confessorem, qui absoluit, quod non potest absolui: & consequenter dico, quod confessio non fuit integra, ac proinde nulla,& iteranda; quia nõ confitetur de illo mendacio pernicioso. Si autem peccatum, de quo dubitat, confiteatur tanquam certum: si id faciat credens esse magis securum, vt communiter fit, non peccat. Si autem faciat animo decipiendi Confessorem, peccat mortaliter.

Casus, in quibus Tenemur statim Confiteri.

VIdeamus nunc vtrum statim in iure diuino, sint aliqui casus, in quibus teneamur statim confiteri;

Aliqui antiqui, & quidam summistæ dicunt, quod peccator tenetur statim confiteri: quia alias exponeret se periculo: posset enim mori, vel impediri lingua, uel memoria labi. Item, quia secus agendo. iam nõ facit quod in se est: huius sententiæ est Innocentius in cap. omnis de pœnitentijs,& remissionibus. Idem videtur senire Archid. in cap. ille tex. de pœnitentijs, distin. 3. sed S. Thomas, & alij doctores dicunt, quòd non tenetur homo statim post peccatum confiteri. Patet, quia nemo tenetur statim ad contritionẽ, quæ est magis necessaria, quàm confessio, ergo nec ad confessionem. Item hoc non determinatur in iure diuino, aut positiuo, ergo est falsum. Itẽ Ecclesia determinauit semel in anno, ergo hoc sufficit.

Mentiri in confessione quale sit peccatum.

REspondet sanctus Thomas, quod si nunquam licet mentiri, multo minus in confessione. sed quale peccatum erit; dico probabiliter quod qui confitetur mortale, quod non habet, peccat mortaliter, quia peccat circa

bimus. Notandum tamen, quod sunt præcepta quædam, quæ licet sint absoluta non obligant hominem absolute sed in casu, vt de elemosina est absolute præceptum, & tamen non obligat nisi in casu necessitatis. & potest esse quod nunquam occurrat talis casus in vita, & ideo non vocatur elemosina necessaria ad salutem. Idem de sanctificatione sabbati, maxime si Ecclesia non determinasset diem. idem de honorandis parentibus. Alia sunt præcepta, quæ obligant absolute, & non est satis in casu. sed oportet, vt uos ꝙratis casum, & disponamini ad implenda illa, & huiusmodi est præceptum Baptismi, Confessionis, Eucharistiæ, circa quæ tenor ad illa implẽda, & hæc uocantur necessaria ab salutem.

Confessio non est tam necessaria sicut Baptismus,

AN confessio sit adeo necessaria ad salutem, sicut Baptismus.

Resp. primo, quod non est adeo necessaria, ut Baptismus, nam puer sine actuali baptismo non potest saluari, potest tamen homo saluari sine actuali confessione.

Sed vtrum, cum quis potest confiteri, possit aliquando omittere confessionem.

Resp. pro nunc quod tenetur confiteri, etiam si perdat bona. Si uero simul concurrat aliud præceptum diuinum cum confessione, & præceptum confessionis non possit impleri sine alterius præcepti trangressione, si aliud est maius (maxime de iure naturali) tunc non tenetur confiteri, quale est non scandalizare. Vnde si fœmina sciret confessorem scandalizandum, si ei confiteretur, non tenetur confiteri ei, ut latius dicemus infra.

Confessio non est de iure naturali.

AN confessio sit de iure naturali.

Resp. quòd non, quia sacramenta ecclesiæ sunt supra naturam, & pertinentia ad fidem. quis enim cognoscet aquam mundare peccatorem.

Peccata venialia an teneamur confiteri.

VTrum, teneamur cõfiteri peccata venialia.

Resp. quod omnes conueniunt in hoc, quòd qui habet mortalia peccata non tenetur confiteri venialia, quia si teneretur confiteri venialia, ergo & omnia, cum venialia, sint infinita, esset quasi impossibile omnia confiteri.

Sed dubium est, an qui non habet nisi venialia, teneatur ea confiteri semel in anno.

De hoc. S. Thom. q. 6. arti. 3. ad tertium. ponit duas opiniones, prima dicit, quod tenetur, quia præceptum de confessione est absolutum, & potest impleri, ergo. Secunda opinio dicit, ꝙ nullus tenetur cõfiteri venialia & hæc est tenenda, quia præceptum de confessione intelligitur de mortalibus. ut expresse diffinitur in Concilio Tridẽtino sess. 14. Canone. 7. ubi sic dicitur: Si quis dixerit sacramentum pœnitentiæ ad remissionem peccatorum necessarium non esse iure diuino confiteri omnia, & singula peccata mortalia. &c. Anathema sit. Circa venialia non est proprius Sacerdos, nam quilibet potest ea confiteri, cui voluerit. Item ecclesia voluit de nouo præcipere confessionem, sed præceptum iuris diuini determinare, quo ad tempus executionis, at à Christo a non est præcepta confessio, nisi mortalium, ergo. item in illa decretali imponitur non

con-

confitenti grauissima pœna vt scilicet arceatur ab ingressu Ecclesiæ, & mortuus christiana careat sepultura: sed huiusmodi pœnæ imponuntur à pia matre Ecclesia perfectioribus viris, quales sunt, qui habent solum peccata venialia, quæ alij peccatores non tenentur confiteri, (alias meliores essent peioris conditionis) ergo. Item. quia ad remissionem venialium sunt complura remedia, uidelicet confessio generalis, Oratio dominica, Tunsio pectoris &c. Cæterum & si nullo iure teneamur confiteri venialia, laudabile tamen est, & ualde vtile illa confiteri. Horum enim peccatorum confessio sufficiens materia est sacramenti pœnitentiæ. esset que Hæresis asserere quod non liceat confiteri peccata uenialia, vt diffinitum est in Concilio Tridentino. Sess. 14. Can. 7. Cuius verba sunt: Si quis dixerit, non licere confiteri peccata uenialia, Anathema sit. Talis igitur, qui non habet nisi venialia, petat in Paschate Eucharistiam, & Sacerdoti dicenti, quod prius confitea tur, respondeat se non egere confessione, & sacerdos credat. Sed quis est hic? & laudabimus eum.

Mentiri in confessione quale sit peccatum.

AN aliquis possit confiteri peccatum, quod non habet.

Respondet S. Thom. quòd si nunquam licet mentiri, multo minus in cõfessione. Sed quale peccatum erit? Dico probabiliter, quòd qui confitetur mortale, quod non habet, peccat mortaliter. quia peccat circa ea, quæ sunt de necessitate confessionis, & decipit confessorem, qui absoluit, quod non potest absolui: & consequenter dico, quod confessio non fuit integra, ac proinde nulla, & iteranda; quia nõ confitetur de illo mendacio pernicioso. Si autem peccatum, de quo dubitat, confiteatur tanquam certum: si id faciat credens esse magis securum, vt communiter fit, non peccat. Si autem faciat animo decipiendi Confessorem, peccat mortaliter.

Casus, in quibus Tenemur statim Confiteri.

VIdeamus nunc vtrum statim in iure diuino, sint aliqui casus, in quibus teneamur statim confiteri;

Aliqui antiqui, & quidam summistæ dicunt, quod peccator tenetur statim confiteri: quia alias exponeret se periculo: posset enim mori, vel impediri lingua, uel memoria labi. Item, quia secus agendo. iam nõ facit quod in se est: huius sententiæ est Innocentius in cap. omnis de pœnitentijs, & remissionibus. Idem videtur senire Archid. in cap. ille tex. de pœnitentijs, distin. 3. sed S. Thomas, & alij doctores dicunt, quòd non tenetur homo statim post peccatum confiteri. Patet, quia nemo tenetur statim ad contritionẽ, quæ est magis necessaria, quàm confessio, ergo nec ad confessionem. Item hoc non determinatur in iure diuino, aut positiuo, ergo est falsum. Itẽ Ecclesia determinauit semel in anno, ergo hoc sufficit.

Mentiri in confessione quale sit peccatum.

REspondet sanctus Thomas, quod si nunquam licet mentiri, multo minus in confessione. sed quale peccatum erit; dico probabiliter quod qui confitetur mortale, quod non habet, peccat mortaliter, quia peccat circa

ea quæ sunt de necessitate confessionis, & decipit confessorem qui absoluit, quod non potest absolui: & consequenter dico quòd confessio non fuit integra, ac proinde nulla, & iteranda; quia non confitetur de illo mendacio pernicioso. Si autem peccatum de quo dubitat confiteatur tanquam certum, si id faciat credens esse magis securum vt communiter fit, non peccat. Si autem faciat animo decipiendi confessorem peccat mortaliter.

Mentiri circa venialia in confessione quale peccatum sit.

DVbitatur vtrum peccet mortaliter qui confitetur peccatum veniale, quod non fecit? nam quod peccet venialiter certum est. Caie. in 2.2. in materia de mẽdacio dicit quod est peccatum mortale: quia mentitur in iudicio, ubi tenetur dicere veritatem: sed respondeo quod non est mortale: nam licet sacerdos possit exigere veritatem in pœnitente non tamen quamcunque veritatem: sed eam quæ pertinet ad materiam iudicij sui, & cum venialia non sint materia mentiri circa illa, non est peccatum mortale, sicut nec confessorem interroganti, an si pauper dixero, quod non, cum tamen revera sim pauper, nõ pecco mortaliter, & quamuis Caietanus. in 2.2. fuerit illius sententiæ, tamen in summa Confessionis moderatius loquitur dicens. qđ si sit intentio pœnitentis facere peccata venialia materiam confessionis, tũc mentiri etiam circa venialia esset mortale, quia iam veniale est materia principalis, & pertinens ad iudicium, si vero nõ est intentio pœnitentis facere venialia materiam Confessionis, mentiri circa uenialia non est mortale, sed adhuc dico q̃ ẽt si habuero intentionẽ efficiendi materiam confessionis ex venialibus dicens mendacium circa illa, vt si dicam me non fuisse mentitum non peccо mortaliter, quia per hoc no lo dicere, mutatur intentio prior, & iã non manet materia confessionis, etiã si non habuero reflexionem illam, nolo quod hoc peccatum, quod non uolo tacere, fit materia Confessionis.

An obliuiosus teneatur scribere peccata ad confitendum.

EGo non credo quod teneatur. immo nec laudo quod peccata scribantur. probo, quia non tenetur aliquis magis ad confessionem, quam ad contritionem: sed ad contritionem habendam non oportet peccata scribere sufficit in generali cõsiteri de oblitis, ergo nec ad confessionem requiritur id, nec enim oportet iugum domini reddere grauius. Satis est quod quando confitetur debet dare operam vt recordetur peccatorum & alias sunt fabulę. ita dicit Siluester doctor non spernendus. verb. confessio. 1. §. 1. in fine. & præterea difficile est profecto quod aliquis habens curam animę suę obliuiscatur alicuius peccati mortalis, certe est difficile.

In mortis Articulo an teneamur de iure diuino confiteri.

AN homo de iure diuino teneatur confiteri in articulo mortis?

Resp. quòd sic. Nam peccator tenetur confiteri, & non potest post mortem, ergo qui est in illo articulo, si non vult confiteri, exponit se periculo. Vnde in cap. cum infirmitas, de pœniten. & remissionibus. præcipitur medicis, vt ad moneant, & exponant infirmis pericula mortis: in quo errant communiter

muniter medici, ne contristent infirmum. Sed verum est, quod debent facere, quãto melius potuerint. Sed omnino sunt negligentes medici, & potest contingere quod propter eorum negligentiam damnentur aliqui infirmi.

Sed quid vocatur articulus mortis? Respon. Palu. 4. d. 17. q. 2. quod non dicit articulus mortis. vnde quis põt mori: sicut nõ est articulus mortis Giostrare correre co' Tori, ò Caualli, & his similia, tũc enim nõ tenetur homo confiteri ante ista exercitia: sed articulus mortis vocatur, vnde communiter, & frequenter solet sequi mors. sicut intrare bellum, de intrantibus autem mare est dubium, si enim esset paruũ spacium, & mare est placidum, non tenetur confiteri. Breuiter autem: arbitrio boni viri relinquatur iudicium de periculo mortis.

Vtrum venialia possint laicis confiteri.

REspondeo quod talis confessio nõ est sacramentalis sed proficiet sicut vnus laicus recitans cum alio horas canonicas, dicit confessionem generalem, immo ipse sacerdos cum celebrat absoluitur de venialibus a laico in confessione generali auctoritate ecclesiæ quæ habet potestatem supra venialia, sicut per tunsionem pectoris, uel aquam benedictam, quia licet talis cõfessio non sit sacramentum, est tamen quoddam sacramentale.

Vtrum ante eucharistiam teneatur homo de iure diuino confiteri.

COmmunis opinio est, quod sic. Caieta. 3. p. & in summa tenet oppositum. Cuius sententia in Concilio Tridentino, Sessione. 13. de sacramento Eucharistiæ in calce canonis vndecimi, damnata est, & reprobata; ita vt nec opinatiue possit defendi, etiam sub pœna excommunicationis ipso facto incurendæ. De hoc iam disputauimus supra. ex dictis sanctorum non est dubium, quin teneatur confiteri, si habeat copiam confessoris. Si autem non habeat, & debeat celebrare diebus festiuis, bene poterit sine præuia confessione: maximè si non celebrando incurrat aliquam notam infamiæ.

Ad recipienda alia sacramenta, an teneatur homo confiteri.

DE hoc, Marsilius. 4. q. 12. art. 1. facit magnam difficultatem, & dicit particulariter de recipiente sacramentum ordinis, quod ordinandus tenetur confiteri prius, quia sacramentum ordinis directe ordinatur ad copiam gratiæ, & esset magna irreuerentia, non disponere se ad receptionem illius.

Sed rẽspondeo absolute (omissis opinionibus) quòd ad receptionem aliorum sacramentorum nemo tenetur confiteri. Vnde de consecra. d. 4. c. vt ieiunij. dicitur, quod qui confirmandi sunt, si sunt perfectæ ætatis admoneantur, vt prius confiteantur. Vbi admonitio potius videtur Consilium, quam Præceptum, & si non est necessariũ ante hoc sacramentũ confiteri, in quo recipitur copia gratiæ: multo minus erit in alijs, quod clarius patet ex verbis Concilij Tridenti. Sess. 24. de reformatione matrimonij c. 1. vbi sic dicitur: Postremo sancta Sinodus coniuges hortatur, vt antequam contrahant, vel saltem triduo ante matrimonij consummationem, sua peccata diligenter confiteantur, & ad sanctissimũ Eucharistiæ sacramentum pie accedant. Hactenus ibi. Verum est, quod

quia omnia sacramenta conferunt gratiam, videtur aliqua negligentia accedere ad illa sine confessione. Sed quod non requiratur confessio, patet etiam, quia Ecclesia hoc non determinauit, nec in iure diuino habetur. ergo non est necessaria.

Sed vnde magis habemus, quod requiratur confessio ante eucharistiam, quam ante alia sacramenta;

Respon. quod habemus ex Paulo dicente: Probet autem se ipsum homo, &c. & ex vsu Ecclesiæ: vbi qui non confitetur, haberet cõscientiam peccati mortalis. Item ex dictis Sanctorũ, & ex c. omnis vtriusque sexus, vbi præcipitur confessio ante pascha propter eucharistiam in eo sumendam.

Confessio Sacerdoti facienda.

QVæritur vtrum sit necessarium confiteri Sacerdoti.

Resp: quod sic. & ita firma fide tenendum est. Sic enim est diffinitum in Concilio Florentino, sub Eugenio. 4. Cuius verba sunt: Sacramenti pœnitentiæ minister est solus, & omnis Sacerdos habens auctoritatem absoluendi, vel ordinariam, vel ex commissione superioris. Præterea illud idem diffinitur in Concilio Tridentino. Sess. 14. cap. 6. item can. 9. & can. 10. Item probatur, quia solis apostolis dictum est: Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quodcunque solueritis super terram. Et soli Petro: Pasce oues meas. Confirmatur ex vsu Ecclesiæ. Nam solis Sacerdotibus, quando ordinantur, dicuntur illa eadem verba; quæ Christus Apostolis dixit, scilicet: Accipite potestatem ligandi, & absoluendi. Hæresis fuit Vualdensium, vt refert Marsilius. 4. q. 12. dicentium, quòd indifferenter poterat quilibet confiteri, cui vellet. Dicit etiam, quòd in aliquibus locis illi, qui damnabantur ad mortem, non permittebantur confiteri Sacerdotibus, sed laicis: quod quidem est error intolerabilis. Sed de his in materia de clauibus dicemus.

Sacerdotes mediatores inter Deum & homines.

MEdiatores enim sunt Sacerdotes inter Deum & homines, & dum præcepta Dei populo deferũt prædicando: & vota Deo porrigunt supplicando: quo circa tales debent existere, vt & Deo grati & hominibus sint accepti, nam vt ait Alexander Papa. 1. q. 1. Christi Sacerdotes quanto digniores fuerint, *tanto facilius in necessitatibus populi, pro quibus clamãt exaudiuntur.* Episcopus quoque & Sacerdos, nomine præsbyteri intelliguntur, sicut patet ex his, quæ ad Titum Apostolus scripsit, qui eundem Episcopum & præsbyterum nominauit: hoc officium Christus exercuit, quando manus super capita discipulorum leuans eis benedixit dicẽs: Accipite spiritum sanctum, quorũ remiseritis. &c.

Sacerdos proprius an extra suã diocesim possit audire suorum Confessiones.

QVæritur, vbi potest proprius Sacerdos audire Confessionem, vtrum curatus venius Episcopatus possit audire sibi subditum in alio Episcopatu:

Resp. omnino, quòd sic, quia fit sine strepitu iudicij, & nemini fit iniuria. & idem poterit Frater, præsentatus, & extra diocesim, vt etiam determinauit Sixtus, 4. & sic, quando duo Fratres de licentia Prælati peregrinantur, possunt se mutuo absoluere: etiam cum

perue-

peruenerint ad alium Episcopatum.

Confessionis conditiones & ipsarum declarationes.

QValis autem debeat esse confessio his verbis comprehendere possumus. Sit simplex, humilis, feruens, & pura, fidelis, Vera, frequens, nuda, discreta, libens, tubicunda, Integra, secreta, lacrimabilis, accelerata, Fortis, & accusans, & se punire parata; Simplex idest. verbis implicitis non obscuris, uel non cum magna articulorum diffusiones. Humilis facie demissa, non recto capite. l. dist. in capite. & c. domino. quia vbi superbia vel hipochrisis, ibi vera nequit esse humilitas: & sine humilitate veniam sperare non licet. Feruens. vnde maledictus homo qui facit opus domini negligenter, modicus enim calor charitatis vincit longum torporem pœnitendi, de peniten. dist. 3. c. ille Rex. 26. q. 6. si presbiter. Pura. idest, sine hipocrisi & vanagloria. idest, sine timore seruili. Fdelis, quia fidelis debet fidei Sacerdoti confiteri, non ab Ecclesia diuisio per sententiam præciso. de pœniten. dist. 6. c. 1. licet possit in necessitate: tunc non excipiet ab eo pœnitentiam. de pœniten. dist. 1. quem pœnitet uel fidelis sub spe ueniæ non desperando vt Iudas. Vera, idest non tacens veritatem, nec admiscens falsitatem, nec enim debet quis dolose sacerdoti se offerre: alias culpam nō aufert. Frequens, quia frequenter cadens, frequēter debet resurgere pœnitendo, vt iusti vocabulum non amittat, sed conseruet. de pœniten. distin. 3. septies. quæ enim frequenti præuaricatione committuntur frequenti pœnitentia puniantur. de pœnis. c. 6. q. 1. imitare.

Veniam facilè consequitur qui frequenter confitetur?

ET quanto frequentius confiteris tanto facilius ueniam consequeris. de pœniten. distin. 1. quem pœnitet. Nuda, nō enim debet fieri per nuncium, uel per Epistolam. de pœni. dist. 4. quem pœnitet. ar. de sent. excommun. c. quod de his in fine, uel melius, idest denudans peccatum & eius circunstantias. vt de pœniten. dist. 3. inter hæc hircū. in principio, ibi & culpę nuda &c. Discreta, discretus enim & sciens ligare uel soluere est, quærendus. Libens, vt cōfessio latronis in cruce. de pœniten. distin. 7. c. ult. nec enim consequitur quis veniam uel meritum de eo, quod inuitus agit. 13. q. 2. quam posterum 33. q. 5. qui sitit, 28. q. 1. iam nunc & vbi necessitas est: ibi corona decst de pœnit. d. 2. si enim inquit. Rubicunda. rubor enim est uerecundia, magnaque est pars pœnitentiæ. de pœniten, dist. 1. quem penitet extra. de. excep. pia in principio lib. 6. post vero nō habet quid eruboscat. Cui peccatum est dimissum. de pœni. dist. 2. quantum libet. Integra quia non debet unū peccatum confiteri uni sacerdoti, & aliud alij. de pœniten. dist. 5. ca. circa finem. quid igitur uel unum confiteri, & in alīum remanere, quia hæc falsa pœnitentia de pœnit. dist. 5. fratres. Secreta, de penit. dist. 1. c. quamuis. quia solus coram solo sacerdote debet confiteri. c. omnis. & secreta peccata, secreta confessione & occulta satisfactione purgantur. Lacrimabilis. dolorem enim lacrimis debet ostendere. de pœnit. d. 1. quem pœnitet, in principio, & in fine, & suspirans. l. dist. in capite. nā durus est, qui dolorem lacrimis non ostendit;

de

de pœnit. dist.3.sunt plures circa finē.

Confessio an integra esse debeat.

VTrum oporteat, quòd confessio sit integra.

Respo.ex sententia omnium, quòd sic, alias est inualida, & sacrilegia, & iteranda Probat. S. Thom.quia sacramentum pœnitentiæ est quædam medicina contra morbum: vt medicus nō potest conuenienter admouere medicinam,nisi intelligat totum statum infirmi:si enim habet dolorem splenis, & iecoris,& medicus intelligat primū solum, poterit applicare medicinas, quæ noceāt iecori.& idem de medicina spirituali confessionis. &c. Item probatur ex vsu Ecclesiæ,nullus enim Sacerdos debet audire dimidia tantū peccata. Item, quia sacerdos absolueret ab vno, & non ab alio (impium enim est à Deo sperare dimidiam veniam) ergo. item confessio dimidiata est contra formam absolutionis, quia dicitur: Ego te absoluo ab omnibus peccatis tuis. ergo. Item August. dicit,quòd est Hipocrita, qui non confitetur omnia peccata, ergo. hæc conclusio est inuiolata, & quę ab omnibus tenetur.

Confessionis Sigillum an sit necessarium.

VTrum Sigillum confessionis sit necessarium.

Resp.secundum omnes Doctores. 4.d. 21. quòd Sacerdos tenetur adsigillum confessionis, ad cœlanda peccata, quæ in confessione audiuit sub pœna peccati mortalis. Probatur primo ratione naturali, quia facerem illi iniuriam. Item, quia in cap. Sacerdos de pœniten. d.6. prohibetur omnibus Sacerdotibus reuelare peccata,& apponitur pœna grauissima oppositum facientibus:scilicet,ut omnibus diebus vitæ suæ ignominiosus peregrinando pergat. & sunt verba Gregorij. Idem habetur ca.omnis vtriusque sexus de pœniten. & remissio. & dicitur quòd qui non celauerit, de trudatur in arctissimū monasterium. ibi perpetuam faciat pœnitentiam, & quia si in hoc daretur aliqua exceptio, tolleretur cō fessio: nemo enim auderet confiteri peccata grauia. idcirco propter nullum bonum,quodcunque sit illud,licet sigillum confessionis frangere: quia nullum potest esse æquale bonum,nec tam necessarium, ut est confessio.

Peccata in confessione audita possumus iurare nos nescire.

QVid faciet *confessor cum interrogatur de peccato, quod audiuit in confessione*: an possit dicere se nescire?

Resp.secundum omnes, quod sic. Sed quid si cogatur iurare? Dico quod potest & debet iurare se nescire, quia intelligitur se nescire extra confessionem. & sic verum iurat.

Sed fac, quòd iudex, uel prælatus ex malitia exigat à me iuramentum,an sciam in confessione?

Resp. quod coactus iuret se nescire ad reuelandum, vt taliter quod possit dicere.

Sed contra si iuret se scire in confessione iurat verum, ergo cum iurat se nescire in confessione iurat falsum, quia sunt contradictoriæ.

Resp. quod non sunt contradictoriæ. quia in illa negatiua intelligitur conditio subintellecta, scilicet quod non scit tali modo, quod possit illud dicere.

Secreta extra confessionem sub sigillo commendata quomodo obligent.

QVæritur de illis, qui committũt alijs secreta sub sigillo confessionis, at tale sit secretum cõfesionis:

Resp. quod qui recipit, tenetur seruare illud secretum plusquã alia, quia ex pacto additur nouum vinculum, & per sequens dico non esse conueniens, quòd homines sępe recipiant talia secreta. secundo dico, quod illud non est sigillum confessionis, nec frangens illud incidit in pœnas Canonis. quia ibi nulla iniuria fit sacramento, cum nullum fuerit sacramentum, licet frangatur fides.

Notandum est etiam, quòd ea, quæ dicuntur de sigillo confesionis, intelliguntur de quacunque confesione, siue perfecta, siue non, siue incepta, siue non: & de omnibus illis, quæ ordinantur ad confesionem, vel facultatẽ vt ab illo absoluatur à reseruatis, non potest ille plus reuelare, quam si iam accepisset in confesione.

Confessio vocalis an sit de iure diuino.

VTrum sit de iure diuino.

Resp. ex sententia omnium doctorum, quòd sic. Patet. Ecclesiæ claues sunt ad remittenda peccata, secundum illud Matth. 16. Tibi dabo claues regni cœlorum, & quodcumque solueris super terram. &c. Sacerdotes autem habent has claues, & sunt iudices peccatorum, iudices vero non possunt iudicare, nisi causam cognoscant, ergo alij tenẽtur subdere se huic iudicio, & alias frustra esset illa potestas, hæc autem subiectio fit per confesionem, ergo de iure diuino, tenentur confiteri. Item Iacob: Confitemini alterutrum peccata vestra: quod August. Beda. & alij sancti, & Vgo de S. victo. lib. 2. de sacramentis. 14. cap. intelligunt de præcepto confesionis. Item & hic est tota uis secundũ Adr. & veritatem Ioan. 20. Quorum retinueritis retenta sunt, ideſt quos peccata non absolueritis, non erunt absoluta ante Deum: ergo secundum Euangelium debent, absolui in terra, alias non erunt absoluta in cœlo. Hic locus validisimus est, & quòd omnes sancti hoc dicant in comperto est. Vide Thomam Vualdensem: lib. de sacramentis & Roffensem colligentes dicta Sanctorum omnium. De hac confesione necessario sacerdoti facienda multa egregia apud vtrumque inuenies. & cognosces, an expediat has Ecclesiæ columnas sequi potius, quàm nouos istos grammatistas.

De modo audiendi confessiones.

EXperientia docente, multos videmus in pratica huius sacramenti errare, ideo vtile videtur ponere modum, & formam circa audiendas Confesiones. & Primo de dispositione persone. Secundo, quomodo Sacerdos debeat inquirere à confitente. Tertio, qui sunt casus, in quibus potest absoluere.

ARS SIVE RATIO, Et breuis via confitendi, & examinandi commissa scelera, complectens omnes, & singulos casus conscientiæ occurrentes, in qua peccata, eorũque, remedia pleniſſime continentur.

AL padre Confessore primieramente bisogna seguitare, & andare per ordine di queste otto circonstanze sotto scritte, per

poter

poter senza alcuno errore confessare.

Quis, quid, vbi, per quos, per quos, quoties, cur, quomodo, quando.

Aug. de Pœni. di. 5. c. 1. & sumitur ab Aristotele. 3. ethicorum. c. pri. Ange. vide confe. primo §. 23.

Quis, cioè se è signore, ò vero mercante, &c.

Quid est, domandare se è homicidio, ò furto, ò biastematore di Dio, ò di Creature, per sapere, che penitenza se li debba dare.

Vbi, cioè, in qual luoco ha commesso il peccato, ò se è in luogo publico, ò secreto, ò in Chiesa, che saria più graue peccato.

Per quos, cioè, se fù solo; ò accompagnato: se da se, ò per consiglio d'altri, se con causa, ò senza causa.

Cur, cioè, con quale intentione, se per denari, per odio, per malitia, ò per ignoranza.

Quoties, cioè quante volte, dieci, ò venti: per che tanto più saria graue il peccato.

Quomodo, cioè, se fù naturalmente, ò contra natura, & se per causa sua, ò per altri, ò vero fù accidentalmente.

Quando, se fù di festa, ò di digiuno.

Omnia supradicta vide in summa Angelica. Confessio pri. §. 23.

IL confessore deue tenere questo modo col penitente: Prima domádar se è della sua iurisditione, & di poi domandarli se è, incorso in alcuna escomunicatione, ò in alcuno homicidio, se tiene la concubina, ò, se porta odio, ò se ha robbe d'altri, ò se deue far alcuna restitutione per vsura fatta, ò per furto. & trouádosi alcune di queste cose, & non volendosi emendare, di lasciarela concubina, & l'odio & far la restitutione, non lo deue confessar, ma mandarlo uia con bel modo, essortandolo però prima à fare quelche deue, come buon christiano.

Ma qñ si trouasse disposto di uolersi emendare delle sopra dette cose, bisogna fare, che prima mandi la cõcubina fuor di casa; ò la mariti, & restituisca quel, che deue, & poi lo cõfessarete, & non altrimente, acciò non inganni voi, come facilmente deue hauer fatto gli altri. con domádarli quãto tẽpo è che non si è confessato, & se fece la penitenza al tempo datoli.

Deue ancora dire il confessore al penitente.

FIgliuol mio tre principal cose bisogna, che habbia il deuoto Penitente: cioè, Oris confessio, Cordis contritio, & Operis satisfactio, & questo è secondo la opinione de tutti i sacri Theologi, in 4. dist. 16. & 17.

Oris cõfessio, vuol dire, che douete confessare voi medesmo i vostri peccati, perche per la santa confessione si recupera la gratia de Giesù Christo, la quale s'è perduta per li peccati cõmessi, per che immediatemente, che l'huomo commette vn peccato mortale, subito perde la gratia d'Iddio, & fassi suggetta al diauolo. Scotus. in 4. distin. 14. & però confessateui à me senza paura, & i uostri peccati confessandoli à me li confessate à Giesù Christo, perche rappresento la persona del nostro Signore Iddio, nella cui autorità darouui l'Assolutione con la santa Penitenza.

COrdis contritio vuol dire hauere dentro del cuore grã dolore della offensione, ch'hauete fatta contra la

diuina

diuina Maiestà, & con volontà dire la vostra colpa, & fare la santa penitenza, hæc. Sanct. Bon. vent. in 4. dist. 16. quæst. prima. articulo primo.

Operis satisfactio, cioè fare la santa penitenza, laquale è vna virtù, che fa hauere in odio; & piangere i nostri peccati. hæc Mag. senten. in 4. dist. 4.

PROLOGVS IN DVODEC. Articulos fidei.

CVM per aduentum sancti spiritus singulos quosque apostolos ignea lingua sedisset, vt loquelis diuersis loquerentur, per quod eis nulla gens extranea, nulla linguæ barbaries inaccessa videretur, & inuia p̃ceptũ, fuit eis à Domino ut ad prędicandum verbum Dei ad singulas proficiscerentur nationes. Discessuri itaque ab inuicem, normam sibi prius futuræ prædicationis in communem constituunt, ne forte alij aliò adducti, diuersum aliquid ijs, qui ad fidem Christi inuitabantur exponerent. Omnes itaque in vno positi, & Spiritusancto repleti, breue istud futuræ sibi (ut diximus) prædicationis iudicium in vnũ conferendo, quod sentiebat vnusquisque, componunt, atque hanc credentibus dandam esse regulam statuunt.

Considera, quòd forsitan tu dãnaberis, ille autem, quem despicis, & cuius respectu superbis, saluabitur, & quòd forsitan habet aliquam virtutẽ occultam, quantu cares, cuius causa est te dignior, & Deo carior, parumper expecta; & ueniet mors, quæ illum tibi efficiet parem, & illi te æquabit, omnes enim impares nascuntur, natalium quidem conditione, omnes autẽ pares moriũtur, mortis quidem necessitate, præter quam, quòd post mortẽ, de pluribus rationem reddent, qui in præsenti vita maiores fuerint, & plura bona temporalia receperint. Chrisostomus: Intuere, nunc sepulcra superborum, & vide si est aliquid in eis iactantiæ suæ vestigium, si aliqua diuitiarũ, vel luxuriæ signa cognoueris, require nunc vbi vestes, & ornamenta peregrina, ubi spectaculorum voluptas, ubi assectarum turbæ; conuiuiorum cessit opulentia: risus, iocus, & immoderata, atque effrenata lætitia quò abijt? quo recessit? vbi illa nunc? & ubi ipsi? quis finis vtrorumque? Intuere diligentius, & accede propius ad singulorum sepulcra, vide cineres solos, & fętidas carnes, vermiumque reliquias, & recordare hunc esse corporum finem, etiam si in delicijs, & lętitia, etiam si sine labore, & continentia transegerint vitam, atque vtinam res omnis, omnisq; causa nostra vsq; ad cineres veniat, & vermes, parua viderentur hæc damna, & quæ facilè excusare possit naturæ conditio. Nunc autem conuerte oculos tuos ab his cineribus, & sepulcris, & reuoca cogitationem tuam ad illud diuini indicij tribunal horrendum, ubi fletus, & stridor dentium, ubi tenebræ exteriores, vbi vermis ille conscientiæ, qui nunquam moritur, & ignis, qui nunquam extin-

extinguitur. Augusſt. Diuitijs, floribus, & maiorum nobilitate te iactas, & exultas de patria, & pulcritudine corporis & honoribus, qui tibi ab hominibus deferuntur, reſpice te ipſum, quòd mortalis es, & quòd terra es, & in terram ibis, circunſpice qui ante te ſimilibus ſplendoribus fulſerint. ubi ſunt, qui ambibant ciuium potentatus? vbi inſuperabiles imperatores, ubi q conuentus diſponebant, & feſta? ubi equorum ſplendidi inuentores, ubi exercituum duces? ubi ſatrapæ, nunc omnia puluis, nunc omnia fauillę, nūc in paucis verſibus eorum vitæ memoria eſt. Reſpice ſepulcra, & vide, quis ſeruus, quis dominus, quis pauper, quis diues? Diſcerne, ſi potes uinctum à rege, ſortem à debili, pulcrum ò deformi memor ſis ne extollaris aliquando. memor autem eris, ſi te ipſum reſpexeris.

Conſidera nunc, quàm friuola, quā uana, quam fictilis ſit gloria mundana, quia leuiter volat, leuiter penetrat, leuiter præterit, nec tamen leue infigit vulnus, ſed cito interficit, & ex temporali gloria in æternam commutatur confuſionem.

Quiſquis es, qui honorum cupidita te tantopere ardes, conſidera primum a quibus hi honores tibi deferuntur, nempe ab ijs, qui te metuunt, & uiciſſim ipſo nomine tibi ſunt metuendi, & ab illis eſt tibi cauendum, aut ſpe alicuius vtilitatis, quam ex te conſequi ſperant, & ſic te derident, non enim honores illos tibi ex animo deferunt. & ſic es miſerandus potius, quam mitandus. Secundo conſidera ob quæ hi tibi deferuntur honores, nempe aut ob merita, ut ſunt forma, vires, opes, genus, & ſimilia, quæ quia à natura ſunt, idcirco de ijs neque laudamur, neque vituperamur. aut ob turpia, à turpibus laudaris, quod ingens eſt probrum, & non honor. Tertio conſidera cui honores iſti deferuntur, nempe tibi, aut indigno, aut digno, ſi indignus es iſtis honoribus, & falſo opinantur homines te ijs dotibus ornatum, quibus honos debeatur, eo ipſo nomine non eſt tibi materia ſuperbiendi, quin potius humiliter de te ſentiendi. Si dignus es, qui lauderis, honores tuos in Deum refer, cui debes, & illa, obquæ honos tibi tribuitur, tam non cōuenit tibi arrogare honorem, quia non conuenit tibi arrogare virtutem, quæ de ſurſum eſt deſcendens à patre luminum, quicquid hic fauoris captas, quod ad Deū nō retuleris, ipſi furaris. quid aūt nequius ſeruo vſurpante ſibi gloriam domini ſui? vnde putride puluis, & vermis inutilis gloria tibi.

Conſidera quam tibi ſtultum ſit, pretium tui de homuncionum opinione metiri, quibus in manus eſt ſimul, atque ipſis placuerit, hoc ipſum honoris, quod largiuntur rurſus auferre, acte modo honeſtatum de honeſtare, ſi in eorum labijs gloriam tuam poſueris, modo magnus eris, modo paruus, modo nullus, ſecūdum quòd adulātum linguis placuerit, vel vituperare te, vel laudare. ſtultum tibi eſt theſaurum tuum ibi recondere, vnde reſumere non valeas, cum volueris, ſed abijs mendicare incipias, quibus illum ſeruandum credideris. Itaque gloriā tuam prætioſiſsimum animæ tuæ Theſaurum ipſi Deo potius ſeruandam repone, qui potens eſt depoſitum in tempus ſuum ſeruare, qui cautus eſt

n custodiendo,& fidelis in restituendo. Si humanam contempseris,secura erit tibi gloria.

Considera mundanos honores cum pessimis sceleratissimis hominibus esse & communes, immo nullis fere contingere copiosius, quam indignissimis. itaque cum solum honorem esse deputa,qui à uera virtute proficiscitur,quem etiam interdum fugere oportet,sicuti verbo, & exemplo,nos docuit Christus, vnicum autem honorem, & homini Christiano expetendum esse,nõ ab hominibus,sed à Deo conlaudari, non enim quem homo cõmendat,is probatus est,sed quẽ Deus commendat.

Quisquis es, qui præesse affectas, primos quæris accubitus,& ecclesiasticorum graduũ celsitudines ambis, ipsis etiam angelicis humeris formidandas: considera quam sint transitoria,quæ appetis, quã æterna,quæ perdis. quid enim prodest paucis diebus regnare super terram,& regno Cælorum æterno priuari? quomodo alijs præesse poteris, qui tibi subesse non didiceris? alijs dominaris,qui tibi dominari nescias,q si per te steterit, quo minus vnus quispiam ex ijs, qui curæ tuæ commissi sunt, saluetur: quomodo saluari poteris? quomodo de alijs reddes rationem,qui de te uix possis eam reddere? quam in numeris peccatis?ad quæ etiam accedunt subditorum tuorum peccata, quæ in tuum redundat caput? Vnde durissimum fiet iudicium ijs, qui præsunt. potentes, enim potenter tormenta patiẽtur, de quorum manibus subditorum peccata requiret Deus.

Considera,quod qui contendunt supergredi proximos,multas inueniunt difficultates, multos habent æmulos, multos insidiatores, multos contradictores. nihil autem facilius est volenti,quã humiliare seipsum. vnde Rex quidam traditam sibi coronam regiã, priusquam suo capiti imponeret,diu in manibus retentam considerauit, ac dixit:O nobilem magis,quam felicem coronam, quam si quis peritus cognoscat, quam multis solicitudinibus, & periculis, & miserijs sit referta, ne humi quidem iacentem tollere uellet.

Considera ò superbe, quòd nulli cuiquam places. non Deo, quem habes aduersarium,qui superbis resistit, & humilibus dat gratiam. *O quale malum est, quòd aduersariũ habet Deũ:* Non placet humilibus,qui humilitatis amatores tuam exhorrent superbiam. Nõ alijs places superbis tui similibus, qui eo ipso nomine, quo tete exaltas, & extollis,tibi inuident, hoc metuentes,ne ipsis videri possis vlla in rebeatior. Non etiam tibi ipsi tandem placebis, nec in hoc seculo,cum ad te reuersus vilitatem tuam agnoueris,& cũ in te ipso nihil penitus inueneris, vnde possis aliquo modo gloriari,nec in futuro seculo:cum ob superbiam tuam in æternum ardebis. Bernardus: O homo (inquit deus) site videres,tibi displiceres,& mihi placeres; sed quia te non uides, tibi places, & mihi displices. Veniet dies, quando nec tibi, nec mihi placebis:mihi,quia peccasti:tibi, quia in æternum ardebis. Soli diabolo tua placet superbia, qui superbus est valde,qui ex speciosissimo Angelo præ superbia in teterrimum Dæmonem est commutatus, teque simili modo

do

do sibi similem tentat efficere. Considera peccata tua; quorum causa quodcunque supplicij genus commeruisti, nec dignus es pane, quo vesceris. At dixeris: De peccatis meis confessus sum; verum quidem dicis, sed qui scis, an verè contritus fueris, an odio, an amore dignus sis? Qui scis, si conuertatur, & ingnoscat Deus, & relinquat post se benedictionem?

Considera, quòd certo, & euidenter nescis, an toto vitæ tuæ tempore opus meritorium feceris, quia sæpe vitia virtutis speciem præ se ferunt: quia sæpe inanis gloria totum opus, alioquin bonum; & meritorium, uitiat, qui sæpe iustitia nostra examen diuinæ iustitiæ deducta, iniustitia est, & pleriq; sordet in conspectu veri iudicis, quod in oculis fulget operantis. alia enim sunt iudicia hominũ, alia iudicia Dei, cui gratior est peccator humilis, quam iustus superbus:

Considera, quòd forsitã plura mala feciſsi, quàm bona, & si qua bona feciſti tantę indeuotioni permixta fuerũt, vt de ijs plane non possis gloriari. Nã vix sine aliquo peccato est, quod laudabiliter gesimus; si remota pietate iudicemur, Gregorius: Vę laudabili vitę hominum, si remota pietate iudicetur, quia vnde ante oculos iudicijs se placere suspicatur, obruitur. mala enim nostra pura sunt mala: ex pluribus circunstantijs grauia, & grauibus supplicijs digna. Bona autem nostra nõ sunt pura bona, sed multis impuritatibus sunt admixta:

Considera, quòd Deus est, qui inte; vel tecũ operatur, ut bona opera operaris: qui dat tibi, & velle & perficere, sine quo ne cogitare quidem potes aliquid boni, sine quo nec surgere ad bonum, nec stare in bono potes, cuius virtute necesse est tenearis, qui eius manu erectus es, secundum cuius gratiam tibi datam, aut vltro oblatam negligenter, nec satis fideliter operatus es. Vnde non tibi, sed Deo, eorum operum gloriam ascribere debes: ne cum hic temporalem gloriam pro mercede receperis, in futuro æternam gloriam alioquin ratione illorum operũ habendam cum operibus tuis perdas. Nemo enim potest, & temporalẽ gloriam præsentis sæculi, & æternam venturi seculi habere, & in terra simul, & in Cœlo glorioſus esse. Quid enim æternæ mercedis habere speras in Cęlo, qui temporalem mercedem voluetis recipere in mundo? Mundanam gloriam tibi ab hominibus impendi maluisti, & cœlestem gloriam, æternamque tibi à Deo impẽdendam, perdidisti. Gregorius: Cum pro recto opere laus transitoria quæritur, æterna retributione digna, uili pretio venum datur Deo, quo videlicet prętio percepto veritas dicit: Amen dico uobis: receperunt mercedem suam. His amplius plerunque putas opus esse bonum, quod malum est, vel maius esse, quàm sit, uel meritorium esse quod nõ est, uel maioris esse meriti apud Deũ, quam sit? Hostis enim nostri malitia tanta, & arte se palliat, ut plerunque ante deceptæ mentis oculos culpas virtutes fingat, & inde quisque quasi expectet præmia, vnde æterna dignus est inuenire tormenta: plerunq; enim, quod hominibus altum est, abominatio est apud Deum. igitur si diligenter consideraris, de omnibus tuis potius debes formidare, quàm gloriari. iuxta

illud

illud Iob: Verebar omnia opera mea, sciens, quod non parceres delinquẽti.

ORDO VITANDI

Superbiam.

QVoniam ab ignorantia tui nascitur in te superbia, cum meliorem, aut beatiorem, quàm sis: decepta, & deceptrix tui cogitatio te esse mentitur, & in tuis oculis maiores, quàm apud Deum, & in veritate. Idcirco nascenti superbiæ veracius, aut commodius occurrere non potes, quàm si in veritate te ipsum noueris, quàm si te ipsum inueneris. tantum te ad lumen veritatis discutias te ipsum sine dissimulatione inspicias; & sine palpatione te iudices. ne tibi ipsi de te inentiaris, ne in spiritu tuo sis dolus. Nam quomodo non uere humiliaueris te in hac vera tui cognitione, cum te perceperis oneratum peccatis, mole huius mortalis corporis aggrauatum, terrenis intricatum curis carnalium desideriorum, fece infectũ, implicitum mille erroribus, expolitũ mille periculis, mille timoribus trepidum, mille difficultatibus anxium, mille suspicionibus erumnosum, procliuẽ ad malum, difficilem ad bonum? Grãde est malum horrendumque periculum, si vel modice plus ęquo te extollas, si vel uni etiam in tua cogitatione tę præferas, quem forte parem tibi ueritas iudicat, aut etiam superiorem.

Quod si uideris aliquem aperte peccare, uel aliquem grauia pepetrare, non tamen debes te eo meliorem existimare, quia nescis, quàm diu possis in bono stare. oẽs homines summus neminẽ te ipso fragiliorẽ existimabis.

Aliorum virtutes magis considera, quàm vitia, quia in eo plenitudo cõstat humilitatis. nam quamuis in aliquo maior tibi sit à Deo data gratia, quàm proximo tuo, tamen si recte perpendas, in multis te iudicare poteris inferiorem, quid enim supra proximũ tuum superbis, si laborare, aut ieiunare plus potes, quam ipse, cum super te patientia humilitate præcedat, charitate super emineat? Eris itaque magis solicitus, ut scias, quid desit tibi, & quid alteri insit, quam quid tibi insit, & quid alteri desit, & hæc cogitatio te in humilitate custodiet, & perficiendi desiderio te accendet. Quod si tecum reputaueris, quid tibi habere videaris, quo alter quispiam careat; te in superbiam eriges, dum alteri te præpones, hinc perficere *negliges*, dum te magnum, & excellentem *putaueris* hinc deficere incipies, dum alterius comparatione etiam nimis egisse tibi ipsi videberis: sicque tepiditatẽ incides, & remissius solito agere incipies.

Quod si sapienti iudicio, nec temerario te donum quodpiam præceteris habere agnoueris, tunc duntaxat de eo cogitabis, cum ea causa Domino Deo tuo uoles gratias agere, & eidem te agnoscere debitorem, ut dum gratia consolationis, in Deum, ut ab eo maiora speres, alia ex causa imminentem tristitiam eius doni consideratione uolens propellere. Cum aliquod bonum opus operatus fueris, crede de alijs meliora, ut humilieris, & humilitatem seruare possis.

Si aliquo bono opere senseris mentem tuam intus arcana quadam voluptate supra modum extolli, tunc temporis valde tibi est cauendum, ne philantia (ideſt tui ipsius amor & complacentia) opus bonum ad Dei gloriam

factum

factum quoquomodo contaminet, ne ue inanis gloria omnium bonorum consiliorum pestis illud corrumpat. Sed nihil tuis meritis arrogans totum illud gratuite dei beneficentiæ feres acceptum, itemque ipsum protinus verbis Pauli reprimes: Quid habes, qđ nõ accepisti? & si accepisti, qd gloriaris? quasi non acceperis? quod si de eo bono opere gloriari uis, gloriare in domino, idest omne illud opus bonum Deo ferens acceptum, illius operis causa soli Deo placere desiderabis, qui solus conscientiæ arbiter est. & cui placere sola vera, & summa gloria est; quicquid in te magnum, quicquid pulcrum, quicquid erit præclarum, id non tuum esse bonum ducas. Contra: quicquid humile, quicquid sordidum, quicquid prauum in te fuerit, id totum ad te tantum referes. Opera bona, quæ raro & a paucis fiunt, quàm optime poteris occultes, sic, ut nesciat sinistra; quid faciat dextera tua. facile enim est eorum appetere manem gloriam, quæ palam fiunt.

Dum animum tuum in superbiam erigi senties, mox tua ipsius mala vertes in remedium, quasi venenum veneno pellens: Si ingens aliquid corporis, aut animæ tuę vitium, & quod animum tuum vehementer remordeat, ob mentis oculos proposueris, & pauonis exemplo, ea tui parte contempleris te ipsum, qua es deformissimus.

Ne te ipsum æstumaueris ex aliorũ laudatione, sed de tua ipsius conscientia, si te laudari audies, te ipsum interroga, an talis sis, qualem alij prædicant, quod si animus tibi respondeat, te lõge alium esse, quam ipsi te faciũt; magis crede tibi ipsi, cui notior es, quàm alijs. quod si te talem agnoueris esse, nihilominus quantum in te est scuto veritatis cures à te repellere iaculum fauoris, dans gloriam Deo, & dicens: Gratia Dei sum id, quod sum. probet ipse opus tuum, & sic habebis gloriam intemetipso, non in altero.

Cõtra cæcã superbiam, dete humiliter sentiens, cõtra uanãgloriam, aliter aliter sentientibus non consenties. Iustius, tutiusque est, vt nouissimum locum eligas, de quo postmodum cum honore superius educaris, quàm vt primos quæras accubitus, vnde cedere mox oporteat cum rubore. quanto maior es, tanto te geras summissimus. nõ enim magnum est in abiectione humilem esse, magna prorsus, & rara virtus humilitas honorata. Itaque si egregius es, esto tamen de grege, si omnibus præsens, non dedigneris subesse. Subditos tuos, homines memineris, non pecudes, quòd tibi subditi sunt meritis tuis non accidit, quòd autem homines, sunt in hoc tibi naturam pares sunt humilitas in honore ipsius honoris honor est, & dignitatis dignitas. omnis dignitas ipso dignitatis nomine indigna est, si humilia dedignatur. Si uirtutem expetis humilitatis, viam non refugies humilitationis, si non pateris humiliari, non poteris ad humilitatem prouehi. Quamuis enim multi sint humiliati, qui humiles non sunt, tamen humiliatio uia est ad humilitatẽ, sicut patientia ad pacem, lectio ad scientiã. Acquiesce Deo, & sit voluntas tua subdita veritati, nec te uere putes tuo subiectum esse Creatori, cui debes totum, quod es, & totũ qđ habes, qui & fecit te, & benefecit tibi, nisi & humanæ creaturæ propter eum sis subditus,

supe-

superioribus, inquam, & Prelatis tuis. quod si uis in iustitia esse perfectus, uade ad iuniorem, & defer inferiori honorem, & iuniori te inclinato. propriũ abhorre consilium, & propriæ voluntatis effectum: superiorum & sapientiorum acquiesce consilio, quibus verè humilis dat suum velle, & suum nolle. Cor tuum triplici timore replebis, ut timens quidem pro accepta gratia, amplius pro amissa, longe plus pro recuperata. Time, cum arriserit gratia, ne indigne opereris ex ea. Time, cum abierit, quia vbi deficit gratia, ibi deficies tu, custodia tua te relinquente. Timesi amissa denuo redierit, ne forte contingat te reciduum pati non potes simul, & sit timere, & altum sapere nõ potes dimittere superbiam repletus timore domini. Patientiam habe in aduersis, verum humilem patientia ostendit iniuriæ, sicut nos exemplo docuit Christus, qui cum malediceretur, non maledicebat, cum pateretur non comminabatur. Ne despexeris, ne ve irriseris miserum, id enim arrogantis stultitiæ magnum est argumentũ, præsertim, cum calamitas misericordiam mereatur, non conuitium. Cauendum est tibi, ne uestis tibi sit vanitate, aut curiositate nimis exquisita, ut pretiosa nimis. qui enim diligit vestimentum nimis splendidum, cogitationes humiles habere non potest; & nemo querit vestimenta supra modum pretiosa; nisi ad inanem gloriam. quia ea non induit, vbi ab hominibus videri non potest. Cauendum est tibi etiam ne vestis tibi sit vilior, & humilior, quàm æquum sit. ne fugiendo gloriam, eandem videaris quærere. Plures enim in hoc ipso cupiunt placere, quòd placere negligunt, & dum laus vitatur, mirum in modum appetitur. Itaque nec nimium sis luxuriosus in vestitu, nec nimiũ sordidus, sed eleganti munditia. Vere humilis humilia non dedignatur ministeria, sed libenter ad humilitatis suæ custodiam humilia obire munera non recusat, qui se in oculis suis vilem existimat.

DE PECCATO AVARITIAE.

AVaritia est sua illicite retinere, aut aliena concupiscere. Pero deue il Confessore con diligenza interrogare il penitente sopra questo peccato dicendo:

Hauete per auaritia *mal trattata* la fameglia, cioè i figliuoli, garzoni, operarijs in mangiare, & bere, vestire, & calzare. mancando secondo la sua facultà per auaritia, Mortale. ut notatur in c. licut. §. necesse. 47. dist. Ange. vide familia. §. primo.

Hauete per auaritia non voluto pagare garzoni, & le vostre serue, & seruitori? Non deue, ne si può assoluere, se prima nõ sodisfa, quanto deue. scriptum est sapientię. c. 11. Non lædas seruum in veritate, operantem, neque mercenarium dantem animam suam.

DE ELEEMOSYNA.

HAuete per auaritia non voluto fare elemosinæ? tenetur sub peccato. Mathæi. 25. ca. Esuriui, & non dedisti mihi manducare, &c. & in c. non satis. 86. dist. & in c. omnis, qui gemebat. 7. q. pri. & Ricardus in 14. 15. Angel. ui. elemosina. §. prim.

E da sapere, che la donna maritata sempre può fare elemosina senza licenza del marito, pur che vi concurrino alcune di queste cose, cio è, ogni voltà, che la donna maritata habbia hauta piu della sua dote: Vt: bona Parafrenalia, idest omnia bona vxoris habita extra dotem. Baldus in lege secund. Cod. de senten. quæ sine certa quantitate. & glo. in ca. plerunque de donationibus inter virum & vxorem. Ange. vide de Parafrenalia in primo, & eleemosina §. 7. & vxoris. §. 2. Può fare ancora elemosina di tutte le cose le quali acquista con industria sua, filare ad altri, tessere, cusire, & allattare. & simile cose, per che tutte le cose, che acquista le può disporre a suo modo, hauendo hauuta la dote conueniente alla sua conditione. Panormitanus. in c. literas, de restitutione spoliatorum, & in l. si cum dote. ff. soluto matrimonio. Ang. vide vxor. §. 2. puo ancora fare elemosina non hauendo hauuta la sua dote sufficiente. Però quando non puo hauere ricorso al suo marito. Panormitanus in c. si quis. de furtis. Ang. vide eleemosina. §. 7. Può ancora, quãdo la donna ha hauuto licentia dal suo marito di potere ordinare, & dare à modo suo, secondo la sua discretione, & il medesmo possono fare tutti li altri administratori delle robbe d'altri, Argumento. ff. de donationibus filiasfamilias. §. primo. & ancora quando il suo marito fusse mal Christiano, tristo & scelerato, accio che Dio l'illumini, & lo perdoni, può dare la elemosina. 19. q. 1. c. reuertimini. Ang. vide eleemosinę. §. 7. & ancora quãdo vedesse alcuna persona in estrema necessità, ancor, che li fusse stato prohibito dal suo marito, può fare la elemosina, quia in tempore necessitatis omnia sunt communia. Ricardus. in 4. distin. 15. & glo. in c. non dicatur. 11. q. prima. Ang. vide eleemosina. §. 7. Ma nota che quando la donna non ha hauuto la dote secõdo la sua conditione, non può ne deue fare elemosine senza licẽtia del suo marito, ne anco di quello che acquista, e in potestà sua, ma del suo marito, ma quando hauesse hauto la dote secondo la sua conditione, tutto quelche guadagna per industria sua, vt dictum est, supra, ogni cosa, e in podestà & arbitrio della dõna. & cõseguentemẽte può fare elemosina. bẽche sia tenuta al suo marito quãto al debito coniugale, & obsequio de la sua persona, cioè lauarli la testa, & altri seruitij secondo la qualità della donna, Panormitanus vt supra. & c. muliere 33. q. 2. & c. hæc imago. & l. si cum dotem. ff. soluto matrimon. Ang. vide vxor. §. 2.

DE LVDO.

HAuete giocato alle carte? semper est mortale peccatum. la ragione è pche sempre ne procedono mali, & peccati, cioè biasteme infinite, inimicitie, latrocinij, & simili cose, & ancora fraude, & inganni: ma quando non lo facesse per consuetudine, & giocasse per ricreatione vna cena, ò poca quantità di dinari, & quãdo fosse signore, ò persona ricca potria giocare vn scudo, ò quando fosse in alcuna tribolatione, ò infirmità, all'hora saria lecito p passare il tempo. Ricardus. in 4. dist. 15. & l. quod in conuiuio. ff. de aleatorib.

Hauete giocate con carte, o dadi falsi, o con fraude, & inganni, mancando, ò agiungendo ponti? oltra il peccato mortale, è tenuto alla restitutione. Innocentius. & Abbas. in cap. quia plerique de immunitate ecclesiarum. & deue esser punito come vero ladro, Baldus. in rubrica codicis. de conditione ob turpem causam. Angelica vide ludus. §. 2. & 5.

Hauete giocato senza fraude? Se hà giocato con persona, che haueua di proprio suo, come è vn signore, ò padre di famiglia, ouero figliuolo di famiglia, ilquale ha altre robbe, senza il patrimonio, cioè, bona Castrensia, & quasi castrensia non sei tenuto alla restitutione, a lui, ma alli poueri, secõdo la opinione de tutti i Canonisti, in ca. clerici officia. de vita & honestate clericorum, & Hostiensis in ca. cum sit de iudeis. & il confessore lo deue ammonire, che lo dia alli poueri, & quando nõ volesse restituire, non si può negare la assolutione. Hoc tenet dominus Cardinalis, in cap. quia plerique, de immunitate ecclesiarum. Ang. vide restitut. primo. §. 16. in verbo turpe lucrum. ma quando fossero li bandi, che non si potesse giocar, tanto se si gioca senza fraude, tanto con fraude, è tenuto alla restitutione al vero padrone. Ricardus vt supra Ang. vide ludus. §. 6.

Hauete giocato, con religiosi, clerici, pupilli, figliuoli de fameglia, serui, pazzi, o sordi, oltre il peccato mortale, è tenuto alla restitutione in questo modo, cioè, se ha giocato cõ religiosi, è tenuto alli prelati. se con preti, & sacerdoti, alla Chiesa di esso Sacerdote, se sono pupilli, alli suoi tutori, se cõ figli di famiglia, alli loro padri, se conserui, alli loro signori & padroni, si con pazzi & muti, alli loro gouernatori, & questo perche non possono alienare, & cõseguentemẽte manco possono giocare. argumento legis. Seruus cuiusdam. ff. de conditione indebi tis, & lege. falsus. Codice de furtis. & glossa, & Archidiaconus, in c. Episcopus. dist. 35. Ang. vide ludus. §. 7.

Hauete giocato alli scacchi, quando giocasse con grande desiderio di uincere per auaritia; Mortale, Exodi. ca. 20. Non concupisces rem proximi tui. Angel. vide ludus. §. 4. & auaritia. §. 1.

Hauete imprestati dinari per far giocare? Colui, che presta non li può domandare glossa *ordinaria*. in lege prima in principio & l. si. ff. de alea toribus. Ang. vide ludus. §. 9. in fin.

BONA CASTRENSIA.

S'intẽdono tutte quelle cose, che si aquistano in guerra, vn figliuolo di famiglia, & in quello suo padre non gli ha cosa alcuna.

QVASI CASTRENSIA.

S'intẽdono tutte quelle cose, che si acquistano idottori, & notarij in officio publico, cioè incuria, & il suo padre non gli ha parte alcuna.

ADVENTITIVM.

S'intẽdono quelle cose che sono date àl figliuolo di famiglia, da estranea psona, & rispetto di suo padre, & in questo suo padre gli ha lusofrutto.

PROFECTITIVM.

S'intendono quelle cose, che ha il figliuolo di famiglia da suo padre, da suo auo, o superiore paterno, & tu

to quello che guadagna per quello, ſuo padre gli ha proprieta, & luſofrut to come padrone, e Signore.

RATIO DETESTANDI Auaritiam.

COnſidera ò auare, & terrenorum bonorum in explicabilis gurges, quòd dominus, & Deus tuus, omnium diuitiarum plenitudo, & Theſaurus in exhauſtus, ab in enarrabilibus cœli diuitijs in hunc mundum deſcendens, iſtas qualescumque diuitias habere noluit, ſed in tanta paupertate uenit, vt ex paupercula humillimaque Maria vergine, non ex opulentiſsima regina dignatus ſit naſci, natusque non operioſis palatijs, & molliculo lecto, ſed in vili præſepio ſuper fenum reclinari voluit Rex Regum. & dominus dominantium. tot ſolummodo faſcijs inuolutus, quot virguncula ad partum imparare ſecum geſtabat, pauperesque paſtores infantem ipſum pauperem, cum paupere Maria matre, in paupere loco, non in pompoſa regia inuenerunt. His amplius tantis dum in hac vita fuit, paupertatem ſemper amauit & temporales diuitias contempſit, dũ eas tanquam viliſsimas Cuſtodi viliſsimo Iudę traditori commiſit. Ad hæc accedit, quòd pauperes ſemper amauit, & elegit in Apoſtolos ſuos, non Duces, non magnates, non alios quoſuis opulentos uiros, ſed pauperrimos piſcatores. O vera magna abuſio, & nimis magna, vt diues eſſe velit vermiculus vilis, propter quem Deus maieſtatis; & dominus ſabaoth voluit pauper fieri, itaque quicũque propter Deum es pauper voluntarie & libenter, aut neceſſario & patienter, vide pauperem Chriſtum, & pauperem Mariam, & de paupertate tua accipies conſolationem.

Conſidera, quam miſerabilis ſit tua abiectio, & puſillanimitas, ut animam tuam ad imaginem & ſimilitudinem Dei creatum, ad cuius pretium totus mundus extimari non poteſt, cuius cauſa mirabilem hunc mundi machinã condidit Deus, pro his temporalibus, & caducis bonis perdas: Deus animã ſuam pro toto mundo dare noluit, quam humana anima dedit, ſublimius eſt ergo animæ tuæ prætium, quæ non niſi prætioſo Chriſti ſanguine redimi potuit. quid igitur tibi eſt cum terrenis diuitijs & gloria tẽporali, quæ nec veræ: nec tuæ ſunt. verę diuitiæ non opes ſunt, Sed virtutes, quas ſecum portat conſcientia, ut in perpetuum diues fiat. tolle hominũ errorem, quid erit aurum, & argentum, niſi terra crocea, & alba? quod omnes philoſophi gentiles contempſerunt. hoc tu pauperis Chriſti diſcipulus, & ad longe meliorem conditionem vocatus, vt magnum quoddam admiraberis, ijsque ſeruies. Qui enim (inquit Hieronymus) diuitiarum ſeruus eſt, diuitias cuſtodit, vt ſeruus. Qui autem ſeruitutis excuſſerit iugum, diſtribuit eas, vt dominus. Hoc enim intereſt, diuitias habere, & diuitijs ſeruire: ijs ſi uti ſcias, tibi ſeruiunt, ſi vti neſcias, illis ſeruis.

Conſidera, quòd non potes duobus dominis ſeruire, Deo, & Mammonæ, quia non poteſt ad contemplandum Deum mens eſſe libera, quæ deſiderijs huius mundi, & cupiditatibus inhiat,

neque enim oculus simul & cœlum, & terram conspicere potest. Haud secus temporalibus præoccupatum animú delectatio refugit, nec misceri poterunt vera vanis, æterna caducis, spiritualia corporalibus, summa imis, ut pariter sapias, quæ sursum sunt, & quæ super terram. Prætiosa quidem est delectatio diuina nec omnino tribuitur admittentibus alienam. Putas ne te posse illum Dei spiritum suscipere, nisi carneis istis delectationibus renuntiaueris. Vnde putas cordis tui in explebilis cupiditas ducat originem, nisi inedia, & obliuione. Idcirco alienum mendicat anima tua, quod oblita sit comedere panem suum: propterea terrenis inhiat, quòd minime cęlestia meditatur. Renuat itaque consolari anima tua in terrenis, si vis in Dei memoria delectari.

Considera, quòd licet ea, quæ mundus aliquando suis amatoribus erogat magna, & honesta, in præsenti seculo videri possint; tamen infida esse quis nesciat? Certa eorum est breuitas, & ipsius quoque breuitatis quàm finis incertus, sæpe viuentem deserunt, morientem autem nunquam sequitur. O seculum nequam, quòd solos suos sic solet beare amicos, vt Dei faciat inimicos, & indignos beatorum consortio. Plane enim qui amicus vult esse huius seculi, inimicus Dei constituitur.

Considera, quòd si in terrenarum rerum affluentia concupita felicitas arriserit, eo ipse infelicior es, quò vehementius ipsam pro felicitate amplecteris infelicitatem. Quantam putas infelicitatem hæc ipsa tam vana felicitas pariat? diuitiarum enim amor insatiabilis longe amplius desiderio torquet animam (vt interim de pœnis æternis taceamus) quam refrigeret vsu suo, vt pote quæ pungit animá, lacerat & affligit, quoniam inducit eam in varias tentationes, prouocat ad peccandum, aufert charitatem, tollit quietem, & præter quam quòd diuitiæ momentaneæ sunt, tamen fere sine labore mentis, & corporis non acquiruntur, sine timore non possidentur, sine dolore non amittuntur, nec fere vnquam ingentes diuitię sine peccato aut parantur, aut seruantur, & plerunque accidit diuitem hominem iniqui aut dominum esse, aut hæredem. Paupertas autem amatores suos nec *intrinsecus* per auaritiá vrit, *nec extrinsecus per* controuersiam lædit, sed *sursum per* desiderium accendit, suosque à gemina impugnatione (qua huius mundi amatores impugnantur) reddit securos, scilicet à propria inuidia, & aliena. Paupertas enim, dum putatur misera, aliena caret inuidia, & quia uoluntaria est, nemini quicquam inuidet.

Considera, quam obsurdum sit cordi tuo tam paruo, totum mundum vix sufficere. cum illud ad vnius milui refectionem uix sufficiat. Quam tibi stultum sit, & extremæ dementiæ, ea semper appetere, quæ multiplicata nunquam satiant, sed minuũt quidem appetitum, immo potius auaritiæ sitim augent, sicut potus hydropico. & dum quicquid talium habueris, nihilominus non habita concupiscas, & ad ea, quæ defuerint, semper inquietus anheles, ita fit, vt per uaria, & fallacia mundi oblectamenta vagabundus, animus tuus inani labore discurrens fatigetur, non satietur, dum quic-

quid

quid famelicus deglutierit, parum reputat ad id, quod supereſt deuorandum, semperque non minus anxiè cupiat, quæ deſunt, quam lætè poſsideat, quæ adſunt, ne prius ſatietur auro, quam corpus aura. Auguſtinus: Quæ eſt iſta auiditas concupiſcentiæ, cum & ipſe belluæ habeant modum? tunc enim rapiunt quando, eſuriunt. parcũt vero prædę, cum ſenſerint ſatietatem, inſatiabilis eſt ſola auaritia diuitum, ſemper rapit, & nunquam ſatiatur; quæ eſt illa animarum inſania? amittere uitam, appetere mortem, acquirere aurum, & perdere cœlum.

Conſidera, quòd ubi ſunt multæ opes, ibi etiam multi ſunt, qui expendunt eas, tam conſumentium, quam ſubtrahentium. nec opulentiſsimus quiſque aliud in hoc mundo habet præter victum, quem itidẽ habes, de quo admodum tibi curandum eſt, ſi modo iactaueris cogitatum tuum in domino, & eius curæ te pænitus commiſeris, qui non derelinquit ſperantes in ſe. Qui enim ſic facit hominem, vt alimentis egeat, non patietur eum perire neceſſariorum ſubtractione. cum Dei bonitas paſſerculos benigne paſcat, & veſtiat; hominem pium, ſibique fidentem deſtituet? Præterea neceſsitati pauca ſufficiunt, vita breuis eſt, mors properat, quid tanto tibi opus eſt uiatico? Quid tantis tibi opus eſt diuitijs? quibus quo minus fueris onuſtus, cò expeditius hanc tuam peregrinationem conficies, ad cuius metam cum perueneris, nihilo peius teçum actum erit, quam cum ditioribus, qui plus uiatici ad eandem uiam conficiendam ſecum detulerant, niſi quòd aut nihil, aut perparum tibi ſupererit, in ipſo peregrinationis exitu relinquendum. illi autem locupletiſsimi theſauri ad tam breue iter per agendũ fruſtra coaceruati non ſine magna animi anguſtia, in itineris meta relinquẽdi erunt.

Conſidera ò auare, quibus tantum pecuniarum aceruum parcis, quibus tantas opes accumulas? cũ quantumlibet laboraueris pro accumulandis bonis, tamen ſicut nudus in mundum veniſti, ita nudus de mundo recedes. inopnatus in hac vita, inops recedes de hac uita. Si bona huius mundi peritura credis, cur peritura tanto amore amplecteris? facile contemnit omnia, qui ſemper cogitat ſe eſſe moriturum. in mortis articulo omnia bona temporalia relinques, & ſolummodo ad diſtricti iudicis iudicium bona, & mala opera tecum deferes, vbi omnia bona ſpiritualia per te facta perdes, ſi ijs par ui habitis, totus in hac vita fueris propenſus bonis temporalibus, tua in tres partes tunc diuidentur: Corpus dabitur uermibus. Anima dæmonibus, Bona temporalia hæredibus, aut ingratis, aut prodigis. Itaque ſatius eſſet iuxta conſilium cuiuſdam ſancti viri, ſuperfluas, & exundantes opes pauperibus erogando, in Cœlum, quò ire vis, præmittere more eorum gentilium, qui ſarculas, & impedimenta eo præmittunt, quó diuerſuri ſunt, quam poſt mortem tuam nihil tibi pro futuras ingnotis prædam relinquere. O quæ ſtultitia, ibi Theſaurũ tuum relinquere, vnde exiturus es, & eò non præmittere, quò iturus,

Conſidera, quòd Deus cœleſtis paterfamilias ordines, miniſteriaque famulorum terrenæ domus diſpertiens

hos

hos vt regant, illos vero statuit, vt ab alijs regantur. istos iubet, vt necessaria cæteris præbeant, illos autem, vt accepta ab alijs sumant. at cum tu eorum, quæ vltra moderatum vsum tibi redũdant, dispensator sis positus, putas ne impunè tibi licere ea retinere, quæ tanquam aliena à cœlesti domino dispensanda suscepisti? esurientium enim (inquit Ambrosius) panis est, quem tu detines, & nudorum vestimentum, quod tu recludis, & miserorum redemptio est, & absolutio pecunia, quam in terra fodis. tantorum ergo scias te inuadere bona, quantis possis præstare quod vales.

Considera, quàm misericordiæ hostiam Deo tibi omnia danti reddis, si eum in suis pauperibus non pascis. quicquid enim uni ex minimis pauperibus feciſti, Christo feciſti. uicissim: quod vni non feciſti, Christo non feciſti, cum ea, quæ multis prodesse poterant, inutiliter seruas.

Considera, quòd bona, quæ à Deo in hoc mundo tibi data sunt, calamitatis sunt solatia, non autem retributionis præmia. Itaq; caue nedum omnia pro voto tibi suppetant, eorum omnium datorem quærere negligas, ne in ijs, quæ dantur animum figas, ne peregrinationẽ pro patria diligas, ne subsidia itineris; in obstacula peruentionis vertas, ne nocturno lunæ lumine delectatus, claritatem diurni solis videre refugias, tandemque fauorem vitæ transeuntis, in mortis perpetuæ occasionem vertas.

DE LVXVRIA.

LVxuria est libidinosę voluptatis inordinatus appetitus.

Deue il Confessore di questo peccato essaminare il penitente con molta diligenza dicendo cosi:

HAuete tenuto la Concubina? Mortale. & non si può assoluere, se prima non lassa la concubina, ò non la marita. Scotus. in 4. dist. 15 & 24. q. 2. c. legatur Ange. vide concubinatus. §. primo.

Hauete peccato con vedoua, ò solutа? Mortale. 39. q. 2. c. raptores. Ang. vide fornicatio. in primo. & luxuria. §. secundo.

Hauete peccato con meretrice? Mortale. etiã credendo non esser peccato. 36. q. prima. c. lex illa. Ange. vide fornicatio. §. 2.

Hauete menati *altri à fornicare?* Mortale. de pœnitentia. dist. *prima. cap.* noli. Ang. vide vt supra.

STVPRVM, SECVNDA Species Luxuriæ.

HAuete peccato, ò violata alcuna vergine? Mortale. & è tenuto à dotarla, ò pigliarla per moglie, piacendo alli parenti della vergine, & non si può assoluere inanzi, che contratta con altra donna, ma quando l'huomo fosse Signore, & la vergine plebeia, è tenuto solum à dotarla. Panormitanus in c. 1. de adulterijs, vbi dicit dotabit eã iuxta facultatem puellę. Alex. de Ales. in 3. tractatu de stupro. & Scotus. in 4. dist. 15. Ange. vide stuprum. §. primo.

ADVLTERIVM TERTIA Species Luxuriæ.

HAuete peccato con donna maritata? se lui hauesse mogliere, è doppio peccato. 32. q. 4. c. origo.

Hauete hauti figliuoli da

da donna maritata? L'huomo è tenuto dare delle sue facultà alli suoi spurij. & la donna è tenuta dar loro delli beni parafrenali. Panormitanus. in c. cum habere de eo, qui duxit in matrimonium, qua polluit per adulterium Ang. vide. filius. §. 4. & nota, che la donna, laquale ha hauti figliuoli per adulterio non è obligata di reuelarlo vedendo che ne potesse succedere, ò sua infamia, ò pericolo di morte, deue ben persuadere, & consigliare detti suoi spurij, che si faccino religiosi, o preti, quando solamente questo fosse secreto. & quando, detti spurij non volessero intrare nella religione, ne farsi prete, per niun modo lo deue riuelare à loro, ne ad altre persone, per li molti pericoli che potriano succedere. Scotus. in 4. dist. 15. quæst. 2. ad responsionem sui Argumenti. Ange. vide adulterium. §. 4. & nota, quando la donna vedoua commette lo stupro, & fosse notorio, perdit dotem suam, de rigore iuris, & rimane alli hæredi del marito, per l'offesa fatta al morto marito Bar. in l. pen. c. de adulterio, & in l. fin. ff. de litigiosis & leg. filio. ff. de iniurijs, & libellis famosis, & Paul. de Castr. in consi. 119. & 302. Ange. vide. dos. §. 8. & è detto notorio, quando stà con l'huomo in casa, ò in letto, ò in mensa publicamente, ò si trouassero baciarsi insieme, ò vero altri simili segni, & atti dishonesti. l. Furem. ff. de furtis. & l. capite quinto. ff. de adulterijs. & in cap. fin. &c. tua nos de cohabitatione clericorum, & mulierum, & si deue frustare, & doppò metterla nel monasterio. Codice de adulterijs che l. 1. Angeli. vide dos. §. 3. 28.

DE RAPTORE QVRATA Species Luxuriæ.

HAuete rubbata alcuna donna? Mortale, & tenetur de damnis de iniuria ad partē læsam, & potest excommunicari. 32. q. 1. c. Si quis: virginem. & Panormitanus in cap. primo de raptoribus Ang. vide raptor. §. 3.

DE INCESTV QVINTA Species Luxuriæ.

HAuete peccato con vostra madre? sorelle, ò figliuole? Mortalissimum. 36. q. prima. §. cum ergo, & Alex. de Ales. in 2. tractatu huius præcepti, & Ange. vide incestus.

Hauete peccato con alcuna consanguinea di vostra mogliere? Mortale, & non può domandare il debito alla sua; per fino alla quarta generatione di detta sua moglie, eccetto, se fosse dispensato dal Vescouo Panormitanus in capit. trasmisse de eo, qui cognouit consanguineam vxoris suæ. Ange. vide vt supra. §. 4.

Hauete peccato con due sorelle carnali, ò con la madre, & con la figliuola? Mortale, & è grauissimo, & deue esser priuato di pigliar moglie, & imponerli graue penitenza. 33. q. vlt. c. si quis. Ange. vide Confessio. 6. §. 5.

SACRILEGIVM SEXTA Species Luxuriæ.

HAuete peccato con alcuna monacha? Mortalissimum. 32. q. c. nemo & è ancora incesto, quia sponsa Dei, qui est pater noster. 27. quæst.

2.c.virginibus, & ancora.c.adulterio, quia sponsam alterius corrupit. 22.q. c. qui abstulerit de iure ciuili laicus decapitantur, & omnia bona sua monasterio violato largiuntur.si quis in hoc codice de Episcopis, & clericis, & a communione priuatur. 27. q.1. si qua. & se è Sacerdote, in monasterium detrudatur, vt in c.clerici. & excessione prælatorum.Ang.vide confessio.6.§.1. & sacrilegium.§.3. & incestus.§.2.

Hauete peccato con Sacerdoti, ò religiosi, ò con altre persone sacrate? Grauissimo peccato. 27.q.1. cap.impudicas.

Hauete peccato con vostra comare,ò compare, ò figliani, ò figliozzi? Mortalissimo. 30. q.1.c. siquis Sacerdos.& c.non debet.A questi tali si deuono imporre graui penitenze di messe,digiuni & peregrinationi.Ang.vide confessio.65.

DE SODOMIA
septima species luxuriæ.

HAVETE peccato con maschio, o con femina contra natura, o femina con femina? Mortalissimum 31. quæ.7.capit. vsus. & è piu graue, che peccare con la madre 32. q. 7.c. adulterij, & se è laico si deue cacciare dalla conuersatione de' Christiani. & priuarlo dalla sacra communione totalmente, & secondo la legge si deue abbrucciare,ut in Autentica vt non luxuriẽtur contra naturam, & se e prete si deue deponere, & in monastero detrudi. Ange.vide sodomia.per totum,questi tali si chiamano filij diffidẽtium, cioè della loro salute si deue disfidare per che mai vedranno la faccia di Dio. quod propter impios actus sodomitarum,fames,& terremotus,& pestilentiæ fiunt.& ciuitates cum omnibus pariter pereunt.

DE MOLLITIA
octaua species luxuriæ.

HAVETE corrotto,ò polluto con le uostre mani, ò fatto corrompere altri? Semper mortaliter peccauit. Alex.de Ales in 2. tractatu de luxuria, pollutio nocturna non videtur mortale, secundum Bernardum in libro de libero arbitrio, *vbi dicit*, dormientibus nihil,*quod faciunt bonum*, uel malum imputatur. Angel. *vide* mollitia.

DE BESTIALITATE
nona species luxuriæ.

HAuete peccato con alcuno animale? mortale.33.q.c.2. hoc ipsum, non siue domandare con quale animale, ma solamente quante volte;& se fù di festa,& si li deuono dare graui penitenze Ang.vide confessio.c.§.5.& interrogatio.§.9.

Hauete tenuto cani,o altri animali in casa;o in letto, per atto libidinoso? mortale,& non si puo assoluere, se prima non amazza tali animali vt in d.c.hoc ipsum.

Hauete baciata, ò toccata alcuna persona dishonestamente? Mortale. Math.ca.5.Omnis,qui viderit mulierem ad concupiscendam eam,iam mechatus est in corde suo. Ange. vide luxuria.§.3. Ha-

Hauete guardate donne deliberatamente per sensualità? Mortale, & Math. vt supra. & Prophcta. Auerte oculos tuos, ne uideant uanitates. Psalmus. 118.

Hauete indutti, ò insegnato ad altri, tanto di questo, quanto de altro peccato di lussuria, o uero mandati presenti? Mortale, ut in c. noli. de paenitentia. dis. prima, & è tenuto di ritornare à fare penitenza, & atti virtuosi quanto può & qui causam damni dat, damnum se dedisse videtur. Ange. ut supra.

Hauete mandato lettere d'amore?

Hauete fatte mattinate?.

Hauere cantate canzoni làsciue?

Hauete accompagnati altri a lussuriare?

Hauete fatto ambasciata di questo peccato? tutti li sopraditti modi sono peccati mort. vt in di. c. noli. Ange. vide interrogatio. §. 9.

Hauete mangiate cose calide, & uino potente per potere piu lussuriare? Mortale. Paulus ad Ephe. cap. 5. Nolite inebriari uino, in quo est luxuria.

Hauete desiderato di viuere lungo tempo per potere piu lussuriare? Mortale. Petrus de palude. in 4. dist. 21.

Hauete hauuto in dispiacere i commandamenti di Dio, che vietano gli atti lussoriosi? Mortale Alex. de Ales. in 2. tractatu de amaritia. q. 11. Ange. vide. diligere. §. 3.

DE COGITATIONIBVS.

HAuete pensato con la mente di peccare con uostro padre, o madre, o sorelle? dicitur incestus.

Hauete desiderato di peccare con religiosa, o religioso, ò preti, o, altre persone sacre? Dicitur sacrilegium.

Hauete pensato di peccare con Compari? sacrilegium.

Hauete pensato di peccare con maschi? Sodomia.

Hauete pensato di peccare con bestie? Bestialitas.

Hauete pensato di peccare con maritate. O vedoue?

Hauete passato il tempo con la mente pensando alle cose lussuriose pigliandone piacere, & dilettatione? se la cogitatione è stata lunga & dilettenole, & contra l'atto prohibito, sempre è mortale. quia cogitatio deliberata in malum semper est mortale. 46. d. c. hic & enim. §. ponderosus etiam si opus non sequatur. & sanctus Bonauentura. 2. dist. 24. & nota, di che qualità è stata la cogitatione delli sopradetti modi. Pau. ad Colossenses. cap. 5. Abstinete vos à carnalibus desiderijs, quæ militant aduersus animam. Ang. vide cogitatio. 5. 1. & 2.

DE DEBITO CONIVGALI.

HAuete usato con vostra moglie re innanzi alla benedittione? Doue non è consuetudine è mortale, eccetto se lo escusasse alcuna causa di necessità. Ricardus in 4. dist. 31. Angeli. vide debitum. §. primo.

Hauete vsato cum vostra mogliere contra natura, mortalissimum, & est uera sodomia, & la moglie può domádare il diuortio, & lassare il marito. 32. q. 7. cap. omnes. & cap. adulterij.

Hauete vsato con uostra mogliere, ancor che sia stato nel debito uaso, ma stando della parte di dietro? mortale

& grauissimo. Però quãdo lo fa per vera libidine ut in d. c. adulterij. & nota, quando li fosse causa, ò pericolo dello aborto, o per infirmità, saria lecito, dummodo in vase debito semen emittatur, & taliter quod mulier retinere id possit: ma quando la donna stesse in alcun modo, che non potesse retenere il seme, sempre saria mortale. & questa è la commune opinione di tutti i sacri Theologi. in 4. dist. 31. & il confessore deue dire sempre, che non è lecito. Ange. vide debitum. §. 25. Paulus dicit ad Corinthios primo. cap. 7. Habeat vnusquisque suam propter delectationem in ea, & non in alia quærenda propter fornicationẽ uitandam,

Vi sete polluto basciando, o toccando vostra moglie? mortale. 31. cap. origo distinct. Ange. vt supra. §. 21.

Hauete pensato con altre persone, vsando con vostra mogliere? mortale. Petrus de palude. in 4. dist. 141. Angel. vide vt supra. §. 21.

Hauete vsato con vostra mogliere nel tempo, che haueua il menstruo? mortale, se conosceua, che poteua generare, ma se fosse vecchio, o sterile nõ saria peccato, per che generando la creatura saria leprosa. Theologi. in dist. 32. Ange. vide vt supra §. 32.

Hauete vsato con vostra mogliere vicino al parto? mortale. se era pericolo dello aborto. Ricardus, vt supra.

Vi sete corroto fuori del vaso per non fare figliuoli? mortale. quia dare, vel recipere venena, ut fiat sterilitas, omnino est mortale. 32. q. 2. c. aliquãdo. Ange. vide debitum. §. 27.

Hauete negato il debito à vostra mogliere, & è conuerso? quante volte non rende il debitore tante volte pecca mortalmente, eccetto se crede, che per quello si potria infermare, ò vero fosse leproso, & fosse pericolo d'infettarsi di quel male. non è tenuto di rendere, ne anco è tenuto di habitar insieme in casa, essendo alcun leproso. Ricardus. in 4. dist. 32. Arti. 4. Ange. vide debitum. §. 4. leprosus. §. 2.

Hauete fatto voto di non domandare il debito? colui, che fece il voto, non lo può domandare, ma rendere. Ange. vide matrimonium. 4. §. 7.

ARS DETESTANDI Luxuriam,

COnsidera extremam vilitatẽ, & corruptionem earum mulierum, quæ amantur carnaliter. Gregorius: Si caro pulcra cõcupiscitur, pensetur, quid sit ex animis & intelligetur, quid amatur. Isidorus: Nihil sic ad edomandum desiderium carnalium appetituum valet, quàm vt vnusquisq; id, q̃ viuũ diligit, quale sit mortuum pẽset. Chrisostomus: Quod si diligenter consideres, quæ sint, quæ intra illam cutem tegantur, quæ intra nares, quæ intra fauces, & ventrem, & si quæ tibi formosa videntur, pateant, nihil aliud nisi sepulcrum dealbatum, pronunciabis esse istam pulcritudinem corporis, quæ foris quidem hominibus apparet decora, intus plena sordib. & immunditijs. Tu deinde si in vestimento videas phlegmata, uel sputamenta, horrescis, & extremis saltem digitis ea contingere refugis, sed & aspectu retorques, & quomodo cellaria ipsa, & horrea phlegmatis diligis, & concupiscis?

Considera, quòd quanto magis voluptatibus

luptatibus indulseris,&animum tuum ijs volueris explere, tanto minus expleberis, & satiaberis. voluptas enim hæc famem, non satietatem generat.& amor mulieris ad uirum insatiabilis est, semperque extinctus reaccendi tur, & post copiam rursus inops est, animumque virilem effeminat, & excepta passione, quam sustinet, aliud cogitare non sinit.

Considera;quòd breuis est voluptas fornicationis, & perpetua pœna fornicatoris.Gregorius:Momentaneum est; quod delectat. & æternum quod cruciat. O quam iniqua permutatio,pro turpissima, breuissimaque vnius horulæ voluptate, in hac vita multo dulcius, præstantiusque animi gaudium perdere, & in futura gaudijs fraudari perennibus;&insuper nunquam finiẽdos dolores tam breui delectatiũcula mercari. Considera quam immunda, quam spurca, quam quouis homine *indigna sit ea voluptas, quæ templum Dei viuum*, idest corpus humanum, *quod Christus* pretiosissimo suo sanguine sibi consecrauit, indignis modis profanat, & polluit.

Considera,quam eadem sit momentanea, quàm insincera, quàm semper plus aloes,quammellis habens,quanta mala secum inducat in primis famam,thesaurum prætiosissimum eripit, nullũ enim vitium apud homines peius audit,quam libido.uires corporis eneruat,hominis pulcritudinem interimit, ualetudinem uehementer offendit, morbos innumerabiles parit, eosque fœdos, iuuentæ florem ante diem deuenustat,immaturam senectutem accellerat, & hominis uitam abbreuiat. & *id circo* qui castitatem obseruant, diutius conseruantur in uita. Eunuchi enim diutius uiuunt.passeres aũt pp nimiã libidinẽ parũ viuũt.Præterea ingenij acumen,&perspicacitatẽ obtundit,& obnubilat. Cum enim homini deus nihil mente prestantius dederit, huic diuino muneri nihil est tam inimicum, quàm uoluptas, nec enim, libidine dominante,temperantiæ locus est, nec in voluptatis regno uirtus potest consistere.sensus peruertitur, nec amplius quicquam percipit,& de ijs, quę Dei sunt:quia cęcitas mentis tollit omnium fere spiritualium rerum cognitionem.

Considera, quòd nullũ est tam optimum patrimonium, nullæ tam exuberantes diuitię,nullum tam magnum vectigal,nullus tam opulentus thesaurus, quem luxuria non exhauriat, delapidet, profundat, & prodigat.uicina enim sunt venter,& genitalia,& vnum alteri subministrat, & ex vicinitate membrorum, sequitur confederatio vitiorum,& pro membrorum ordine,ordo vitiorum eligitur.ideo qui eo amore impudico intricatus est, comessationibus,pomposis vestimentis, & munusculis ad amicas missitandis omnem suam substantiam prodigat, & profundat,necesse est.nunquam meretriculę sudariolis;anulis; fasciolis,odoramentis,aut alijs similibus munusculis satiãtur. ipsa munuscula plusquam amatores ipsos eorum datores adamant. Cuius rei prodigus ille euangelicus exẽplo nobis esse poterit. Considera quãtam scelerum turbam libidinis admissa uoluptas soleat adducere,quæ ipsam, tanquam vmbra corpus, comitari solent.est alijs uitijs fortasse aliqua cum quibusdam uirtutis societas, libidine

aût nulla prorsus, sed cũ maximis, pluribusq; peccatis semper copulata est.

Quisquis es, qui hactenus uirginitatem Deo tuo seruasti illibatá, scias uirginitatem coniugio, præeminere, & uirgines iam ex hac uitam incipere angelicam, & per virginitatem peculiariter sanctis Angelis assimilari. In carne enim præter carnem viuere, est plus angelicum, quàm humanum, differunt quidem inter se pudicus homo, & Angelus, sed felicitate, non virtute, & si huius castitas felicior, illius tamẽ fortior esse cognoscitur. sola est virginitas, quæ in hoc mortalitatis & loco, & tempore statum quendã immortalis gloriæ repræsentat, sola inter nuptiarum solennia morem beatæ illius uendicat regionis, in qua neque nubẽt neque nubentur, præbens quodammodo in terris, cœlestis iam illius conuersationis ex patientia, per quam in cœlo datur aureola, & certum præmiũ solis virginibus peculiare, de quibus scribitur Apocalypsis. 14. Hi sunt, qui cum mulieribus non sunt coinquinati, virgines enim sunt: hi sequuntur agnum, quocunque ierit. Imitantur virgines Christum, quia sicut hic fuit virgo, ita & illi virginitatem custodiunt: & quia in præsenti seculo præceteris sequuntur eum, ideo in futuro eidem familiarius adhærebunt, & cum Christo in perpetuum præ cunctis fidelibus etiam de incorruptione carnis gaudebunt, ad quorum præmia cæteri electi assurgere non poterunt, tametsi per charitatem in illorum celsitudine læti erunt, ijs applaudent, & cõgratulabuntur.

Considera, quàm honesta sit, quam florida, quam amœna, & quàm Deo accepta corporis, & animi puritas, quę hominem sanctis Angelis facit valde familiarem, & spiritus sancti capacem. etenim nullum prorsus vitium adeo refugit Dei ille spiritus puritatis amator, quàm luxuriæ immunditiam, nusquam libentius requiescit, quam in mentibus uirgineis, unde Filius Dei virginitatem adeo dilexit, & honorauit, vt non de coniugata corrupta, sed de immaculata Virgine Maria nasci voluerit. Quisquis es peccatorum carnis conscius, saltem post naufragiũ mare metuas, & perditionis tuæ discrimina cognita per horrescas, & qui accepta naturæ bona seruare noluisti integra saltem, scissa resarcias: & ad dominum post peccatam carnis redies tanto ardentiorem te in bonis operibus exhibe, quanto ex tuis peccatis damnabiliorem te vides. Gregorius: Deo gratior amore ardens ura post culpam, quàm securitate torpens innocentia. itaque qui piæ post perpetrata mala seruatus es, ne committas, ut improbe repetendo moriaris, fiatque error nouissimus peior priore. Si sacerdos es, considera, quàm indignum sit, te ad perpetuam castitatem sanctificatum, eo ipso ore putridam meretriculæ carnem deosculari, quo sacratissimum illud Christi corpus, & consecras, & sumis, ijsdem manibus abominandas cõtrectare sordes, quibus astãtibus Angelis, uirgineas illas Christi carnes contrectas. Quam obsurdum in receptione tanti sacramenti, idem corpus, eundemq; spiritum cum Deo uelle fieri, & per fornicationem unum fieri corpus cũ meretrice. Tu profectò, si fidem rectam haberes, aut peccare fineres, aut celebrare cessares.

RA-

RATIO VITANDI luxuriam.

QVoniam inter omnia christianorum certamina, sola dura sunt prælia castitatis, ubi quotidiana est pugna, & rara victoria, scitque hostis antiquus maius continentiæ, quam nummorum esse certamen. facile enim abijcitur quod hæret extrinsecus, intestinum autem bellum periculosius est, difficiliusque euitari potest. Hostis familiaris, ideſt, carnalis concupiscentia, quæ habitat non procul, sed prope, non extra, sed intra. nam virtus eius in lumbis eius, & fortitudo illius in umbilico uentris eius. Idcirco ad domandam, & restringendam hanc carnem, & concupiscentiã, maxima tibi opus est diligentia. & licet inimicus in te possit excitare tentationis motum, tamen in te est dare, aut negare, in hac pugna non deijceris inuitus. Sub te est (ò homo) appetitus tuus, & tu dominaberis illius, in tua potestate est (si volueris) inimicum tuum facere seruum tuum, vt omnia cooperentur in bonum tibi, tu solummodo ne consenseris, quoties restiteris, toties coronaberis.

In primis tentationum viriliter resiste principijs, neque enim culpa prodire ad opus permittitur, si intus, ubi nascitur, extinguatur. quod si in principio viriliter non resistatur, statim tentatio conualescit, & roboratur, & sæpe in tantum, vt nunquam extingui possit, aut certe cum magna difficultate: quia (vt ait Gregorius) ex quo luxuria semel mentem alicuius occupauerit, uix eum bona cogitare permittit. Itaque principijs tentationum viriliter resistendum est, turpes, venereasq; cogitationes expellendo, quia sicut ligna ignem nutriunt, sic cogitationes desideria pascunt, quæ si fuerint bonæ, exardescit ignis charitatis; si vero malæ, ignis cupiditatis. Itaque tentatus tentationis tempore debebet Deum inuocare, & sanctorum suffragia, & dicere deuote: Pater de cœlis Deus, miserere nobis, &c. aut alias similes preces. Omnes sensus corporis, & præcipue, uisum, & auditum diligenter custodi à vanitatibus, & mulierum aspectu, aut auditu. nam plerunque res quælibet innocenti mente respicitur, sed ipso conspectu animus concupiscentiæ gladio confoditur. Quoniam ergo vnus mulierum aspectus, aut inclinat, aut saltem mollescere facit corda intuentium; ideo iuxta ecclesiast. præceptum: Noli circumspicere in locis ciuitatis, ne obscrueris in plateis illius, auerte faciem tuam à muliere cõpta, ne circunspicias speciem alienam.

Cum muliere caue solus maneas. Chrisostomus: Tunc maxime diabolus aliquos aggreditur, & grauius tentat, cum solos viderit, atque ab alijs segregatos, quia vbi non timetur reprehensor, facilius accedit tentator. Hieronimus: Solum tum sola in secreto, & absque arbitris (ideſt testibus) ne sedeas vnquam, quia omnia mala solitudo persuadet. nec in præterita castitate confidas, quasi diu caste vixeris; inde enim senes exarserunt in concupiscentia Susannæ, quia videbant sæpe solam deambulantem in pomario Viri sui. Fuge mulierum consortia, quia aspectus earum, corda virorum intuentium inficit, & auditus earum alicui-

lo-

loquela inflammat, & tactus inquinat. A planta denique pedis vsque ad verticem non est locus in mulieribus, in quo non sit positus laqueus ad capiendum oculos virorum. Gregorius: Qui corpus suum continētiæ dedicat, habitare cum fœminis non præsumat, nunquam diu calor viuit in corpore. nemo præsumat ignem concupiscentiæ in se penitus extinctum esse. Bernardus: Cum fœmina semper esse, & fœminam non cognoscere, hoc ego maius reputo, quàm mortuos suscitare. Qui ergo quod minus est non potes, quod maius est, quomodo credam tibi? ita, in tentatione carnis oportet fugere locum, & homines, quibus ipsa suggeretur tentatio. Similiter fuge dona, literas & salutationes mulierum, quia viscus sunt ad retinendum carnalem amorem, & reflactus ad excitandum libidinis ardorem, iam in parte extinctum. quod si pudicam, & sanctā diligis fœminam, quam bene videris conuersantem, mente eam diligas, nec eam corporali frequentes affectu, & memor sis, quod Paradisi colonum mulier de possessione sua eiecit. Occupa cor tuum in scripturis diuinis, sanctis meditationibus, & bonis operibus corporis, quia otiosæ mēti (inquit Bernardus) maligni spiritus malas cogitationes imittūt, & si quiescit opere, nō quiescit malarū cogitationum delectatione. Isidorus: Semper aliquid operis fac, ut semper te diabolus inueniat occupatum, quia nisi nos inuenerit in aliquibus bonis operibus occupatos, ipse nos in malis occupabit operibus, cupiditatis scilicet, vel mali amoris: nūquam verbum in honestum audias, aut si audiueris, irascaris. Facile enim quod libenter auditur, leui sermone tentat claustra pudicitiæ. Verbum inhonestū ex ore tuo nō effluat, quia corrumpunt bonos mores colloquia praua, & vanus sermo cito polluit mentem, & quod libenter dicitur libētius agitur. Mores hominis lingua pandit, & qualis sermo ostendit, talis animus approbatur, quoniam ex abundantia cordis os loquitur. Tibi à cibo, & potu tempera. Pudicitia enim tuta esse non potest, nisi per abstinentiam, quia dum satietate venter extenditur, aculei libidinis excitatur, & venter mero æstuans facile despumat in libidinem, difficileque est carni frēnum imponere. Fuge omnem occasionem. Augustinus: Contra libidinis *impetum* apprehende fugam, si vis obtinere *victoriam*, nec sit tibi verecundum fugere, si castitatis palmam desideras obtinere. Cum voluptas carnalis tibi obrepet tentatio, imaginare in corde tuo, ac si eam habueris voluptatem, & ea satiatus es, & hora præterierit, quia voluptas est quasi somnus noctis transactæ, immo etiam contemptibilior. quia dolentem facit conscientiam perpetrata voluptas, euitata uero lætam, & securam. In omni tentatione, maxime uero cum ad libidinem solicitaris, proponito tibi ante oculos tuos Angelum tui custodem, & accusatores demones, omnium quæ facis, vel cogitas assiduos spectatores, ac testes. Ipsum etiam iudicem Deum criminis tui inspectorem, cuius oculis omnia patent, & rem adeo fœdam, ut homuncione præsente, eam facere pudeat, nō vereberis facere coram Angelo tui custode, accusatore tuo demone, & Deo eius futuro iudice aliorum exemplis

temet

temet reprime, quos cognoueris turpiter, & infeliciter voluptatem hanc esse secutos, quoniam impulsu demonum mens ad delectationem fornicationis impellitur diuini iudicij metus, & æterni tormenta incendij ante oculos proponantur, quia nimirum omnis pœna grauioris supplicij formidine superatus. Sicut enim clauus clauum expellit, ita sæpe recordatio ardoris gehennæ, ardorem excludit luxuriæ.

DE CASTITATE.

CAstitas est continentia à venereis, ea triplex est: virginalis, vidualis, coniugalis. Bernardus. Bona est castitas coniugalis, melior est continentia vidualis, sed optima est pudicitia virginalis. quanto Angelus homine est superior, tanto virginitas nuptijs est honorabilior: abstinentia à nuptijs Angelorum est, inuitatio.

DE INVIDIA.

INuidia, est tristitia de alieno bono, cuius duę sũt species: inuidus aduersis gaudet, & mœstus est secundis.

Deue adunque il Confessore essaminar molto bene il penitente sopra il detto peccato dicendo:

HAuete hauuto dispiacere. del bene altrui, cioè di honore, dignità, ricchezze, o psperità, bellezze, scienza, ò di figliuoli, ò di altre cose simili? Quando fosse pertinace, & con male odio, sempre saria peccato mortale in tutti li sopradetti modi. Alex. de Ales. in 2. tractatu. de inuidia. q. 155. Ang. inuidia.

DE ODIO.

HAuete hauuto odio col Signore Iddio per la infirmità, pouerta, ò per altre tribolationi? Quando fosse con deliberatione di volontà, Mort.ma quando fosse in primo moto veniale. Ricardus. in 2. sententiarum. dist. 1. Ang. vide odium.

Hauete odio con alcuna persona? non si può assoluere, se prima non perdona, & fa la pace; Quia, qui odit fratrem suum, homicida est. prima Ioannis. 2. c. & Luc. 6. c. Dimittite, & dimittemini. eadem quippe mensura, qua mensi fueritis, remetietur vobis.

Hauete risguardato li vostri inimici con la faccia turbata, con gli occhi trauersi, ò non li hauete voluto salutare? Quando fosse cõ animo deliberato di uendetta. mortale. Alex. de Ales. in 2. tractatu. de contumelia. Ange. vide diligere. §. 1. & 2.

DETRACTIO.

HAuete detto, che vn tale è vn ridо, & nientedimeno non è vero? mortale, & è tenuto alla restitutione della fama. Scotus in 4. & omnes doctores in 4. dist. 15. Ange. vide detractio. §. 3.

Hauete per odio falsamente detto: La tal persona ha rubbato, ò hà amazzato, ò lussuriato, ò altri mali, per le qual parole gli hauete denigrata la fama oltra il peccato mortale. non si può assoluere, se prima non restituisce la fama Scotus, vt supra. Alex. de Ales. in 2. tractatu.

Hauete per odio manifestato li peccati de altri, li quali non erano manifesti? mortale. etiam si erano manifesti; se fù per denigrali la fama. Ange. vide vt supra. §. primo.

Hauete

Hauete detto hò fatto bene, ma ne sono seguiti tanti,&tali peccati,& mali per denigrare quel bene? mortale. 11.q.3.c.vt qui dicitis.Ang.uid. tract. §.4.

Hauete occultato la verità p odio, quando sete stato domandato di alcuna bona opera di alcuna persona?Mortale,& quando restasse quella tal persona con infamia, saria tenuto di andare,& dire la verità. Angeli. vide vt supra.§.3.

Hauete ascoltato con molto piacere, quando haucte sentito mormorar di alcuna persona? Mortale.Thomas, secunda secundæ, quæst.33.& in cap. non soluni.11.q.3.vt supra.§.5.

Hauete scritto lettere infamatorie, o cantate canzoni con parole d'infamia altrui,& scritti libelli infamatorij? Oltra il peccato mortale; Circa il libello infamatorio deue esser decapitato,secùndum leges. quinta quæst. 1.c. Hi,qui inuenti. & l. unica. Codice de famosis libellis, & è tenuto di fare vn'altro libello in contrario à quello, & così ancora s'intende di quelli, che si trouano à manifestarli ad altri. questi tali si deuono frustare,vt in c.15.q. prima.Ang.vide Libelli famosi.§.1.

Hauete riportato le parole per seminare discordia tra un'amico, & l'altro? Mortale,& è tenuto quanto può di ritornarli nella prima amicitia,altrimente non si può assoluere. Thomas, secunda secundę.quæst. 74.& questi sono quelli,de' quali parla Salomone. 6.c.Sex sunt quæ odit Deus &c. & septimum quod detestatur anima eius, qui seminat inter fratres discordias. Ang.vide furratio.

Hauete mormorato del Papa,o Cardinali, ò Vescoui, ò Preti, ò Religiosi? Mortalissimo peccato p. rche sono ministri di Dio. Ascolta Christo bene detto!Ioannis.12.c.Et ubi ego sum,illic & minister meus erit.

DE RESTITVTIONE famæ.

LA restitutione della fama si deue fare in quel luoco,doue ha diffamato il prossimo cio è, se fù in publico, la deue fare in publico,se tù in giudicio, la deue fare in giudicio,se fù insecreto,la deue fare in secreto,& deue dir in questo modo, cio è. Io dico mia colpa di quelle parole d'infamia contra la tal persona,& ne so mal contento,e *dico non essere* la verità, ma l'ho detto solo *per odio*, & mia mala volontà,la quale haueuo contra il mio prossimo,&c.& oltra di questo l'infamatore è tenuto allo infamato di sodisfare à tutti gli interessi, i quali ha hauuto per quelle infamiæ, Scotus.in 4.dist.15.& Thomas secunda secundæ. q. 73.& in c. deteriores. 6.q. prima. & deue domandare perdono allo infamato, sapendolo, ma quando non lo sa non è tenuto. Ange, vide detractio. §.3. & susuratio.

RATIO DETESTANDI Inuidiam.

COnsidera,quòd omnes sumus fratres naturales, quibus vnus fuit pater Adam.vna mater Eua.Fratres etiam spirituales,quibus vnus est Deus,vna mater sancta ecclesia, unus communis omnium frater,Iesus Christus Dei filius.Prętera ad idem creati

ti sumus, nempe, vt aliquando paternam hæreditatem, idest cælestẽ regnũ. Vnà possideamus, vnà ibidem æternum coabitemus. Collætemur, congratulemur, & quæ erunt singulorum bona, per charitatem omnium fiant. quod si fratres sumus in domino, cohæredes in Christo, eiusdem corporis, idest ecclesiæ membra, eodem redempti sanguine, fidei communes socij, ad eandem gratiam, & felicitatem futuræ uitæ vocati. Congruum certe est fratrem fratri bene uelle, bene precari, bene facere, in aduersis eius dolent, & in secundis gaudent.

Considera, quòd in cęlis quanto maior est felicitas, & gloria in proximo, tanto magis ibi positus inuidus de ea apud se cruciaretur, & affligeretur. Sed quia illa maxima erit, ideo de ea in inuido maximus esset dolor. eam ob rem in cælis à Deo non constituetur, sed in inferno, vbi nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat, luctusque, & stridor dentium, & omnigena in proximo calamitas, quam eidem ibi permanenti inuidere nõ poterit, quia in eadem damnatione erit.

Considera, quòd invidi sunt similes dæmonibus, qui ex hominum benefactis dolore affici solent, & superna, cælestiaque hominibus inuidere, nõ vt sibi ipsis ea cedant, quæ irreparabiliter amiserunt, sed ne pauperes homines de puluere suscitati, illuc ascendant. vnde ipsi in gloria creati irreparabiliter ceciderunt. Haud secus inuidi uirtutem alijs inuidere solent, non quòd ad eam acquirendam incumbere velint, sed quia vellent omnes esse æquæ miseros, ac ipsi sunt, & nullo beatiores.

Considera, quòd si aliter non haberet ea bona, quæ ipsi inuides, nihilominus ea tu non haberes. quæ si habet citra tuum dannum, nihil est cur tot quearis de eius felicitate.

Considera, quòd omnium bonorum operum proximi tui tu es particeps, si modo sis in gratia, & quanto magis meretur. tanto magis ipse animæ tuæ prodest. ea re non est, cur eius virtuti inuideas, sed potius est, cur ei congratuleris, imo potius tibi ipsi quæ eorum bonorum operum particeps es.

Considera, quantæ sit infelicitatis, & miseriæ, ut dum proximus melior redditur, tu deterior fias, dumque augmenta alienæ prosperitatis inspicis, apud temet ipsum anxius afflicti tui cordis peste moriaris, & dum conspecta felicitas affligit, pœna tua te nequiorem reddit. quod si aliorum bona diligeres, quę habere nõ potes; ea tua amantis si in alijs amares & alieni laboris opera sine tuo labore tua faceres. Considera, quòd inuidia cor vrit, & corpus exiccat, mentem iugiter solicitat. nec homini bene esse permittit, aut iucunde viuere. est enim sicut vermis natus de ligno, qui lignũ, de quo egreditur, primum incipit rodere, sic inuidia, quæ nascitur ex hominis corde primum, quod affligit, & lędit, est cor, de quo nascitur. Postquam autem inuidiæ putredo cor hominis inuidi corrupent, ipsa etiã liuida facies ostendit, quam grauiter inuidiæ vesania animum eius instigauerit. Considera quàm sit cõtraria charitati, quæ Deus est, & bono communi, quod Dei largitas omnibus communiter largitur, aliorum bonis inuidere, & eos odisse, quos Deus creauit, sanguine suo re-

demit,& diligit, & de quibus spes est, vt ad vitam æternam perueniant, qui forsitan saluabuntur, & tu damnaberis, cum Deo æternum gaudebunt in cœlis,& tu forsitan cum dæmonibus æternum cruciaberis inferis.

DE GVLA.

GVla est vorax edacitas, naturæ finibus non contenta.

Deue il Confessore domandare in questo modo al penitente:

Hauete voi per molto mangiare,& bere lasciate le messe,& officij, & altre bone operationi? Mortale. Thomas secunda secundæ.q. 15.

Vi sete per bere molto vino imbriacato?se conosceua,che se imbriacaua, & non si uolse astenere dal bere, ò vero li fosse per consuetudine l'imbriacarsi; semper est mortale. Alexander de Ales. in 2. tractatu de gula.q.139. Ang.vide ebrietas:

Hauete dato opera di fare imbriacare altri?mortale,siue sequatur ebrietas,siue non,vt in c.cum infirmitas.de pœnitentijs &remissionibus in fi.Ang. vt supra.

Hauete mangiato,inãzi la messa nel le feste cõmandate, & le domeniche? se è per consuetudine;mortale,de consecrat.dist.1.c.solent.

Hauete mangiato assai, & che per troppo mangiare,& bere, habbiate,incitato la natura al vomito? se glie per vsanza,& perpoter piu mangiare, est mortale.perche hauete cõstituito per dio il vostro ventre, sicut ille diues, qui epulabatur quotidie splendide, mortuus est autem, & sepultus est in inferno Lucæ. Ang.uide gula.§.2.

Hauete per molto mangiare,& bere;fatti atti dishonesti: & dette parole lasciue? Mortale.Alex.de Ales.in 2. tractatu de scurrilitate.& D. Paulus ad Ephesios c.5. Non nominetur in vobis turpitudo,aut stultiloquium, aut scurrilitas, quæ ad rem non pertinet. Ang.vide scurrilitas.

Hauete mangiato cose callide, & beuuto vino possente, & senza acqua per poter piu lussuriare?mortale, Audi D. Paulum ad Ephesios.c.5. Nolite inebriari vino,in quo est luxuria?

Hauete mangiato assai studiosamẽte conoscendo, che vi faceua male: ò cose contrarie? mortale.Ang.vide gula §.2.

RATIO DETESTANDI gulam.

COnsidera, quòd per peccatũ gulæ mors intrauit in omne genus humanum,vnde ea tibi prima pugna est,quam te oportet deuincere, & quanto minus superata fuerit,tanto validiora sunt cætera vitia contra te, & tu debilior contra ea,Gulam nisi prius restrinxeris, cetera vitia restringere non poteris, à gula tibi inchoandum est,si cetera vitia uelis superare. nisi illa prius refrenetur,frustra contra alia vitia laboratur.tunc enim hostes, qui extra nos sunt,à nobis fortius superantur, quando prius quæ intra nos sunt vitia,extinguũtur. frustra foris agit bellum, qui intus habet periculum,unde & Saluatorem nostrum diabolus primum de gula tentauit,quasi à ianua aliorum vitiorum.

Consídera Christi singularem abstinentiam,

nentiam, qui in desertum veniens, ieiunauit quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, nihil interim manducans, vt per ieiunium carnem innocentem pro nobis maceraret, exemplũq; fidelibus daret, se se offerendi Deo per ieiunium, qui quidem postea esurijt. Si ille qui dat escã omni carni, & per quem uolatilia quidem cœli pascuntur pro te ieiunans esurijt, quanto magis pro te ieiunare deberes. qualis Christianus es, qui, Christo esuriẽte, tu crapularis? & pro salute tua fame sustinente, tu pro peccatis tuis, ieiunare recusas?

Considera, quam amaro potu Rex regum, & dominus dominantium, Iesus Christus, à crudelissimis iudæis potatus fuerit in Cruce: dum propter nimium laborem, & sanguinis in prætiũ animarum nostrarum effusi emanationem, intus dessiccatus, arefactus, & adustus totus, supra modum sitiret, in qua uehementissima siti, acetum cum felle mixtum in spongia arundini super imposita crudelissimi iudei Domino Deo nostro porrexerunt. O quã amarum poculum, in quali uasculo ei propinatum est, qui dat terræ pluuiam, eamque germinare facit. Si ad mentem reduceres o Christiane acetum cum felle mixtum Christo propinatum, in cibo, & potu, quantumcunque vili, saporem inuenires: propter Christum, cum is felle, & aceto in cruce pro te potatus fuerit, gulæ autem tuæ prætiosa vina, & magnifici ciborum apparatus non satisfaciunt? non est cibus adeo aridus (inquit Bernardus) qui non efficiatur sapidus, si illius aceti, quod propinatum est condimento fuerit tẽperatus.

Considera, quòd Apostolos suos, quos tenerrime diligebat, in pręsentia sua spicas euellere, & manibus fricare permittebat Christus, & pabulo, more animalium sustentari, cum miraculose potuisset ipsis cibos creare, aut iã creatos multiplicare, sed tamen exemplum abstinentiæ nobis relinquens, eos uoluit in abstinentia exercere, vt eorum exemplo pompam mundi contemnendam ostenderet, sumptuosa cibaria, & saporosa à nobis arceret, & gulæ voracitatem, cuiusque insatiabilem appetitum in nobis euacuaret. Et considera multorum sanctorum abstinentiam, qui in eremum profecti carnem suam propter Christum crucifixerunt cum passionibus, & concupiscentijs.

Considera, quòd multi pauperes panem, & aquam sibi ad delicias reputant, nec tamen ea ad satietatem habere possunt, & tunc uidebis, quam benignus erga te fuerit is, qui pro te esurijt, & aceto mixto cum felle potatus est, quid ad hæc aliquid tibi adiecerit. Considera, quam indignum sit, & nefarium, illum idem os (quo sacratissimũ Christi corpus sæpe aut saltem semel in anno sumis) instrumentum fieri gulæ, detractionis, blasfemiæ, & plurium peccatorum, & vt eodem ostio, & uitam aliquando introducas, & multo sæpius mortem, eodemque quotidie voluptuosos cibos, & fædissimas crapulas auidius deuores, quam prætiosissimum illum Angelorum panem aliquando sumas, & quod ad benedicendum domino tibi datum est, in nequitiæ, & omnis peccati instrumentum conuertas, & in obstaculum peruentionis ad Patriam, quod tibi datum est

ad acquirendam æternam gloriam.

Considerâ, quòd voluptas linguæ vix duorum habet latitudinem digitorum, & huic tam modicæ parti, tam breui delectationi, aer, terra, mare, vix sufficiunt: huic pauperes spoliantur, & rapinæ fiunt, vt fames pauperum transeat in delicias tam modicæ unius hominculi particulæ, quam miserum vt momentanea tam modicæ particulæ delectatiuncula, & animam, & corpus etiam ipsum cęlesti gloria arceat, & in æternam miseriam detrudat.

Considera, quòd dum uis saluare corpus, & nulla re egeat; tunc temporis ipsum in extremam inopiam, & egestatem detrudis, quia & ipsum, & & eius animam in æternam deducis damnationem, ubi egestas est, & inopia omnium rerum præterquam miseriarum. nonne tu homo es iudicij ualde præposteri, qui corpus, quod uermes in sepulcro mox deuoraturi sunt, cibis delicatis impinguas, animam vero tuam bonis operibus impinguare renuis, quę ad Dei tribunal mox præsentabitur iudicanda; quã si hic bonorum operum fructu nò impinguaueris, quãtumcunque pinguis sit uenter, ea mittetur ingehennam ignis, qua sic neglecta, ne corpus quidem saluare poteris, non tamen anima pro corpore, sed corpus pro anima factum est, qui quod primum est negligis, & quod posterius est extollis, utrumque corrumpis, & tuo te iugulas gladio. quia carnem, quæ tibi in adiutorium data est, vt ea vtaris ad omne opus bonum, tibi in ruinam, & laqueum conuertis, si vero ordinem seruaueris, curaueris que ꝙ primum est, etiam si negligas, quod est secundum per primi salutem saluabis, & secundum. quia si post mortem tuam anima tua beata sit, in finali iudicio corpus unũ ipsi rursus copulatum resurget gloriosum. Si autem damnata erit anima tua (quod auertat Deus) corpus tuum miserrime animæ suæ infelici uinculo rursus colligatum ipsi in tormentis pœnalibus sociabitur, vt quæ hic socia fuerunt in uitijs, ibi etiam sint socia in tormentis.

Considera, quam cito gulæ delectatio pertransit, quam breuiter durat, & quod trãsacta est, quasi nunquam fuerit, & relinquit post se vestigia remordentis conscientiæ, pœnitudinis, confusionis, & timorem æternæ damnationis sibi debitæ, & in morte de temporalibus gaudijs in dolores, pœnasq; æternas animam deducit. breue enim est, ꝙ delectat, ęternũ autem quod cruciat. voluptas modica, pęna autem infinita; sicut viciſsim resistendo tentationi, passio modica, gloria perpetua. Gregorius: Vnde caro ad tempus suauiter viuit, inde Spiritus in æternum cruciatur. & quo plus caro punitur in hac vita, tanto plus gaudebit in futura.

Considera, quòd qui in huius seculi prandio sibi quis porcorum se exaturauerint, & ad patriam tendentes stabulum pro domo dilexerint, ad cœlestẽ cęnam non peruenient vnquam, sed ij tantum, qui in huius seculi prandio, à voluptatibus abstinuerint, & æternæ cœnæ se reseruauerint. nemo enim potest & hic cum mundo, & illic cum Christo gaudere. præsentibus, & futuris bonis frui, vt hic ventrem, illic mentem impleat, vt de delicijs ad delicias trãseat. nam qui temporalia maluerit, carebit æternis, qui corporalia præposuerit, priuabitur spiritualibus, qui ter-

rena

rena prætulerit, cœlestia non habebit. Vnde Lazarus, qui receperat malum in vita sua, deportatus est ab Angelis in sinum Abrahæ. Diues autem ille epulo, purpuratus, pinguis, & nitidus, qui epulabatur quotidie splendide, mortuus, & sepultus & in infernum est detrusus. idem enim non habent præmium, fames, & ingluuies; voluptas, & continentia, quia in morte miseriæ delicijs, & deliciæ miserijs commutãtur.

Considera, quanto satius est, superfluos cibos & potus pauperibus erogando, tibi in æternam retributionem reseruare, quam in animi, & corporis perniciem ad breue tempus ijs saginari, & postea non solum eos perdere, sed cum ijs etiam corpus, & animam opipare superioribus annis es epulatus. Quid tantis ciborum lautitijs tibi superest? nimirum nihil, nisi forte conscientiæ infestissimus ille remorsus.

Considera, quòd in morte tanto viliora, fœtidioraque sunt cadauera, quãto delicatius inter epulis, & voluptatibus fuerint enutrita. nam caro, quæ nunc delicatis cibis alitur, paulo post scaturire vermibus agnoscetur, & in sepulcro eo erit delectabilior esca vermium, quo hic delectabilius saginata fuerit abundantia ferculorum, & quanto nunc sibi apparari curat suauiorem ciborum mollitiem, putrefacta tanto grauiorem exhalabit fœtorem, idque adeo, vt qui (dum ea viueret) eius aspectu, & consortio gratius nil habebant, ea mortua nil fœtidius nil vilius, nil horribilius inueniant, eiusque aspectum, & consortium perhorrescant.

Considera, quòd lauti, & delicati cibi corpori militant, non spiritui, ijs anima non saginatur, sed caro, & palatum quidem irritant, & libidinem excitãt. Ambrosius: Fames amica virginitati est, & inimica lasciuiæ.

Considera, quanta mala gulam comitantur. in primis nimia inordinata, & nimis festinata comestio lædit naturam, & minus nutrit, quanto magis venter reficitur, tanto amplius rationis intellectus, & mentis acies destruitur, & obtunditur, quia pinguis venter non gignit sensum tenuem; diminuit etiam oculorum perspicacitatem, multos languores, & morbos parit, & plerunque mortem homini accersit, plures enim occidit gula, quam gladius.

ARS VITANDI Gulam.

QVoniam dum necessitas solui sibi debitum quærit, voluptas sub ea latitans suum expleri desiderium apperit, tantoque facilius illa hominibus obrepit, quanto honestiore necessitatis nomine se contegit. idcirco magna opus est cautione, & prudentia ad domandam, & retrenandam illam ingluuiem, & sub rationis dominio continendam, quòd si uis, ut caro tua animæ tuæ, & rationi seruiat, & subiecta sit, fac vt anima tua Deo seruiat, eidemquem ratio subiecta sit. omnino necesse est animam à Deo regi, vt corpus possit regere. quando quidem sic à Deo mirabiliter conditi sumus, vt rationi dominetur Deus, ratio animæ, anima corpori. verum animæ dominio se subijcere corpus renuit, nisi illa rationis prius se se subiecerit imperio, & ratio sese confirmauerit Deo. Cum mentem tuam gulæ titillabit tentatio

tatio, imaginare in animo tuo ac si eam habueris delicati cibi, & potus de' ectatiumculam, & ea satiatus sis, & hora præterierit, quia palati, linguę, & gutturis voluptas est quasi somnium noctis transactę, imo contemptibilior, & fædior, quia dolentem relinquit conscientiam præterita ea voluptas, cuitata uero lætam, & securam. Modicus, & temperatus cibus, & carni, & animæ vtilis est. multo melius est quotidie parum, quam raro nimium sumere. Parcus cibus, & semper venter esuriens, triduanis ieiunijs præferatur. Pluuia enim illa optima est, quæ, sensim descendit in terras: subitus, & nimius imber in pręceps arua subuertit. Quando comedis, cogita, quòd uentri obtemperandum non est, sed quòd statim tibi sit studendum, legendum, aut aliud quidpiam boni operis peragendum, ad quod stare non potes onerato ventre. Itaque in cunctis cibis, & potibus considerabis, non quæ voluptas. sed quæ requirit necessitas. Fames modo & mensura vincenda est, nam Galenum constat annos centum, & viginti vixisse, quod immensa nunquam satiabatur. neque tamen hic exigimus, ut te ipsum fame conficias, sed ne supra quam vita postulat, implicabili uoracitati seruias. Asinus enim (idest corpus tuum) indiget pabulo, ne deficiat: & onere, (idest exercitatione & abstinentia) ne lasciuiat: Bernardus: Carnem oportet restringere, non extinguere, reprimere, & non opprimere, vt seruiat, & non sæuiat, ut famuletur, & non dominetur. Non plus ieiuniorum tibi imponas, quam ferre possis. sint tibi ieunia pura, casta, simplicia, moderata, & non superstitiosa. Vini saturitatem, eguè, ac cicutà fuge, ne venter æstuans vino, in quo est luxuria, vsq; ad titillationem luxuriæ pertingat & iuuenile corpus sua sponte ad uehemeliam pro procliue ad insaniam adigat. vini autem ardorem immixta aqua tempera bis. Cibis vulgaribus contetus esto.

DE IRA.

IRA est motus animi concitati ad vindictam.

Deue il Confessore interrogare il penitente sopra le sottoscritte cose dicendo:

HAuete per ira desiderato contra il Prossimo vendetta, ò di morte, ò infirmità, ò pouertà? *Se fù cõ* deliberatione di volõtà, *mortale.* Matth.c. Qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio.

Hauete p ira ingiuriati altri, cioè ri baldo, ladro; cornuto, bestia, ruffiano, & altre ingiurie: & à femine, puttane ladre, ruffiane, & altre ingiurie? quãdo ne procedesse infamia, sempre è mortale. & tenetur ad culpã. Alex. de Ales. in 2. tractatu. de contumelia. q. 145. Ang. vide contumelia.

Hauete con ira biastemati alcuni con dir diuerse biasteme, cioè malanno, mala pascha, il cancaro, mandatolo col diauolo, ò che sia ammazzato, ò altre biasteme? quando fosse stato con intentione, & desiderio, che li venissero quelli mali; saria mortale, ma se fusse per impeto, veniale, Alexand. de Ales. & Angel. vt supra.

Hauete biastemato per ira, bestie, caualli, galline, & altre bestie? quando le biastemasse con quello effetto,

che

che sono per l'huomo,& come creature di Dio, saria peccato, come se biastemasse l'huomo.scriptum est: Maledici regnum Dei non possidebunt.23. q.3.§.illicito. Alex.de Ales. vt supra: & Ang. vide maledictio.§.2.

RATIO DETESTANDI Iram.

COnsidera, quòd animantia rationis expertia in suo quę que genere ciuiliter, concorditerque degunt,armentatim veniunt, Elephanti gregatim,Sues,& Oues pascuntur: Turmatim volant Sturni, & Graculi,Pernices iuxta quandam politiam,& Grues suas agunt excubias. Mutuis officijs se se tuentur Grues, Delphini, & Cerui. Nota est formicarum, & Apum inter ipsas concors politia. Inter immanissimas etiam feras conuenit Leonum inter ipsos feritas non dimicat.Aper in aprum non vibrat dentem fulmineum. Linci cum Lince, pax est. Draco enim non sæuit in draconem. Lupi inter se viuunt concorditer.ipsi etiã impij spiritus, per quos cœlituum,atque hominum concordia primum dirupta est, & hodie rumpitur;tamen inter se fœdus habẽt,suamque illam qualemcunque tirranidem consensu tuẽtur. Soli autem homines; quos omnium maxime decebat vna animitas,& quibus ea maxime erat necessaria, intestinis inter se disident odijs. quibus irrationabiles creaturæ in suo quæque genere inuicem cõcordando indicant, quantum malum per discordiam rationales creaturæ committant, quando hæ rationis causa id perdunt, quod illæ motu naturali custodiunt.

Considera, quòd ceteris animantibus ab homine vindictæ, vel vultionis instrumentum natura indidit: Equo calcem,Ceruo Cornu,Apro dentem, Api aculeum,aut rostrum, & vngues. Denique uel ipsi pulici morsum addidit,te vero ad mansuetudinem, & patientiam produxit inermem, & nudum, ut pote ne haberes vnde vim ui repelleres.Considera igitur, quam præter tuam naturam sit in alium vlcisci, & vim vi repellere, præsertim armis aliunde quæsitis, cum uel crudelissimæ feræ & ad crudelitatem natæ, suis armis duntaxat, & sibi à natura inditis,suam vlciscantur iniuriam.Si feram videris,tibi metuis. si hominem sæpius formidas,nec in te ipso quidem pacẽ habes,denique ne à pulicibus quidem tutus es. Homo autem (inquit Augustinus.)tibi conuitium, & tumes,& iratus, pulicibus resiste, si potes, vt dormias.

Considera, quæ quanta, quoties in Deum peccauisti si illatam tibi iniuriam proximo tuo illius iniuriæ illatori condonaueris, condonabit & ipse tibi tuam in se iniuriam.nulla est ratio commodior,qua post offensam reconcilieris Deo,quam si tu offensus reconcilies fratri tuo. Condona leuem culpam proximo(leue enim est quicquid homo peccat in hominem) ut tibi tot millia culparum condonet Deus. At durum est(inquis)iratum animum cõprimere. Non tibi in mentem venit quanto duriora pro te pertulerit dominus Deus noster? quid eras, cum prote prætiosam suam animam poneret? nonne inimicus? quia benignitate quotidie te tolerat vetera peccata iterãtem, qua misericordia etiam grauissime

uissime offensus ad se recipit reuertentem? postremo qua mansuetudine ille pertulit probra, vincula, verbera, demq; morte ignominiosissimam Gregorius: Si passio Christi ad memoriam reuocetur, nihil adeo durum est, quod non æquo animo toleretur. At indignus est (inquis) inimicus meus, cui ignoscatur. ita ne tu dignus eras, cui agnosceret Deus; vis Deum in te exercere suam misericordiã, & in proximum tuum vis exercere sæueram iustitiam? magnum nę tibi scilicet si tu peccator ignoscas peccatori, cum dominus Deus noster pro crucifixoribus patrem orauerit? Postremò, si inimicus tuus indignus est, cui beneficium pro maleficio rependatur, at tu dignus es, qui id facies indignus, & ipse Christus, pro quo id fiat.

Considera, quòd tam diu nullum bonũ operis sacrificium immolas, quandiu a proximo per iracundiam discordas. scriptum est namque: Si offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quòd frater tuus habet aliquid aduersum te, relinque ibi munus tuum ante altare, & vade prius reconciliari fratri tuo, & tunc ueniẽs offeres munus tuum. Ex qua præceptione considera, quam eorum culpa intolerabilis esse mõstretur, quorũ hostia repellitur. Considera, ꝙ forsitan proximum tuum, à quo offensus es, grauius multo offendisti, nec tamen in te vltus est, sed illatam sibi iniuriam patienter tolerauit. itaque quia alter alterius onera portare debet, cum uicissim patienter tolerare debes. nulla enim (inquit Gregorius) sunt bona, quæ agimus, nisi æquanimiter proximorum mala toleremus.

Considera, cui es inimicus, nempe aut iusto homini, aut iniusto, si iusto, miserrimum certe est, te ei esse inimicum, cui Deus est amicus, te ei velle nocere, cui Deus vult bene esse. Preterea lapidi irasceris, ei enim tua molestia non moues bilem, sed eius exerces patientiam. Si iniusto: non minus miserum est, vt alienam ulciscaris improbitatem, te fieri improbiorem, & dum violenter in tua ipsius causa iudex, alienam conaris punire iustitiam, te nouam admittere iniquitatem. his amplius quis tandem mutuarum iniuriarum erit finis, si suam quisque iniuriam pergat uindicare? Crescunt utrinque inimicitiæ, in crudescit dolor. acceptum enim incommodum neutiquam tollitur uindicta, sed propagatur, & iniustus inimicus tuus plerunque iniustior redditur, & iniquior, magisque in malo induratus. lenitate autem, & patientia sanatur non nunquam, etiam is, qui fecit iniuriam, & ad se reuersus ex inimico fit certissimus amicus. Cõsidera, quòd sufficit ei malitia sua, & in hoc seculo tot, tantaque occurrũt aduersa; vt quantumcunque laboraueris, vix possis interne ipso pace frui. Eam ob rem tibi stultum est, mentem tuam per se satis inquietam, odio, & inimicitijs exasperare. quod si velles omnes oprimere, quos pateris aduersarios, iterum alij insurgerent, & peius succumberes, quam eos omnes opprimere posses. quos omnes commodissime superabis, si malum pro malo non reddideris, sed potius te ipsum per patientiam viceris. Considera, quòd dũ vim vi repellere conaris, nec sinere, vt ulla in re vinci videaris, tunc maxime vinceris, dum iræ affectibus succũbis,

bis, animoque tuo dominari non potes. Cui si posses dominari, expugnatore vrbium esses fortior, minor si quidem est victoria vrbium, quia extra sunt quæ subiugantur: multo autem maius est, quod patientia vincit, quia ipse à se animus superatur, semetipsũ sibimetipsi subijcit, & se intra se frenari compellit, & in se ipso inclusam crudelissimam feram iracundiam superat. Considera, quòd si retrænare tuos effectus, & passiones nolueris, cò mẽtem impellet furor, quò non trahet desiderium, & commotus ages velut nescies, vnde post dolcas sciens, & peccata tua postquã fuerint perpetrata, vix cognosces, quia vix vlli irascenti ira sua vere iniusta, sed iræ suæ stimulum plerunque iustitiæ zelum putat, cum autem vitium virtus creditur, sine metu culpa cumulatur. Considera, ꝙ nisi perturbationi tuæ obstiteris etiã quæ à te tranquilla mente fuerant benegesta, profundes, & improuiso impulsu destrues quicquid forsitam diu labore prouido construxeras.

Considera omnia mala, quæ ex ira euenire solent, vt sunt iniuriæ, dissensiones, verbera, plagæ, homicidia, &c. huiusmodi. Considera indignum esse te Christianum Christi imitatorem aliorum risu, uel subsannatione affici, cum etiam dominum Deum nostrum ab eiusmodi hominibus non ignores irrisum, sed exultare potius, & gaudere deberes, si & tu illa omnia, quæ & Dominus noster tui causa pertulit, tu etiam perferas, recepturus vel pro ipsa subsannatione mercedẽ. nihil enim est, quòd nobis pro Christi nomine sine præmio irrogetur. vide ergo, quã beati sunt Christiani, atque felices, quibus etiam insipientium risus proficit ad salutem. Ita dominus diligentes se diligit, ita se timentes honorat, vt nec irrideri vos gratuito sinat, quibus & pro subsannatione retribuet ultionem, dicitque ei dominus: Mihi vindictam, & ego retribuam. Quisquis es, qui aduersitates, & Dei flagella, impatientius æquo toleras; considera, quòd nisi Deus à se per tribulationes correptis hæreditatem dare disponeret, erudire eos per tribulationes non curaret, hinc nanq; Apoc. 3. ad Ioãnẽ Dominus ꝑ Angelũ dicit: Ego quos amo arguo, & castigo. Hinc rursus scriptũ est: Fili mi, noli negligere disciplinam domini, neque fatigeris, cum ab eo argueris; quem enim diligit dominus, castigat. flagellat autem omnem filium, quem recipit. Hinc Psalmista ait: Multæ tribulationes iustorum, & de omnibus his liberat eos Dominus. Considera, quàm pro percipiendis terrenis hæreditatibus, parentes duris disciplinæ flagellis carnales filios castigant. quæ ergo diuinæ conceptionis pœna grauis esse debeat, per quam nunquam ammittenda hæreditas percipitur, & semper mansura supplicia vitantur. Si enim (inquit Gregorius) attendatur felicitas, quæ sine transitu attingitur, leue fit, quod transeundo laboratur, hic etiam Paulus ait: Patres quidem carnis nostræ habuimus eruditores, & reuerebamur eos. non ne multo magis obtemperabimus patri spiritui, & viuemus: & illi quidem in tempore paucorum dierum secundum voluntatem suam erudiebant nos: hic autem ad id, quod vtile est in recipiendo sanctificationem eius. Considera, quòd omnia quæ pateris, peccata tua

meruerunt, nec tamen secundum ea fa cit tibi Deus, neque secundum iniqui tates tuas retribuit tibi, sed pro his le uibus, & transitorijs tribulationibus æterna condonat supplicia, quæ merui sti, quorum in respectu ea, quę pateris nihil sunt. At hæc nihil sunt ad futu ram gloriam, quæ reuelabitur in te. nō enim cōdignas sunt tribulationes præ sentis temporis, ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis. quando quidem tanta est pulcritudo iustitiæ, tanta iucunditas lucis ęternæ, vt etiam si non liceret in ea amplius viuere, seu manere, quam vnius diei mora; propter hoc solum innumerabiles huius vitæ dies pleni delicijs, & circumfluen tia temporalium bonorum, recte, meritoque contemni debeat, cui comparata omnis aliunde suauitas dolor est, omnis iucunditas mæror, omne dulce amarum, omne decorum fædum, omne quodcunque aliud delectare posset mæstum considera, quòd res secundæ sæpius per tumorem cor inquirant, ad uersæ vero res cor per dolorem purgat, in illis se animus erigit, in his etiā quando se erexerat, sternit. in illis sæpe antea tam bona depereunt, in his longi quoque temporis admissa tergū tur. & quæ admitti poterant compescunt. nam plerunque aduersitatis magisterio sub disciplina animus premi tur, & cui prius extra se in elationem ducebatur, cui sit conditioni subditus ex percussa (quam sustinet) carne recordetur. Considera, quòd electorum mentes in meditatione securæ in ęternum felicitatis, tanto suauius exultāt, quanto grauiores patiuntur tribulationes, & cum nihil de seculo, nisi tristitię fructus colligunt, Deum solummodo suum esse gaudium ducunt, & cum ceperint mundanæ peruersitatis in æqualitates amarescere, tunc primum possunt internæ quietis suauitatem sentire, quorum cruces multi uident, sed non vident vnctiones. Tales omnia præter peccatum diligunt, nihil præter peccatum timent, nihil eos præter Deum afficit, nihil eos prętер culpam contristat, plus gaudēt de passionibus, & pœnis carnalibus, quia vident illa esse materiam patientiæ, & meriti, hæc vero periculosa esse, & in peccatum hominem facile inducere.

Considera, quòd Deus prævidens quosdam multum peccare posse, flagel lat eos infirmitate corporis, ne peccēt vt eis utilius sit frangi *languoribus* ad salutem, quam remanere *incolumes* ad damnationem. Bonum enim est ad vitam ingredi debilem, uel claudum, quàm duas manus, uel duos pedes ha bentem, mitti in ignem æternum, & bonū est tibi cum vno in vitam intra re, quam duos oculos habentem mitti in gehēnam ignis. Augustinus: Quando Deus aduersis rebus nos exagitat, aut merita examinat, aut peccata castigat, facit, vt mercedem michi æternam pro toleratis malis temporalibus seruet.

Considera, quòd misericors Deus nostris cruciatibus non pascitur, sed delictorum morbis per medicamenta contraria medetur, vt qui voluptatibus delectati discessimus, rursum fletibus amaricati redeamus, & quòd per illicita defluendo cecidimus, etiā à licitis nosmetipsos restringendo surgamus, & cor, quod uana lætitia infunderat, salubris tristitia exurat: & quod vulnerauerat elatio superbiæ, curet

abie-

abiectio humilis vitæ.

Considera, quòd diuina bonitas ideo maxime irrascitur in hoc seculo, ne irascatur in futuro, & misericorditer temporalem adhibet sæueritatem, ne æternam iustè inferat ultionem. magna enim ira est (inquit Hieronymus) cum peccatoribus non irascitur Deus, & qui hic cum hominibus flagellari noluerit, cum demonibus in inferno flagellabitur. itaque nos hic vre, hic seca domine, vt in futuro parcas.

Considera quanta supra te gratia Creator, dispensatorque omnium bonorum, vigilet, qui te in tua desideria non relaxat, quia nisi te in perpetuum saluandum diuina prouidentia cerneret, erudiendum sub disciplinæ regimine nõ frenaret, etenim quem desperat medicus, ei cuncta, quæ concupiscit, dari iubet, ei vero, quem saluari posse credit, in multis interdicit, quę appetit: etiam parentes pueris nũmos subtrahunt, quibus tota simul patrimonia reseruant.

Considera, quot, & quanta conuitiorum probra Redemptor noster ab ijs pertulerit, quos creauerat, quot insultantium alapas acceperit, quot flagella tacitus tolerauerit, quam patienter à perfidorum sputis faciem non absconderit, quam mansuetè spinis diuinum illud caput suppositum, quã placide in sua siti fellis amaritudinem acceperit; quam mansuete sub irrisione adoratus tacuerit, quam feruenter ipse omnium vita pro te ab æternis supplicijs liberando, vsque ad mortem deuenerit. Non igitur debet tibi uideri asperum, vt tu vilis homũculus à Deo pro malis tuis tolleres flagella, cum pro suis bonis operibus Deus tanta, ab hominibus pertulerit mala, nec hinc sine flagello exierit, qui hic sine peccato vixit. oportuit enim Christum pati, & ita intrare in gloriam suam, cum quo nemo regnabit in cœlo, nisi cum afflictus fuerit in mundo, cum quo nemo coronabitur, nisi cum eo legitimè certauerit, at quo modo certabitur, si desit qui impugnet? quid tibi cum victoria, sine prælio quidem fuerit? impudentissime tibi arrogas uel gloriam sine victoria, vel victoriam sine pugna. Itaque satius est, vt præsentia mala æquo animo patiendo, tibi ualeãt in remissionem pœnæ pro peccatis tuis debitæ, & ad gloriæ sempiternæ acquisitionem, quàm impatienter, & cum animi perturbatione citra emolumentum, & salutis fructum ea tolerare, quæ alioquin (uelis, nolis) toleranda tibi sunt, quia sic domino Deo placuit, idcirco & ita fieri necesse est.

ARS VITANDI PROPRIAM iram.

IESV, tuorumque omnium inordinatum amorẽ ex tuo dele animo, alioqui facile in iram excandesces, simul atque te, aut tuos leui quapiam iniuria videris affectos: quò natura ad iram es propensior, eò diligentius te ipsum multo ante præmunies ad patientiam: tam verba, quam facta, quæ occurrere possunt prouidere præmeditans, tela enim præuisa minus nocent. idque omnino habeas animo tuo deliberatum, vt feruescente ira, nihil præcipitanter vel dicas, uel facias, nihil tibi credas irato, suspectum habeas, quicquid concitati animi impetus dictauerat, etiam si honestum

nestum videatur, sed illud differes, faciendum, quo ad usque ira deferbuerit, aut deuote dices semel, aut sæpius orationem dominicam, aut aliud simile, priusquam id designes. quia interim fortasse ira deferuesceret. Dum alius quispiam te conuitijs lacessit, caue repellas conuitium cõuitio, & malũ malo; si animi tui irã estinguere cupis. ea enim, ex verbo tum contentione, magis magisque solet ex candescere, quia dum suam quisque iniuriam pergit vindicare, & vim vi repellere, vtrinque crescunt inimicitiæ, increscit dolor, & tandem mutuarum iniuriarum uix potest finis inueniri. Itaque omnis sermo malus de ore tuo nõ procedat, omnis amaritudo, & ira, & indignatio, & clamor, & blasfemia auferatur à te, & contra vitiorum impetum patientiæ arma assume, nõ furoris. Sic apud te pariter, & tuum extenuabis incõmodum, & ab alio illatam tibi iniuriam leuem facies. Læsit, sed facile resarcietur. tum puer est, rerum imperitus, adolescens, mulier est, non suo optime facit consilio, sed alterius instinctu, imprudens facit, bene potus, æquum est ignoscere. at contra: graniter quidem læsit, sed pater est, frater, præceptor, amicus, æquum est, vt hũc meum dolorem illius vel auctoritati, uel charitati condonem: aut paria faciens, ab altero illatam tibi iniuriam, cum ipsius erga te beneficijs comparabis, uel cum tuis in illum offensis hoc modo: hic quidem læsit, sed alias sæpius profuit. illiberalis est animi tot, tantorumque eius erga me beneficiorum obliuisci, & vnius iniuriolæ reminisci. nunc me offendit, sed quoties à me offensus est, ipsi parcam, sicut & mihi pepercit, vt meo prouocatus exemplo delinquenti mihi alias ignoscat, & ipse. Si iniuriam præ amaritudine prorsus deuorare non possis, ad superiorem recurrendum est, nam cũ vitium pro conuitio reddere, & contumeliam retorquere in eum, qui dedit, nihil aliud est, quam talem fieri, qualis est is, quem damnas.

Sol non occidat super iracundiam tuam, sed quam citissime poteris, reconciliari fratri tuo. quia nisi ad mansuetudinis lenitatem cito redieris, pertinax iræ motus facile crescet in fratris odium, & trabẽ facies de festuca, & animam tuam facies homicidam.

QVOMODO RECONCILIANdum sit fratri.

tur à concupiſcentia, carnis: Per eleemoſinam à concupiſcentia oculorum; Per orationem à ſuperbia vitæ. Per ieiunium ordinatur homo ad ſeipſum: Per eleemoſinam: ad proximum: Per orationem ad Deum. Per ieiunium fit ſatisfactio de bonis corporalibus: Per eleemoſinam de bonis temporalibus: Per orationem de ſpiritualibus. Licet aũt ſingula cũ iſtorũ ſingulis peccatis approprientur propter conuenientiã; tamen quolibet illorum, pro quolibet peccato ſatisfacere poteſt. Secundum Thom. dicit enim doctor ſubtilis, q. 1. ſecundo principali artic. 3. quod talis correſpondentia nec eſt de congruo, nec eſt de neceſsitate in ſingulis caſibus. Sic patet in pauperibus, nec pauperi eſt congruum, nec neceſſarium iniungere aliquod iſtorum, ſi eſt inſufficiens ad ea: vt ſi eſt pauper, qui nutritur labore. & quo die non laborat, caret victu: & ſi ieiunaret, impotens redderetur ad laborem: nec orationi vacare poteſt labore laſſatus, uel à fortiori, nec eleemoſinis: iſti iniungendum eſt, vt iſtum laborem ſubeat in remiſsionem peccatorum intendens illum ad hunc finem referre, ſaltem quo uſque occurrat ſibi opportunitas aliquam aliam ſatisfactionem ſoluendi. Ex hoc habes dicto, quòd homo peccator libenter ſuſtinens defectus temporales, & labores à Deo in eum promiſſos, uel tribulationes, ſatisfacit per illa pro peccatis, ex quo eis conſentit, & aliter ſatisfacere vel pœnitere non poteſt, ita dicit Thom. ubi ſup. diſt. 15. q. 4. arti. 2. & etiam ſæpius eſſet prædicandum pauperibus, & defectuoſis, ne deficerent, & deſperarent de peccatis videntes ſe impotentes ad peragendam pœnitentiam eis iniunctam. Similiter diues, qui lapſus eſt peccato carnis, ſi adeo delicatus eſt, quòd non velit ieiunare, nec macerationem carnis ſubire, uel præſumptio eſt, quód ſi ſibi imponeretur, abijceret eam, & ita iam nouo peccato peccaret; imponendum eſt ei quod libenter accipit, & quod creditur perſeuerantius adimplere, immo ſi nullam vellet accipere pœnitentiam, & habere diſplicentiam de peccato, & firmum propoſitum non peccandi, uel abſtinendi, non eſt remittẽdus vacuus, ſed abſoluendus, ne cadat in deſperationẽ, ſed intimanda eſt ei pœnitẽtia, quæ eſt pro peccatis illis imponenda. & quod eam in ſe uel inæquiualente ſtudeat ad implere, alioquin ſoluet ad plenum in purgatorio. Hæc ſentẽtia ſatis cõſonat dicto Chriſti Matth. 12. & Iſai. 42. vbi dicit arundinem quaſſatam nõ confringet, & linum fumigans non extinguet. Arundo quaſſata eſt peccator quaſſatus tentationibus, & peccatis, & linum fumigãs nimis humidum, tamen habẽs aliquid de igne charitatis, hoc extinguitur p duritiam ſacerdotis, ſed cũ ad aliquod minus difficile obligatur, tunc non extinguitur. Sed dicatur ei, quod oportet eum hic, uel ibi pœnam perſoluere, & quod faciat tantam pœnitẽtiam, quantam hic debet pro peccatis reddere, alias acrior alibi ab eo exigetur. hęc Scotus. dicit. Petr. de tha. diſt. 15. & Thom. ibidem. q. 3. quòd aliter pro altero poteſt ſatisfacere, ſi eſt in charitate, quando ille, cui iniuncta eſt pœnitentia, eam explere commode non poteſt: & hoc quantum ad abſolutionem debiti, ſed quantum ad exciſionem cauſarum peccatorum præcedentium,

tium,& inquantum pœnitentia est medicina pro peccatis, vnus non potest satisfacere pro altero. dicit tamen Thom. quod nullus debet permittere satisfacere per alium, nisi appareât defectus corporalis,uel spiritualis, per quem non sit prontus ad portandum onus pœnitentiæ. dicendum est ergo his, qui satisfactionem pro se alijs imponunt,quòd si ambo negligentes fuerint:ambo punientur,vnus pro peccato proprio,alter pro omissa satisfactione,ad quam se obligauit.

REATVS POENAE AN remaneat post contritionem.

VTrum post quam homo habuit contritionem de peccatis suis, & confessus est ea, & est in gratia, maneat ei aliquis reatus pœnæ pro quo debeat satisfacere? Respon.quod sic,& patet. 2. Reg. 12. Dauid,cui post quam dictum fuit,trãstulit dominus peccatum tuum à te: iniuncta est pœna, vt moreretur puer ex Bersabea natus.& Luc.3.Facite fructus dignos pœnitentiæ, & hoc fit per satisfactionem.& Rom.6. Sicut exhibuistis membra vestra, &c. quia si in Tiro,& Sidone, &c. Matth. 11. Item ecclesia orat pro mortuis, & habetur etiam.2.Machabeo. 12. Vt à peccatis soluantur:nõ solum à venialibus, sed etiam à mortalibus cum dicat ab omni uinculo delictorum: ergo post remissam culpam manet reatus pœnæ, & hoc est certum,& de fide.

POENITENTIAM IMPOSITAM an possimus implere in missa de præcepto.

AN qui impleret pœnitentiam confessoris, cum audit missam de præcepto,uerbigratia iniungit confessor septem Psalmos,recito eos inter audiendam missam die dominica,an satisfaciam præcepto confessionis? aliqui summistæ dicunt,quòd non implet, & non peccat, aliquo modo tamen implet. sed Adrianus dicit,& bene,quòd facit irreuerenter.

PENITENTIA PONATVR in rebus alias non debitis.

SED *quid,si alicui sit iniũctum, quòd ieiunet tribus diebus quatuor temporum, uel quadragesimę,* an satisfaciat præcepto Confessoris. Respon. quod non, quia oportet stare ad intentionem Confessoris, qui si non explicet contrarium, intelligitur de diebus alias non debitis.Secus esset de eleemosina, nam non dubito, quin si confessor iniungat pœnitenti, qnòd det aureum pauperi, melius faceret,& magis ad intentionem confessoris, si det illum pauperi existenti in extrema necessitate.

CONFESSOR NON POTEST imponere quancumque voluerit pœnitentiam.

VTrum Sacerdos habeat potestatem imponendi quãcunque pœnitentiam voluerit pro suo arbitrio? Resp.non oportet, quòd per pœnitentiam iniunctam à Confessore pœnitens sa-

satisfaciat pro tota pœna omnium peccatorum suorum, nam alias frustra esset Purgatorium. Secundo dico, q̃ Sacerdos non potest imponere quantamcunque pœnam grauem,& quando esset intolerabilis pœnitens, non tenetur obedire.

Vtrum autem debeat Sacerdos ponere aliquam pœnitentiam sub consilio dicens: Fac hoc, & si volueris fac etiam istud. Paludus, consulit ita facere,& Siluester, & alij. Hoc etiam laudat. S. Thom propter quod dico, quòd talis pœnitentia propter consilium Sacerdotis, est magis meritoria, quam si eam faceret ex arbitrio proprio solummodo.

CONFESSOR POTEST mutare vel tollere pœnitentiam ab alio Confessore iniunctam.

VTrum, secundus Confessor possit commutare, vel tollere pœnitentiam impositam à primo Cõfessore? de hoc sunt opiniones. Sylvester,& isti dicunt, quòd non potest nisi confiteatur. Sed puto probabilius; quòd potest quia secundus Confessor est iudex, & habet potestatem super istum,& ideo satis est, quod pœnitens confiteatur peccatum istud, quod non fecerit pœnitentiam sibi iniunctam ab alio: & non potest confessor, vel tollere totã, vel minuere, vel etiam commutare.

Vtrum autem confessor teneatur semper aliquam iniungere pœnitentiam pœnitenti, posset dubitari: Sed dico, quod sic, quia est iudex, at grauiter peccaret, si nullam imponeret: nisi esset ex magna & rationabili causa, vt in articulo mortis, vel si videret, quod pœnitens nullam acceptaret pœnitentiam, si tamen hoc contingere possit vnquam.

DE POENITENTIIS INiungendis secundum canones.

REstat nunc de pœnitentijs iniungendis secundum canones taxatis circa quod principaliter est videndũ, quòd licet pœnitentiæ sint arbitrariæ, vt dicetur infra: tamen in publicis seruandæ sunt taxatæ per canones, licet debeat haberi respectus ad circunstantias criminis,& ad qualitatem,& quãtitatem, personæ dignitatem, officium, paupertatem, debilitatem,&c. Vt tamen non ignoremus pœnitentias taxatas, cum tempus incurrerit, imponendas, notandæ sunt aliquæ regulæ, quæ canones pœnitentiales ab alijs appellantur.

PRimus canon, quòd pro quolibet mortali peccato pœnitentia septem annorum est iniungenda: vt 33. q.2. hoc ipsum & cap. seq. & 22.q.1.c. prædicandum, in glo. & 82. dist. presbyter.& ratio est, quia sicut per peccatum mortale septiformem gratiam spiritus sancti amisimus, sic etiam per septem annos requiramus. Hoc tamen verum est pro publico, & graui peccato, pensatis circunstantijs.

Secundus, si presbyter publicus fornicator, decem annis pœniteat inclusus, sacco indutus; tribus mensibus continuis à vespera ad vesperam pane & aqua vtatur, exceptis diebus dominicis,& festiuis, quibus annis expletis; potest cum episcopus ad pristinum reuo-

reuocare statum. de quo multum habet. 82. dist. cap. præsbyter. quod non scripsi propter tædium episcoporum, qui in hoc sunt remissi.

Tertius, sacerdos cognoscens filiam spiritualem, scilicet quam baptizauit, vel cuius confessionem audiuit. 12. annis: pęniteat: episcopus vero quindecim annis pœniteat. Mulier vero si est soluta, tradēda est religioni, rebus suis pauperibus erogatis. 30. q. si quis sacerdos. & sic patet, vt dicit glo. in c. prædicto, quod magis peccat sacerdos cognoscens filiam spiritualem, quàm alterius vxorem, quia per hoc imponitur pœnitentia duodecim annorum.

Quartus, si quis contra naturam peccat, si clericus est, deponitur, vel ad religionem recluditur. si laicus, excommunicatur, donec pœniteat. Pœnitentia autem est septē annorum. & idem est pro incestu. 33 q. 2. hoc ipsum. & cap. seq.

Quintus: sacerdos, qui interest clādestinis nuptijs sine bannis: tribus annis suspenditur. de clandesti. de spon. cap. 1. & cap. cum inhibitio.

Sextus, si quis votum simplex violauerit, scilicet quia promisit in secreto vxorem non ducere vel coram aliquibus socijs, & postea duxit: tribus annis pœniteat. vigesimaseptimam, dist. si vir.

Septimus, si quis excommunicatus celebrauit tribus annis feria. 2. 4. & 6. à potu, alias à vino, & à carnibus debet abstinere. 11. q. 3. de illis.

Octauus, qui alium iniuste accusat ad mortem, septem annis pœniteat, si vitam perdiderit, si vero membrum, per tres annos pœniteat, vt de accu. c. accusasti.

Nonus, si filiam suam spiritualem, vel commatrem cognoscit. per septem annos pœniteat. 30. quæ. 3. non oportet.

Decimus, si quis desponsatam alterius duxerit, eam dimittat. & 40. diebus in pane, & aqua ieiunet. & pęniteat septem sequentes annos. de spon. duo. c. accepisti.

Vndecimus, qui cognoscit duas commatres, vel sorores septem annis pęniteat. 30. q. 3. si pater.

Duodecimus, homicida volūtarius, sine spe restitutionis deponatur, & septem annis pœniteat. 50. dist. furor. si est casualis, per quinque annos pœniteat. 50. dist. c. si qua & c. si quis, & c. eos. & hæc omnia intelligas si potuit euadere homicidium, & non euasit. Nam qui se, & suas res liberando, fures, qui capi non poterant, occiderit, pœnitentiam agere non tenetur, nisi voluerit. Si tamen hoc facit in necessitate euitabili, duos annos pęniteat. 50. dist. c. de his. licet si esset in uitabiles, in nullo ei imputaretur. 50. dist. quia sc. quod tamen est verum quo ad peccatum, sed quo ad cautelam & innocentiam suam ecclesiæ ostendēdā, bonum est pęnitere, de homicidio. c. 2. ſ. fi. 34. q. 2. in lectum. 33. excommunicatorum si quis tamen insultitia vel infirmitate, vel furiositate occidit non imputatur ei. 3. q. 9. 1. c. indicas. 15. q. 1. c. aliquos. & c. illa. & c. si quis. si autem causa disciplinæ, sicut magister Scholarem in caute occidit, imputatur ei, & deponitur, si est sacerdos de homi. cap. presbyterorum, & 10. q. 5. c. si quis non iratus. Sed & si quis ligatum latronem interficit, deponitur, de bo-

homicid.cap.ſuſcepimus.

Tertius decimus, matrem occidens decem annis pœniteat ſecundum formam ſatis aſperam, quæ ponitur. 23. quæſt. ſecundo capite latorem, ubi dicitur, quod primo anno eccleſia non intret, ſed ante fores eccleſiæ oret. poſt annum vero intret eccleſiam ſtans inter audientes, & non communicet, niſi completo termino: oblationes eius non uoluntarie accipiantur, niſi poſt ſeptem annos. & per hos decem annos non comedat carnes, nec potum (aliàs vinum) bibat, exceptis diebus dominicis & feſtiuis a feſto paſcha vſque ad feſtum pentecoſtes. & non vadat aliquò niſi pedeſter feria ſecunda, quarta, & ſexta ieiunet: Sed tamen non ſeparetur ab vxore, propter periculum adulterij.

Decimus quartus, vxoricidæ omnibus diebus, quibus pœnitet, non debet vti carnibus, nec potu, alias vino, niſi in Paſcha, & Natali domini, in pane, & aqua, & ſale, vigilijs, orationibus, & eleemoſinis pœnitentiam agat, arma non ſumat, vxorem non ducat, balneo non vtatur, comiuiũ lætantium nõ intret in eccleſia, poſt oſtium ſtet, non cõmunicet in vita, ſed in mortis articulo tantum, vt patet 23. q. 2. admonere, & intellige quod maior pœnitentia eſt vxoricidæ, quàm matricidæ, non quia maius eſt peccatum vxorem occidere, quã matrem, ſed quia proniores ſunt homines ad occidendũ vxores, quam matres, & ideo vt retrahantur, grauior eis pœna iniungitur, argu. 34. q. 1. no. afferramus.

Decimus quintus, iugulans voluntarie puerum ſuum, dicit Raymund. quòd talis debet in monaſterium intrudi, ſi non habet alios pueros, & vxorem. grauior ei debet imponi pœnitentia, ſcilicet ſeptem annorum. Cum autem ex negligentia iugulant eum parentes, ita q; ponunt eum in lectum ſuum ſanum, & poſtea inueniunt eum mortuum, tribus annis pœniteat, quorum vnus annus eſt in pane & aqua omnibus ferijs quartis, & ſextis & ſabbatis, alijs duobus ieiunãdo feria quarta, & ſabbato, ſed ſexta in pane, & aqua, de his, qui occidunt filios. c. 1. & 2.

Decimus ſextus, periurus, quadraginta diebus ieiunãdo in pane & aqua per ſeptem annos pęniteat. 6. q. 1. quicunque.

Decimus ſeptimus, falſam menſuram habens triginta diebus pęniteat in pane, & aqua, de empt. & vend. c. vt menſuræ.

Decimus octauus, qui deuotam, vel monialem cognouit, decem annis pęniteat, & ipſa ſimiliter. 27. q. 1. ca. de filia. & c. deuotam.

Decimus nonus, presbyter cantans miſſam, & non communicans anno vno pęnitere debet, & interim a celebratione miſſæ ceſſabit, de conſecratione. diſt. 2. relatum.

Vigeſimus: ſacerdos, qui laicum mortuum cum palla altaris inuoluit, decem annis, & quinque menſibus pęniteat: Diaconus vero triennio & dimidio, ſiue ſex menſibus pœniteat, de conſe. diſt. 1. nemo.

Vigeſimus primus: ſacrilegus violans eccleſiam, ſeptem annis pęniteat. 11. q. 2. de uiro. & primo anno ante cœmeterium, quod violauit, cõſiſtat, ſecundo anno ante fores eccleſiæ, tertio anno in eccleſia, & per hos tres an-

no:

nos carnes non comedat: & potum, aliàs vino, non bibat, nisi in pascha & natali domini, nec communionem accipiat. in quarto anno communicabit, & tunc quinto & sexto vsque ad septimum annum feria 2.4.& 6.a carnibus, & à potu abstineat.

Vigesimus secundus, parentes frangentes sponsalia filiorum per triennium separentur a communione, & filij similiter si inculpa sunt, trigesima. q.3.c.si qui parentes.

Vigesimus tertius, qui ducit illam in matrimonium, quam prius polluit per adulterium, quinque anni pœnit. 31.q.1.c.si qua vidua.

Vigesimus quartus, blaphemans debet per septem hebdomadas agere pœnitentiam secundum formam, quæ traditur de maledicis c.statuimus.

Vigesimus quintus, sacerdos denudans confessionem alicuius verbo, vel facto, uel signo, & c. de quo infra dicetur, & habetur de pœniten. distinct. 6. sacerdos.

Vigesimus sextus, periurus si libet est, quadraginta diebus per septem annos in pane, & aqua pœniteat: si seruus tribus annis. 22.q. 5. qui compulsus.

Vigesimus septimus, qui periurat in manu Episcopi per tres annos pœniteat: qui vero in manu cõsecrata, anno vno pœniteat, qui vero coacte, nescies esse tam graue peccatũ, tribus quadragesimis pœniteat: hoc est tribus annis, quolibet anno quadraginta dies. 22. q.5.qui compulsus. sed qui scienter iurat, vel alium iurare permittit, quadraginta dies pœniteat in pane, & aqua, & septem sequentes annos. & similiter conscij sui. 12. q.5.si quis periuauerit. & c. si quis conuictus.

Vigesimusoctauus, discrepans a consuetudine metropolitanæ ecclesiæ in horis canonicis, septem mensibus communione priuetur, si ex contemptu hoc faciat. dist. 12. c. de his,

Vigesimusnonus: sortilegus, quadraginta diebus pœniteat, de sortileg. c. ex tuarum. qui autem aspicit astrolabium. vno pœniteat anno, ibidem.

Trigesimus, interfector præsbyteri duodecim annis pœniteat, vt c.2.de pœnitentijs, & remiss.

Trigesimus primus, incendens domum, totum damnum restituat, & tribus annis pœniteat. eo titulo. c.2. & de iniurijs, & damno dato. cap. si quis domum.

Trigesimus secundus, communicãs hæreticum nescienter, annum pœniteat: scienter vero quinque annis. permittens autem hæreticum cantare sciẽter missam, quadraginta diebus. si autem in subuersionem fidei, tanquam hæreticus damnatur, nisi decem annis pœniteat. si quis recesserit ab ecclesia ad hæreticos fugiens duodecim annis pœniteat, secundum formam, 24. q.1. si quis dederit.

Trigesimus tertius, qui nescienter cognoscit duas sorores, vel matrem, & filiam, uel amitam, & neptem, septem annis pœniteat, sci scienter perpetuo carebit coniugio. 34. q. unica. si quis.

Trigesimus quartus, cum Bannito coiens, plusquam septem annis pœniteat. item pro incestu. 33. q. 2. hoc ipsum. & cap. seq.

Trigesimus quintus, patronus res ecclesiæ dilapidans, vno anno pœniteat. 16. q. 7. filius.

Trigesimus sextus, qui iurat pacem non facere cum proximo, vno anno

pœni-

pœniteat,& ad pacem redeat. 12.q.4. qui ſacramento.

Trigeſimuſeptimus : bis baptizatus, vel bis confirmatus ſeptem annis pœniteat.4. & 6. feria in pane & aqua ieiunet, & cogetur fieri regularis. de conſec.diſt.3.qui bis, & c.dictum eſt.

Sunt plures alij caſus,qui apud nos non currunt, & ideo de illis nihil poſui.hi autem intelligendi ſunt de pœnitentia publica, & pro peccato publico.

Circa quod ſciendum, quòd licet illa pœnitentia ſit taxata à canonibus pro manifeſtis peccatis, itaque nullo modo licet aliam imponere,vel variare,tamen epiſcopus de his diſpenſare poteſt ex cauſa rationabili, inſpectis circunſtantijs perſonarum ſicut dicit Leo Papa, pœnitudinis tempora conſtituenda ſunt tuo iudicio, ſecundum quòd perſpexeris animos confitentiũ eſſe deuotos.26.q.7.tempora,& c.hoc ſit.idem dicit Hieron. de pœniten.diſt. 1.menſuram. & ideo dico de occultis peccatis, quæ pertinent ad ſimplices ſacerdotes, quòd vbicunque inueniãt taxatam pœnitentiam per canones, non mutent eam ſine cauſa,ita tamen quòd non prodant per eam peccatorem.

Secũdum hoc intellige illud, quòd communiter dicitur, ſed male intelligitur quòd pœnitentiæ ſunt arbitrariæ de pœniten. & remiſsio. Deus qui & de ſortilegijs.c.2.glo.2. vbi dicitur, quòd pœnitentiæ tempus arbitrarium eſt, quod intelligit gloſſa vltra illud, quod iam ius taxat. & ſi ius taxauit vnum annum pœnitentiæ, & delictum exigit plus,hoc eſt ad ſacerdotis arbitrium conceſſum. Idem dicitur de clerico excommunicatio.Latores.& dixi notanter, quòd ſine cauſa non debet per quemcunque ſacerdotem mutari pœnitentia taxata;quia ex cauſa poteſt bene moderari per ſimplicem ſacerdotem, qui diſpenſare poteſt contra canones taxantes talem pœnitentiam, vt de iudicijs.at ſi clerici. in glo. ſuper verbo, de adulterijs.vt ibidem notant doctores.pro iſto tamen ſciendum, q̃ hodie multi ſumpſerunt occaſionem erroris ex iſto dicto,quo dicitur pœnitentiæ ſunt arbitrariæ, & ſecundum arbitrium ſacerdotis imponendæ, & ideo pro meliori iſtius dicti intelligẽtia aduertendum eſt, quòd ſicut dicit ſanctus Thomas ſuper.4. diſtin.19.q. artic. 4.Si quis præter modum agendi principalis vti ſua poteſtate præſumpſerit, non conſequitur effectum, ſecundum Dioniſium,& propterea talis ab ordine, & officio diuino auerteretur,& culpam incurreret. Verbi gratia, ſi miniſter medici aliter adhiberet medicinam ægroto,quàm præcepit medicus, grauiter talis offenderet medicum, & etiam ægrotum.& quia pœnitentiæ ſatisfactoriæ ſunt medicinæ pro peccatis infligendæ, ideo ſicut medicinæ in arte determinatæ nõ omnibus competunt, ſed variandæ ſunt ſecundum arbitrium medici non propriam voluntatem ſequentis, ſed arte medicinæ, ita pœnæ ſatisfactoriæ determinatæ in canone non competunt omnibus, ſed variandæ ſunt ſecundum arbitrium ſacerdotis diuino inſtinctu regularum. hæc Thomas.

VIde ergo quicunque iudicas, ſecundum caput tuum iniungendo pœnitentias non taxatis debitis

circunstantijs, quia in magno periculo es, decipiens te, & confitentem, si arbitraris aliter pœnitentiam, quam spiritus sanctus eam dictauit, illi confitenti imponendam. Vnde dicit sanctus Thomas. dist. 20. q. 2. art. 2. quòd qualitercunque habeat sacerdos, vel diuertat se in officio sacramentorum, nihilominus peccator permanet reus ad quantitatem eiusdem pœnæ, & ideo si eam hic non explet, exigetur abeo in purgatorio. Sacerdos tamen discretus (vt dicit idem) pœnam imponens minorem etiam ex industria; plus prodest confitenti, quàm nocet, quia forte à magnitudine pœnæ posset à pœnitentia agenda impediri, quia diuinus amor, qui in eo incipit, paulatim confortatur, excitabit eum postea sponte, & propria voluntate ad plura opera misericordiæ, quã sacerdos iuposuit.

Sed circa hoc sit sacerdos cautus, vt tunc hoc faciat, quando præsumit de confitente, vt hoc faciat. videat ergo sacerdos, & caute prospiciat ꝙ vbicunque pœna a iure expressa est, non omittat eam imponere, nisi necessitas vel alia causa rationabilis aliud suaderet, vbi autem non est pœna a iure imposita & expressa, ibi arbitrio suo idem statuat secundum quod viderit expedire.

Nam tam potest eam aggrauare, vel mitigare, vt dicit glosa de pœnit. dist. 1. mensuram. ad idem facit Archidia. 50. dist. cap. de his. sed forte quæreres. Quid si nunquam arbitratus est, & minorem pœnam imponat quam debeat, non quid ille confitens secutus est; vel an residuum exigetur ab eo in purgatorio? Ad quod respondeo secundum glo. 3. de pœnit. dist. 1. mensuram. quòd si est ordinarius iudex siue sacerdos parochialis, & facit hoc animo dispensandi, sufficit illa pœnitentia modica ad delendum peccatum: Si autem per errorem est imposita, & tamen ab illo pœnitente credebatur peritus, sufficit illa minor pœnitentia ad peccatum delendum, dummodo pœnitens; qui eam recipit maiore suscipere est paratus, si sibi imponeretur, de pœniten. dist. 1. quem pœnitet. versi. si qui. si autem credebat eum imperitum in culpa est pœnitens aut confitens, quia peritiorem non requisiuit. & hoc est contra illos, qui impetrant licentiam confitendi alibi à suis plebanis, & confitentur imperitis sacerdotibus vel monachis ad hoc non *electis nec approbatis*. & tales se *decipiunt*. Nam dicit Augusti. de *pœnit.*

Qui vult confiteri peccata sua, vt inueniat gratiam, quærat sacerdotem scientem ligare, & soluere, ne negligens circa se sit, negligatur ab eo, qui eum misericorditer monet, & petit ne ambo in foueam cadãt, quoniam stultus errare voluit, & subdit: Qui ergo confiteri vult, omnino confiteatur sacerdoti meliori, quàm inuenire potest. Audiat autem vnusquisque confessor taliter, qualiter sibi dicatur per beatum Hieronymum. & ponuntur hæc verba. 24. q. 1. non auferamus. vbi dicitur: Non afferas stateras dolosas, vbi appendamus, quod volumus dicẽtes: hoc graue est, hoc leue est, sed afferamus diuinam stateram ex scripturis sanctis, tanquam de Thesauris dominicis: & illa quid sit grauius, appendamus. hæc Hieronymus. ex quibus verbis, vides quòd illæ pœnitentiæ, quæ imponuntur erroneæ, & aliter, quam

iunt

sint impositæ in iure, dicuntur dolosæ, & temerariæ. Hoc est quod dicit Gregor. de pœnit. dist. 5. falsas pœnitentias, ubi dicit: falsas pœnitentias esse dicimus, quę non secundum auctoritatem sanctorum patrum, pro qualitate criminum imponuntur. Vnde dicit glos. quod si certa pœna statuitur, & tamen minor imponitur, falsa est pœnitentia, nisi ex causa temperetur, vt dicitur. 26. q. 7. tempora ubi dicit Leo Papa q; tẽpora pœnitentiæ habita moderatione constituenda sunt iudicio sacerdotis, prout confessores pœnitentiã animos perspexerint esse deuotos. hoc est qđ concludunt doctores finaliter quod tunc tantum ex causa, scilicet necessaria pœnitentæ eodem modo, quod dictum est, arbitrariæ possunt dici, scilicet consideratis circonstantijs personarum, locorum, temporum, ætatum, qualitatum criminis, & aliorum prout dicitur de pœnit. dist. 5. consideret. Circunstantiæ autem notantur in illo versu: Quis, quid ubi, quibus auxilijs, cur, quomodo, quando. hoc est dicere, quod licet pro aliquo crimine a iure taxatur pœnitentia septennis, si tamen sacerdos videt personam pauperem, debilem, uel nimis senem, uel nimis iuuenem, vel multum nobilem, uel locum, in quo moratur, sicut castrum vel curiam principis, non esse aptum ad pœnitentiam agendam, sic a iure expressam, vel videt tempus non conueniens, propter nimios labores tunc instanter, in his casibus potest confessor moderari pœnitentiam in toto vel in parte, prout notat in glos. 23. quæst. 4. si is. & hoc intellige quando contritum sufficienter viderit peccatorem. sed diceres, tamen Gegor. in homilia dicit & ponitur in c. prædicto. Si is, qui prælatus est, domnico debitori culpas impune dimittit, non mediocriter profecto offendit, qui debita cęlestis regis, & domini sui præsumptuose resoluit. Similiter prima glos. 26. q. 7. hoc sit positum, dicit quod non potest sacerdos totum dimittere sine aliqua pœnitentia. & idem de pœnit. distin. 1. capit. mensuram. & c. si peccatum. & 26. q. 7. tempora, & 15. q. 7. hi qui. Tu dic q; omnia illa locuntur de illo, qui non est contritus sufficienter, uel de illo, qui non potest agere pœnitentiam cõmode: Talibus enim sacerdos ex toto non potest dimittere, & grauiter peccaret remittens. quia sic se oneraret peccatis alienis.

DE RESTITVTIONE ablatorum in satisfactione.

EST quia, vt dicit sanctus Thomas, restitutio male ablatorum, licet non sit satisfactio, nec pars eius, est tamen præambulum ad satisfactionẽ, quia non est aliud, nisi cessare ab offensa, ideo de ipsa aliqua subiungam.

Sciendum est autem, quòd homo nec satisfacere, nec reconciliari potest qui rem detinet alienam. Ideo ante omnia, qui alienum recipit, & detinet, si vult dignè pœnitere, primo debet omnia illa restituere, si potest. si autem non potest, sufficit voluntas restituendi, cum tanta restitutione, quanta possibilis est secundum conditionem vtriusque ad arbitrium bonorum.

Vnde nota, quòd si quis aufert alicui famam intentione infamandi eum, de restitutione famæ tenetur ad resti-

tutionem, scilicet famæ, dicendo se falsum dixisse, si falsum dixit. si vero verum dixit, & non seruauit modum fraternæ correctionis, dicat, quòd hoc dixit non intendens eius bonum.

Item ablationem virginitatis restituat ad arbitrium bonorum: uel si est pœna statuta in Ciuitate, illam soluat.

Similiter ad ablationem membri, vel priuationem vitæ, alicui fit restitutio secundum consuetudinem, vel statutum communitatis, uel terræ. Tenetur etiam satisfacere pueris & vxori interfecti, quia abstulit pueris patrem, & vxori maritum, qui eos nutriebat. Vnde illud damnum inde proueniēs, debet eis restituere secundum statum, & quia, dicit doctor subtilis. 15. dist. q. 3. Ex quo omnia illa vix aliquis potest recompensare condigne: expediret similiter animæ cuiuslibet homicidæ, vt solueret per passionem voluntariam, vt scilicet occideretur pro homicidio. vnde dicit quod opportunè prouisum est in multis communitatibus, vbi est statuta lex talionis in causa homicidij, nec seruatur, vt lex Mosaica, sed vt euangelica, de qua Matth. 26. Omnes, qui acceperint gladium, gladio peribunt.

Item si aliquis alium impedit in præbenda consequenda, si facit animo lædendi ipsum, tenetur ad restitutionem, non quantum ualebit prebenda, quia nondum eandem fuit consecutus, sed pensatis conditionibus vtriusque ad arbitrium bonorum. Nam si fecit, quia indignus erat ille, quem impediebat, uel ut de meliori prouideret, iuste fecit, nec tenetur restituere. Non solum autem, qui accipit, sed etiam qui fauet accipienti, tenetur ad restitutionem: vt illi, qui peccatis alienis consentiunt. Nam qui iuuat facere, tenetur ad restitutionem totius.

Similiter qui consulit facere ita, q̄ sine eius consilio non fuisset factum, totum restituat. alias restituat quantum nocuit perse.

Similiter adulator laudans raptorem, quare ipse rapit, alias non rapturus: tenetur insolidum, idest, in toto sicut principalis. similiter participans in crimine furti, uel rapinæ, tenetur in solidum sicut principalis. similiter participans in re furata, uel rapta; tenetur restituere eam, & etiam qui eam scienter emit uel recipit, similiter qui uidet furtum fieri, & tenet, cum ex officio teneatur reuelare, tenetur *ad restitutionem*: alias non similiter *qui non prohibet*, cum tamen teneatur *ex officio*: similiter qui scit rem ubi iacet, & non vult reuelare; si tamen principalis satisfecit: alij non tenentur, secundum Raymundum & secundum Thomam secunda secundæ. q. 62. articul. 5. cum autem spoliari *ignorantur*, tunc distribuentur res *in pios* usus pro pauperibus illius *loci*, vbi rapina est facta, vel pro ecclesijs eiusdem loci, & hoc si non apparet heres suus: si apparet, illi fiat restitutio. si etiam sit absens, cui fieri debet restitutio: debet ei transmitti, si cōmode fieri potest: alioquin in loco tuto debet reponi & conseruari pro eo, secundū Thomam, ubi supra.

CAVTELAE EX PARTE Confitentis seruandæ.

PRimo caueat confitens, ne diuidat confessionem: vt puta dicendo vnam partem pec-

peccatorum coram vno sacerdote, & aliam coram alio: sed integraliter cõfiteatur omnia vni. de pœniten. dist. 5. c. 1. nam alias confessio esset falsa, & ficta, & in ea nihil dimittitur iuxta illud:

Larga dei pietas veniam non dimidiabit.
Aut nihil, aut totum propitiando dabit.

Si tamen confitens quis coram vno sacerdote non recordabatur aliqua peccata, quæ postea reducens memoriæ, vadit, & confitetur coram alio, nõ est diuisio confessionis, nec oportet, vt recitet confessionem prius factam, dicat in generali; quòd cum alia multa sit confessus, hoc fuit oblitus. ita dicit. S. Thom. in 4. distin. 17. q. 13. artic. 3. multi autem indiscreti arguunt alios, q̃ tunc nec isti illi confitentur. quod fieri omnino non debet.

Sed sic coram pluribus confitentes, si faciant eo proposito, vt multiplicent eis intercessores, & oratores ad Deum; aut vt sic coram pluribus confitentes eadem peccata, maiorem ruborem habeant, commendabiles sunt. Vtile nãque est taliter confiteri pluribus propter maiorem verecundiam habendã; quæ est maxima pars satisfactionis, & potest esse tam frequens confessio, quòd etiam tota pœna tollatur. nam dicit. S. Thom. dist. 18. q. 3. art. 3. quod per absolutionem sacerdotis nõ solum culpa dimittitur, sed etiam de illa pœna, qua in purgatorio puniatur absolutus decedens ante satisfactionem; quàm si ante absolutionẽ decederet, & si virtute passionis Christi sine præiudicio diuinæ iustitiæ pœnis singulorum proportionabiliter aliquid dimittitur, & subdit quòd non est inconueniens, si per frequentem confessionem etiam tota pœna tollatur, vt peccatum omnino maneat impunitum, pro quo pœna Christi satisfecit. Hæc. S. Thom. vbi supra. art. 3.

Vtile est etiam sic confiteri pluribus, quia quilibet confessor tenetur orare pro suis confessis, & eorum memoriam in missa habere, saltem generalem: verumtamen repræhendendi sunt confitentes, qui nunc isti ista peccata, postea alteri de nouo iterum commissa confitentur, verecundantes priorem confessorem pro eo, quod iterum eadem prius confessa, postea commiserit. Vnde admonendi sunt ne hoc faciant: quia confessor nouit eorum fragilitatem, vnde nõ debet imputare.

Secundo caueat confitens, ne mentiatur, ne scilicet plus dicat, quam res se habet, vel minus: quia secundum. S. August. & S. Tho. si non est peccator, mentiendo fit peccator. 22. q. 2. cum humilitatis causa. & hoc multum arguit illos, qui causa humilitatis plus fingunt: vel causa hypocrisis minus dicunt.

Tertio, caueat confitens, ne aliquid omittat, licet dubitet illud esse peccatum mortale; sed dicat confessori totũ quærendo, an sit peccatum mortale, alias peccaret mortaliter, omittendo in tali dubitatione confiteri.

Quarto caueat, ne omittat iterare confessionem, si confessus fuit sacerdoti, qui absoluere non potuit, uel si potuit, nesciuit discernere, uel si confessio non fuit integra, vt quia tacuit aliquod peccatum mortale, neglexit, vel oblitus est, similiter si confessus

est sine contritione, puta habendo propositum in idem peccatum reuertendi. in his enim casibus tenetur reiterare confessionem. secundum Petr. sed an recidiuans teneatur cõfiteri peccata priora, Thom. in 4. dist. 22. quæst. 4. dicit quòd directe non tenetur, nec in generali, nec in speciali, sed bene indirecte, scilicet tanquam illud, sine quo sciri non potest debitus modus satisfactionis. unde tenetur confiteri, & notificare peccata dimissa quãtum sufficit, ut sciatur quæ satisfactio sit ei imponenda, ut si ipse frequenter lapsum carnis passus est aliqua occasione, ita quod occasio per satisfactionem præscindatur, & similiter de alijs peccatis.

Quinto caueat confitens, ne confiteatur alieno sacerdoti, hoc est non proprio, quia alienus non potest eum absoluere, uel ligare. de pœnitent. & remissio. c. omnis. & de pœniten. dist. 6. placuit. licet enim omnes sacerdotes claues ligandi, atque soluendi accipiant in ordinatione sua, non tamen æqualiter iussata est illa potestas ad quoslibet sacerdotes, & illa potestas ita concessa eis, ligata quãtum ad exercitium, ita quòd non possunt eam exercere, nisi detur eis potestas iurisdictionis ordinaria, uel delegata ab Episcopo, uel à sede Apostolica. secundum Io. And. in c. omnis.

Potest autem proprius sacerdos quadrupliciter accipi. Vno modo pro eo, qui præest Parochiæ: ut Plebanus, qui habet potestatem, sed modo inferiori. Alio modo, qui præest modo superiori, & sic Episcopus proprius sacerdos omni homini suæ diocesis [illegible] mediatus, ut in ca. cum episcopus de off. [illegible] lib. 6. & in c. ult. de off. Arch. secundum Host. Vel qui præest modo principalissimo: ut Papa. Nam Papa est proprius sacerdos omnium Christianorum, & habet plenitudinem potestatis. de auctor. & usu Pal. ad honorem. & de for. comp. c. vlt. & 9. q. 3. c. cuncta per mundũ. Tertio, proprius sacerdos dicitur habens iurisdictionem delegatam ab aliquo prędictorum, vel à Legato Papæ. de off. dele. c. 5. Quarto habens iurisdictionem cõmuni concessione, uel permissione iuris: & sic proprij sunt illi, quos Episcopi, & Abbates exempti eligunt in confessores: ut de pœn. & remis. ne pro dilatione. sic etiam in articulo mortis quilibet est proprius sacerdos illi, quem audiuit, si proprium habere non potest. 27. q. 6. si presbyter, & c. seq. hoc etiam modo vagabundorum hominum est quilibet proprius sacerdos, ad quem deueniunt. Similiter proprius sacerdos peregrinorum est, ad quemcunque deueniunt. Concordat Ioan. And. Innoc. Host. frater Ioannes Theotonicus, & Ioannes de Lignano. de pœn. & remis. c. omnis.

Sciendum tamen circa prædicta, ꝙ episcopus potest committere audientiam confessionis fratribus prædicatoribus. vel minoribus per ipsum electis, & probatis, sed illi non habent auctoritatem totalem, sicut Plebani, nisi eis specialiter committatur, ut notatur de sepulturis. c. dudum. in clem. nec confessus talibus tenetur iterum confiteri proprio sacerdoti, ut quidam erronice putant, quorum auctor fuit. Io. de poliuaris, quem reprobauit Io. 22. in quadam extrauaganti, quæ incipit, Vas electionis.

Sciendum etiam circa prædicta, ꝙ

quis

quis potest confiteri alteri, quam proprio sacerdoti in pluribus casibus. Primò. si subditus scit proprium Plebanũ hæreticum, aut solicitiorem ad malũ, aut fragilem ad peccatum, aut ad reuelandum pronum, & generaliter ubicunque confitens probabiliter timet sibi, uel sacerdoti periculum: tũc enim debet recurrere ad superiorem, & petere licentiam alteri confitendi. hæc Thom. in 4. dist. 17. Host. etiam enumerat octo casus.

Primus est, qnando proprius sacerdos est omnino indiscretus, ut de pœn. dist. 6. c. 3. placuit. Sed in hoc subditus debet petere licẽtiam à sacerdote proprio, quam si non vult dare, petat eam ab episcopo.

Secundus, quando parochianus trãstulit domicilium ad aliam parochiam.

Tertius quando quis est vagabundus.

Quartus quando quis quærit domicilium, quo se conferant. & nec dum quietatus est, aut limitatus ad vnum locum.

Quintus, cum quis deliquit in aliena parochia, & commisit rapinam: tũc enim, ibi ponitur. de rapi. cap. 1. & hoc si est publicum ita quod pro eo esset excommunicatus, a prelato ipsius loci. aliàs si esset occultum, potest absolui à proprio sacerdote, vbicunque furtum, uel rapinam accipit.

Sextus, ratione studij, ut cum clerici accedunt de licentia prælatorum ad studium.

Septimus, tempore necessitatis, ut quia infirmatur ad mortem.

Octauus, si non ponat spem in periti proprij sacerdotis sed hoc vltimũ communiter non tenetur. in talibus enim casibus, ubi quis confitetur alieno, debet ei iniungi. vt se præsentet proprio sacerdoti, nec proprius sacerdos debet ei credere, ne diceret se esse absolutum ab aliqua excommunicatione, quia tunc non tenetur credere sine literis absolutionis. ego tamen consulo secundum Ricar. in 4. dist. 17. q. 1. arti. 3. quod sine causa multum necessaria, vel legitima non quærat quis alium sacerdotem præter proprium, sicut multi consueuerunt facere, dubitantes temere de vita propriorum sacerdotum, & dicentes quòd non confitebuntur illi inebriato, sed quærunt alienum contra statutum ecclesiæ. Sed si aliter discretior non potest haberi vel prælatus non vult dare licentiam subdito confitendi alij præter se, quid erit agendum? dicit Ricardus quod in tali casu propter bonum obedientiæ facit magis subditus vtilitatem animæ suæ confitendo proprio sacerdoti minus bono, dum tamen sit sufficiens, quam confitendo alteri meliori, & dico de minus bono, non de minus discreto, quia alias semper quærendus esset minus discretus: quod non est verum, sed semper quærendus est magis discretus, si potest haberi, nec excusatur subditus indiscreto Plebano confitẽs, si eũ male iudicat: quoniã nõ tenetur cæcus cæcum ducere, ne ambo in foueam cadant.

Et nota, quòd in casu, quo quis veniens de aliena Parochia, caueat imperitia proprij sacerdotis, petens audiri confessionem suam per alienum Plebanum, dicens se habere licentiam à proprio sacerdote, nunquid tenetur ei credere ille, quem petit pro audienda Confessione: Resp. quòd sic, prout

notauit

notauit Ioan. And. in gl. 4. c. 1. de priuil. in clem. pro quo allegauit de pæniten. dist. 6. placuit. quia non est immemor præsumẽdus suæ salutis. i. q. 7. c. Sancimus. & de homicidijs. c. significasti. potest autem hanc licentiam parochialis dare, etiam si nondum habet ordinem sacerdotij, aut eius vicarius vices suas gerens: vt dicit. Ioan. And. in 5. glo. ibidem.

DE CAVTELIS SERVANdis ex parte confessoris.

PRimum caueat Confessor ne suum parochianum habentem casum Episcopi nondum expeditum, in quo ipse non potest dispẽsare, aliquo modo audeat absoluere ad cautelam, sicut hoc consueuerunt facere, quidam stulti Confessores, aut in hoc potius deceptores appellandi, cum non possunt absoluere in casibus Episcopi, dicunt parochiano: Ecce ego te absoluo ab isto peccato ad cautelam, vt possis istis diebus communicare, ne de te scandalum oriatur, si non communicares isto festo Paschæ, tu autem post istud festum accedens ad auctoritatem Episcopi confiteberis de isto peccato. O te miserum Confess. non sic. ne decipias te & ipsum: Sed dicas: ò bone fili, ego non habeo in isto casu auctoritatem, ergo accedas statim ad Episcopum ante istud festum, vel ad eius auctoritatem habentem, nec prius procures sacramento eucharistiæ communicari, nisi fueris absolutus: Si enim non possis accedere ad Episcopum ante festum, nullo modo accedas ad Eucharistiã, & si aliqui de te suspicabuntur dicentes: Iste non communicauit hoc festo: vel si ã te quærat vicinus tuus, quare non escommunicatus in isto festo? dicas: Hoc feci de consilio sacerdotis mei, vel confessoris, vel quia habeo graues inimicitias cum hostibus quibusdam, quos nondum euasi, & verum dixit. quia habet inimicitias cum diabolo, & eius laqueos disrumpere conari debet, & ipsum expugnare de corde suo. nec in hoc mentitur. non tamen dicat habeo inimicitias cum quibusdã hominibus. Sed cum quibusdam hostibus nisi etiam haberet inimicitias cum hominibus.

Sacerdos autem hoc casu, quando subditus confitetur sibi totaliter, inueniens inter alios, Episcopi *casum* auctoritate absoluat ab *illis*, & *iniungat* pœnitentiam pro illis, quæ sunt de auctoritate sua, casum reseruatum vero remittat ad Episcopum. non sicut quidam faciunt, qui postquam audiunt in confessione casum Episcopi, statim dicunt confitenti: Vade, non habeo tecum quicquam disponere, nisi accedas ad Episcopum, & tales exponunt personas huiusmodi magno periculo, quia sæpe contingit, quòd tales obliti fuerunt de peccatis prius confessis. verumtamen, si sacerdos inuenit confitẽtem excommunicatum à iure, vel ab homine, vel si forte dicat confitens: Bone pater, ego semel percussi clericum ordinatum, ex ira, vel sum in excommunicatione maiori, tunc statim sacerdos non audiat eius confessionẽ, nec absoluat eum ab aliquo, etiam minimo peccato, donec fuerit per superiorem à sententia excommunicationis absolutus, & ostendet se per *literas*

ras absolutum, secundum Thomam, in 4. dist. 18.

Secũdo, caueat sacerdos, ne aliquo modo reuelet uel prodat confessionẽ signo, nutu, uel facto, sed omnino debet celare exterius, sicut Deus tegit interius, per hoc enim vt dicit Thom. in 4. dist. 21. Homines magis attrahuntur, & simplicius confitentur. Si autem periculum immineret, & hoc solum sciret per confessionem: vt, quia scit aliquem hæreticum, similiter incendiarium; propter hoc reuelare non debet eos, sed potius monere debet tales, vt desistant, & prælato dicere, quòd uigilet super gregem, sine omni reuelatione confessionis. Si etiam sacerdos cõpelleretur ad dicẽdum per Episcopũ, talis bene potest dicere: Reuerende pater: ego nihil scio, intelligendo, vt homo, quia scit, vt Deus. non solum autem caueat reuelare illa, quę cadũt sub confessione sacramentali, vt peccata, sed etiã alia gesta facta, per quæ posset quis deprehendi peccator. immo etiam illa quæ omnino non pertinent ad confessionem.

Idem dico si aliqua dicuntur alicui, non per modum confessionis, quia forte non fit absolutio, ne pœnitentiæ iunctio, sed tamen fit sub specie confessionis. nam in tali casu licet nõ claudatur tale dictum sigillo confessionis, secundum Thom. in compendio, tamẽ talia omnino sunt seruanda ex honestate, ac si in cõfessione suscepta fuissent. Secundum Tho. in 4. dist. 21. si autem Sacerdos scit peccatum præter confessionem, potest illud dicere, sed non debet dicere, quod sciat hoc ex confessione, & nihilominus debet abstinere ab hoc, quantum potest propter pronitatis consuetudinem. nam Sacerdos peccata reuelans, quæ scit extra cõfessionem, & sæpius hoc faciens, assuescit, postea etiam reuelaret ea, quæ sunt in confessione sibi dicta. Ideo habeat linguam refrænatam dentibus propter pœnam depositionis, & retrusionis in arctum monasterium ad agendam pœnitentiam: de pœniten. & remissio. omnis. & de pœniten. d st. 6. sacerdos.

Quando ergo vis securus esse, cum opus habes de aliquo peccato tibi cõfesso, require doctiorem aliquem sub consilio non dicendo sic: Quædam persona est mihi confessa de ciuitate, uel villa, de hoc quid consulitis cum ea facere? Sed potius fac, vt ipsa sola consulat, uel quærat auctoritatem. Si autem forte veretur, dicas sic: Ecce quidam casus accidit sub hac forma, uel peruenit ad me casus talis: quid consulitis? & licet esset de licentia confitentis, quòd possit reuelari, vt dicit Thom. ubi supra, hoc tamen fiat sine scandalo: & abstineat ab hoc sacerdos quanto magis potest, ubi scandalum timetur. ille etiam, cui reuelatur de licentia confitentis, tenetur illud seruare, & celare, sicut Confessor principalis, nisi daretur sibi licentia à Confitente, quod ille absolute, ac libens faciat, ac si esset publice factum.

Caueat autem confessor, ne sic reuelando de licentia cõfitentis dicat narrando: Dictum est mihi in confessione hoc, quia in nullo casu debet, nec potest hoc facere, quantumcunque haberet licentiam à confitente, quia ista sola uerba includunt peccatum mortale, quia includũt reuelationem huius, vt cogniti eo modo, quo non licet reuelare secundum Scotum. Dicit tamen

men subtilis doctor. in 4. distin. 21. q. 2. quòd ad celationem peccati in confessione detenti tenetur homo de lege naturæ iuxta illud: Non facias alijs. & c. Matt. 7. quia quisque tenetur conseruare famam alterius, sicut propriam. Similiter fidelitatem debet seruare, quam bene vult sibi seruari. item de lege positiua, quæ est: De confessione aliqua nullus te tradere debet. talis etiam dat occasionem ficte confitendi.

Tertio caueat sacerdos, ne audiat mulierem illam, cum qua peccauit, scilicet Cõcubinam, uel Adulteram suã. nam licet secundum dominum Arch. 30. q. 1. in cap. omnes. super glo. 2. talis sacerdos potest tali mulieri iniungere pœnitentiam, cum sit parochiana eius secundum Vgonem, qui hoc notat. 3. q. 7. c. ult. Quicquid tamen est de hoc, ego video aliud, scilicet, quod clerici non debent suis concubinis pœnitentiam iniungere, sed magis eas inducant, vt ab alijs pœnitentiam accipiãt: vt in glo. 33. q. 2. placuit. & hoc totum est propter honestatem, secundum Barth. Brixien. & propter ordinem, secundum Hug. quantum tamen est de iuris rigore, si presbyter dat pœnitentiam concubinæ suæ pro delicto commisso, valebit pœnitentia secundum Arch. qui ita notat, in 30. quæst. 2. ubi hoc idem sentit. Lau. Polonus dicens cum gloss. 30. q. 1. omnes, quòd presbyter orientalis sicut Ruthenus, uel Græcus non audit peccata suæ vxoris, quia nec ipsa libere confiteretur, si adulterium cõmisit; ergo in omnibus istis melius est personas huiusmodi remittere ad superiores; & ego miror de tantis in hoc magnam difficultatẽ facientibus an presbyter possit audire suæ concubinæ confessionem. ego autem video, quòd iste casus est Episcopalis: vt dictum est supra de casibus episcopalibus.

Quarto caueat sacerdos, ne existens in crimine audiat confessionem aliorum: nam talis grauiter peccat. quia sacerdos bene docendo populum, & male viuendo, instruit Deum, quomodo eum debeat condẽnare 40. distin. multi. & pœniten. dist. 6. qui vult. uersic. sacerdos. vbi dicit. Aug. sacerdos, cui omnis offertur peccator. ante quem statuitur omnis languor, in nullo eorum sit iudicandus, quæ in alio est iudicare prõptus. quando ergo tu legis auctoritates, q̃ soli sãcti existentes soluunt peccatores, etiã mali, quandoque iudicabant aliorum excessus, & peccata, *sicut Saul cum à* domino esset reprobatus, populum Dei iudicabat, & iudicium vniuersus populus expectabat. Item Dauid cum esset adulter, & homicida, interrogatus a Propheta, sententiam in diuitem dedit, qui ouẽ pauperis rapuit, dicẽs: Filius mortis est *vir: qui* fecit hoc. 11. Regum. 20. *item* Salomon cum amore mulierc̃larum deos gentilium coleret, tamen vniuersa plebs israelitica ad eius iudicium confluebat. Sic & Achab, quamuis coleret Baal; tamen decem tribus iudicabat. 3. Regum. 22. non te decipias. quisquis ista legis. quia nihilominus grauiter peccas, licet absolutio, quam facis, in subditos teneat apud Deum, quantum ex officio, non ex iuris merito, quia vbique melius faceres, si ex vtroque absolueres; quia & tibi meriti gratiam meteris, & confitenti veniam adaugeres.

Vltimo

Vltimo caueat sacerdos, ne confitentem, qui non vult, vel non potest sufferre onus pœnitentiæ, remittat à se vacuum. Caueat etiam ne exigat iuramentum à confitente de peccato illo, de quo confessus est, amplius non faciendo, nec committẽdo. hoc enim reprobatur. 11.q.3. vbi gl. dicit, quod ab hæreticis reuertentibus, & ab incendiarijs, vel in horrẽdis criminibus similibus tantum iuramentum exigeretur, vt iuraret confitens de cetero se nunquam simile commissurum. & expressè prohibet gloss. ibidem hoc non fieri in quolibet peccato mortali. Ego autem comperi quosdam apud se à mulieribus coniugatis extorsisse iuramenta super fornicationem, & adulterium de cetero non faciendam. quod quanti periculi sit, quilibet aduertere potest.

Quando ergo venit ad te homo, qui non vult subire onus pœnitentiæ: dicas iuxta tenorem Capit. quod quidem de pœnit. & remiss. quod si confitetur. sed si dicit abstinere non posse, nihilominus eius confessionem audias, & dicas ei, quòd non est vera pœnitentia talis, & quod disponat se, quãto citius potest, ad propositum abstinendi à peccatis huiusmodi. cum autem habet propositum abstinendi a peccatis, sed non vult subire onus pœnitentiæ tam magnum, sicut sua peccata requirunt, dicendum est ei: Carissime fili debuisti pro istis peccatis pœnitentiam agere tantam, vel tãtam, sed ex quo non vis sufferre eam, scias quòd exigetur à te in Purgatorio, & nihilominus, ex quo habes contritionem, ego te absoluam. In hoc enim casu melius est de misericordia facere rationem, quam de iustitia. Si tamẽ esset suspectus aliquis, de quo ꝓsumitur, quòd non faciat, quod ei præcipitur, dicendum est ei, quòd si non faciat hoc, puta, quòd non restituat talem rem, de qua confitetur, quòd carebit fructu confessionis, & iste est modus optimus, & securior.

DE POENITENTIIS INfirmorum, & decedentium de hac vita.

HAbitis cautelis, modis, & dispositionibus pœnitentium in bona sanitate, videndum est de pœnitentijs infirmorum, & decedentium de hac vita. est igitur sciendum, quòd sacerdos circa quemlibet morituum, primo ad eum veniens, ita quærat, secundum consilium Anselmi dicens: Carissime fili habes ne forte intentionem abstinendi a peccatis, si super vixeris, & de eis satisfaciendi? & ille dicat, quòd sic. Item lætaris; quòd in fide Christiana decedis? & ille respondeat etiam: Item fateris te non bene vixisse, sicut debuisses? Respondeat fateor. Item credis, quòd propter te est mortuus filius dei viui, Iesus Christus? Respon. etiam. Item credis resurrectionẽ mortuorum? Resp. etiam. Tunc hortetur infirmum dicens: Age, age ergo pœnitentiam, dum est anima in te, habendo veram contritionem: & in morte Christi veram fiduciam constitue. huic morti te totum committe, hac morte te totum contege, & inuolue, & cum dominus Deus tuus voluerit te iudicare, scilicet iuxta peccata tua dic: Domine, mortem domini nostri

Iesu Christi obcicio inter me, & iudicium tuum. aliter tecum non contendo. Si dixerit Deus, quòd meres damnationē; dic: Attendo Crucem domini nostri Iesu Christi, nulla merita mea; ipsiusque meritum offero pro merito meo. Modo, quod ego habere debuissem, non habeo. istis sic habitis audiat eius confessionem, qui cum confessus fuerit non est imponenda quantitas pœnitentiæ, sed innotescenda. 26. q. 7. ab infirmis, qui post quam conualuerit, illam pęnitentiam seruare debebit. Dicat ergo ei confessor: Bone fili, ecce tu pro istis peccatis tantum deberes pati si superuiueres: vnde ex quo iam non potes satisfacere pro eis in præsenti vita, doleas saltem quantum potes: Roga tamen amicum ad faciendas pro te orationes, & eleemosinas: Si autem conualueris, accedas iterum ad me, & ego iniungam tibi pęnitentiam salutarem.

Quare autem innotescenda est pœnitentia taliter decedenti? Arch. in d.c. ab infirmis dicit, quòd propter duo scilicet, vt sciant amici, quam recompensationem facere debeant, & vt iste sciat, qualiter pœnitere debeat, si superuixerit, & idem ponit uerba qualiter tales sunt admonendi dicens: alia peccata, qualia tu perpetrasti, tot annorum à nobis pœnitentiam accipiūt, sed te interim quousque euaseris, forte expectamus, vt tūc tibi congruā pœnitentiam imponam. Si autem dominus noster terminum tibi dare voluerit, per auctoritatem Petri & Pauli principis, cui datę sunt claues regni cęlorum, absoluo te à peccatis tuis prędictis, & sacrificia & preces, nec non elemosinas, & ieiunia, nec non & cætera opera pietatis, quę fecit, tibi profutura in redemptionē animę iudico &c.

QVOMODO SACERDOS se habere debeat erga infirmos.

VT autem practicam habeat sacerdos circa prædicta, sic procedat, ueniens ad infirmum, pręmissis istis interrogationibus supradictis, audita confessione, nō iniungendo, sed innotescendo pœnitentiam eo modo, quo supradictum est, sic eum absoluat:

MIsereatur tui omnipotens Deus: & dimittat tibi peccata tua, & perducat te in uitam æternam.

Dominus noster Iesus Christus te absoluat ab omnibus peccatis tuis, quæ commisisti, cogitatione, locutione opere, & omissione: & auctoritate domini nostri Iesu Christi, qua fungor in hac parte, Ego te absoluo ab omnibus sententijs excommunicationis minoris, & maioris ab homine, uel à canone in te latis, & ab omnibus peccatis tuis Deo, & mihi cōfessis, & contritis, & oblitis, & restituo te in gremium sanctę Matris Ecclesiæ, & participationi sacramantorum; in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, Amen. Si vero decedens habens bullam papalem, à pœna, & a culpa in agone tantum, tūc obseruetur forma bullæ, & absoluatur sic. & primo tam in isto casu, quam in omnibus supradictis, promittat decedens satisfactionē de omnibus, quibus tenetur, uel à quibus illicite a reuel recepit per vsuras, uel aliter iniuste, & hoc faciat per se, si super vixerit, intra certum tempus sibi assignandum, uel per suos heredes, quos tunc obligaret & tunc

tunc deinde absoluatur prẽmittendo, sicut prius: Miserentur tui omnipotens &c. & auctoritate domini nostri Iesu Christi, & sanctorum Petri, & Pauli, & auctoritate domini. N. Papę mihi in hac parte vigore gratię tibi factę commissa, ego te absoluo ab omnibus sententijs excommunicationis, maioris, vel minoris, ab homine, vel à canone in te latis, concedoque tibi omnium peccatorum tuorum, de quibus contritus es, & confessus, plenam remissionem, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, Amen.

Circa prædicta tamen est sciendum quòd quilibet sacerdos simplex in mortis articulo habet plenam auctoritatem absoluendi decedentem ab omnibus excommunicationibus, & peccatis, seruata tamẽ forma ecclesiæ.

Vnde quantumcunque vnus sit excommunicatus, a iure, vel ab homine, dummodo fuerit in forma ecclesiæ absolutus, sepelietur in cemiterio, nisi ius sibi specialiter denegasset sepulturã, & inhibuisset, ut patet de torniamẽtis per totum, & sic de alijs. forma autẽ ecclesię circa istos seruãda, est hæc:

Primo si est excommunicatus per contumaciam, promittat stare & parere iuri, si autem est excommunicatus pro debito, promittat quod quam cito conualeat, satisfaciat creditori, siue sint vsuræ, siue rapina, siue spolia, siue quod cunque aliud debitum. quod si contigerit eum decedere, tunc ponat hęredes suos, uel alios habentes ibi bona, fideiussores suos, qui pro ipso satisfaciant cum effectu, & hoc ipsi fideiussores debent facere & promittere antequam absoluatur. Dicendum est etiã ei quod si superuixerit, & intra tempus sibi assignatum, post quam conualuerit, & non satisfecerit re incidet in sententiam eandem excommunicationis, vt patet, in cap. eos, qui de senten. excommun. li. 6. si autem esset pauper, qui non posset facere, vel habere fideiussores, saltem promittat, quòd postquam ad pinguiorem fortunam veniet, vult satisfacere, & sufficit. de solut. capit. Oduardus. omnibus autem præmissis, sacerdos coram testibus potest in Cemiterio vel in ecclesia eo modo quo dictum est supra. vnde sic dicit Gregorius Papa nonus. c. ult. de sepul. cuilibet curato parochiano tuo, qui excommunicatus est pro manifestis excessibus, videlicet pro homicidio, incendio, violenta manuum iniectione in personas ecclesiasticas, vel ecclesiarum violatione, vel incestu, dũ ageret in extremis per presbyterum suum iuxta formam ecclesiæ absolutus, non debent Cemeterium & alia ecclesiastica suffragia denegari, sed eius hæredes & propinqui, ad quos bona peruenerunt ipsius, vt pro eodem satisfaciant, Censura ecclesiastica sunt compellendi. hæc ibi.

Et quia multi dubitant, vtrum taliter absoluti in agone, postea debeant absolui per iudicem superiorem: ex quo fuerunt excommunicati: est sciendum quòd si prædicti infirmi conualescunt, & faciunt ea, quæ eis iniunguntur, non debent ulterius quærere vlteriorem absolutionem ab aliquo iudice, à quo fuerunt excommunicati: sed contenti erunt absolutione simplicis sacerdotis, per quem fuerunt in agone absoluti. Alias enim ad quid valeret illa forma circa eos obseruata? illa enim absolutio circa eos facta dum

tra-

tradebatur in agone, licet non decesserit, est valida in tantum, ac si per illum iudicem, per quem fuerunt excommunicati, fuisset facta, quia in tali articulo quilibet sacerdos, est Papa. de pœniten. dist. 1. quem pœnitet. & de sent. excommu. non dubitet. & eo. tit. eos, qui lib. 6. sciat autem sacerdos, qui absoluit vsurarium, vel raptorem, uel incendiarium, sacrilegum, homicidam, percussorem clerici, vel similem, in agone sine forma supradicta, puta non accepta ab eo promissione, uel cautione fideiussoria sufficienti, quòd ipse solus soluat illis, quos negotium tangit. tenetur enim ex quo non satisfecit formæ statutæ ab ecclesia, & illis subtraxit personam, contra quam restabat eis actio. ad hoc facit Clemen. eos qui. de sepul. nec puta ipsum absolutum fuisse, quo ad actionem, quia ecclesia non habebit eum pro absoluto, nisi alias sacerdos satisfecerit pro eo.

QVAE POENITENTIA debeat imponi pro vno quoque peccato.

QVanto peccatum est grauius, tanto, cæteris paribus, debet fieri, & imponi maior, & grauior pœnitentia, seu satisfactio pro eo. & dico, cæteris paribus, quia tales circunstantiæ possunt esse ex parte personæ peccantis, vel ex parte peccati pro minus graui peccato debeat impo ni grauior pœnitentia, vel satisfactio. v. g. interficere matrem, grauius est peccatum, quàm interficere vxorem, & tamen grauior pœnitentia debet imponi de iure uxoricidæ, quam matricidæ, & ratio est, quia pœnitentia debet esse talis, quòd sit remediũ peccati præteriti, & cautela futuri, & ideo quia homines sunt magis *pni* ad uxoricidium, quam ad matricidium, vt magis retrahantur, maior pœnitentia debet imponi pro vxoricidio, quàm pro matricidio, & in simili casu maior pœnitentia debet imponi iuueni lubrico, quàm seni. Sed, ceteris paribus, quanto peccatum est grauius, tanto maior pœnitentia debet imponi pro eo. Ad videndum ergo, quæ pœnitentia pro unoquoque peccato sit imponenda, videndum est de gradibus peccatorum, quod, scilicet, peccatum grauius est altero.

Notandum ergo, quòd grauitas potest attendi in peccatis tribus *modis*. vno modo ex parte causæ *inducentis* ad peccatum, nam secundum *quod* dicit Gregorius, peccatum *tribus modis* committitur, scilicet aut ignorantia, aut infirmitate, aut studio, idest certa scientia perpetratur. modo peccatum, quod perpetratur ex infirmitate, est grauius, quàm si perpetretur per ignorantiam, sed multò grauius, si perpetretur ex certa scientia de pœniten. dist. 2 sciendum. Vnde maior pœnitentia imponenda est pro peccato perpetrato ex infirmitate, idest ex tentatione, uel fragilitate, quam pro peccato perpetrato ex ignorantia, & multo maior pro peccato perpetrato ex certa scientia, nec est hoc contra illud dictum, quod dicit Ambros. dicens: Graiter peccat, qui sibi promittit impunitatem, grauius qui contemnit, sed grauissime qui ignorat.

Expone Grauissime, idest periculosissime, quia specialis pœnitentia non agitur de peccato, quod ignoratur. Vnde Ioan. Chrisostomus, alias,

os aureum: Nullum inuenitur, inquit, delictorum tale remedium, sicut eorũ continuata memoria. de pœniten. d. 3. Iudas. & hoc intelligas cum homo recordatur de peccato, ad contritionem non ad delectationem. Alio modo potest attendi grauitas circa idem peccatum ex parte ipsius peccati. nam, vt dicit Aug. tribus gradibus peruenitur ad peccatum, scilicet, suggestione, delectatione, & consensu: ita ipsius peccati sunt tres differentiæ, scilicet peccatum in corde, peccatum in ore, & in opere, & peccatum in consuetudine. Ita quod peccatum in opere est grauius, quàm peccatum in corde, sed grauissimum est in consuetudine. vnde istæ tres differentiæ, siue offensæ, peccatorum, intelliguntur per tres mortuos, quos Christus dicitur suscitasse, scilicet Filiam Archisinagogi, Filium viduæ, & Lazarum. Puellam suscitauit verbo tantum: Puerum verbo, & motu. Lazarum verbo, & motu, & lacrimis, ad ostendendum, quod maior pœnitentia est imponenda pro peccato operationis, quàm pro peccato cogitationis, sed multo magis pro peccato consuetudinis. Vnde puellam suscitauit in domo: ecce peccatum cogitationis: Puerum in porta Ciuitatis, ecce peccatum operationis: Lazarum quatriduanum in monumento, ecce peccatum consuetudinis.

De impositione Pœnitentiæ.

VIso quomodo est gradus in peccatis, videndum quomodo habet se habere sacerdos circa impositionem pœnitentiæ. Circa quòd sciendum, quòd communis sententia doctorum tenet, quòd omnes pœnitentiæ sunt arbitrariæ, idest arbitrio sacerdotis taxandæ, & hoc consideratis criminum quantitate, & qualitate. Item consideratis, personę dignitate, officio paupertate, infirmitate, siue debilitate, complexione, consuetudine, societate, lacrimis; deuotione, religione, regionis, & tẽporis qualitate, necnon & oĩbus alijs circunstantijs supradictis.

Nota, quòd circa impositionem pœnitentiarum, bonum est scire casus pœnitentiales, quos ponit Hostien. in summa sua. ti. d. pœnit. vbi dicit. quod qui istos casus ignorat. non meretur habere nomen sacerdotis. & debet cõfitenti peccatori sacerdos declarare, qui ad hoc debet esse discretus. Pœnitentia tamen potest moderare secundum qualitatem, & sic potest dicere pro quolibet peccato, tu debes sic pœnitere, sed forte vita non sufficeret. Ideo do tibi talem, &c. pro omnibus peccatis tuis concedo tibi, quòd indulgentiæ factæ prosint tibi, & omnia bona, quæ facies, & quæ amore dei sustinebis, iniungo pro pœnitentia. Vnde Leo Papa: tempora pœnitudinis, idest pœnitentiæ habita moderatione consideranda sunt iudicio tuo. prout conuersorum, idest pœnitentium animos prospexeris esse deuotos:

Item in octaua sinodo hoc fuit impositum in iudicio eorum; qui prę sunt; vel quanto tempore, vel quali modo pœnitere debeant, qui delinquunt. 26. q. 7. Tempora ipsa. & cap. hoc sit. hoc idem dicit Hier. de pœniten. distin. 1. mensura, scilicet in arbitrio sacerdotis esse derelictum tempus pœnitentiæ.

Vnde etiam posset esse tanta contritio confitentis quod pro peccato maximo esset ei modica, immo quasi nulla pœnitentia imponenda, sicut fecit

Do-

Dominus Papa Clemens. 4. qui cum quadam die equitaret per Romam, quædam mulier, quæ de remotis partibus venerat, & accesit ad eum portans vnum puerum paruulum in brachijs, & voce magna cum lacrimis clamauit: Pater sancte, miserere mei peccatricis,& da mihi pœnitentiam, quia habui istum filium, quem hic porto,à filio meo. & Papa coram omnibus absoluit eam, & imposuit sibi pœnitentiam, quòd ieiunaret per annum sextas ferias in pane, & aqua. & mulier recedens, & reuoluens secum grauitatem peccati, & paruitatem pœnitentiæ,credidit, quòd Papa non bene intellexerit eam, & in crastinum accessit ad Papam equitantem, & confessa est sibi sicut prius. Papa absoluit eam, iniungens pœnitentiam, quod diceret tria Pater noster. Mulier itaque recedens, & secum,ut prius,peccatum, & pœnitentiam reuoluens;iterum ad Papam rediens, & coram omnibus, ut prius fecerat, confessa est.quam Papa absoluit imponens ei pœnitentiam, vt diceret vnum Pater noster: & cum interrogaretur, quare ei ita modicam imponeret pœnitentiam: Respondit Papa:plus ascendit dolor, & verecundia, quam passa est, ita publicè confitendo peccatum suum, quam si omnibus diebus vitæ suæ ieiunasset pane,& aqua. Exemplo ergo isto in impositione pœnitentiæ debet sacerdos attendere,contritionem,dolorem,verecundiamque confitentis,& secundū quod videt maiorem,vel minorem contritionem, debet imponere maiorem, vel minorem pœnitentiam.

Notandum etiam, quòd sacerdos debet imponere pœnitentiam per cō. trarium correspondentem ipsi peccato:vt Superbo,orationem: Auaro elee mosinam: Luxurioso ieiunium,& si videatur expedire peregrinationem,vel loci mutationem, ut sic maceretur caro,& refrænetur, & non reficietur ad delectationem ex memoria facti, vel aspectu personæ, vel loci, cum qua,& in quo peccauit, & fuit peccatum perpetratum. vt 18.dist. valet.15.q.1.mulier.notandum est etiam, quòd debet cauere sacerdos, ne imponat pœnitentiam seruo,per quam fiat prejudicium domino;nec Discipulo, per quam fiat præiudicium magistro,nec econuerso, & istud maxime caueat circa virum, & vxorem, quod non imponat alicui pœnitentiam talem, per *quam alius* posset peruenire in *cognitionem peccati*.

Item pone, quod aliquis cōfiteatur peccata sua, & non vult abstinere ab vno & nō ab altero,nūquid admittendus est ad pœnitētiā? Dico q; sacerdos debet confessionem istius audire, & recipere, & cum non absoluere, sed debet sibi de peccatis confessis salubrius consilium,quod poterit,exhibere,& consulere, quod faciat aliquam pœnitentiam pro peccatis, & inducere ad bonum,quantum poterit,& omnia bona, quæ de consilio sacerdotis iste faciet, quantumcunque informia, idest sine charitate facta, quamuis sibi non valeant directe, quantum ad vitam æternam obtinendam, tamen valebunt sibi ad quatuor uel ad aliquod ipsorum. Primo ad extremi iudicij supplicium,tolerabilius subeundum, de pœnit.dist.3.si quis autem non habens charitatem.Secundo, ad temporalem prosperitatem obtinendam. de

pœni.

pœni.dist.3.cauendum.22.q.2.Si quibus. Tertio, ad hoc, vt illustretur citius cor eius ad pœnitentiam.de pœniten.dist.3.stans in fin.q. quia diabolus nō potest sibi tantum nocere, sicut patet de iudæo, de quo narrat Grego. in libro dialogorum, quòd quia se signauerat, dæmones non potuerunt sibi nocere.ex dictis patet, quod ad hoc quòd pœnitentia sit satisfactoria, & meritoria, oportet, quòd sit facta in charitate, idest quod ille, qui facit eā sit sine peccato mortali sed illa, quæ nunquam fuerunt viua, idest illa, quæ fuerunt facta in peccato mortali, nunquam possunt viuificari, vnde versus:

Illa reuiuiscunt, quæ viua nata fuerunt,
Viuere non possunt, quæ mortua nata fuerunt.

REGVLAE, QVIBVS peccata mortalia, atque venialia sunt cognoscenda.

EXpeditis modis congruis, quibus se confessores circa audiendas confessiones regere debent, vtile iudicaui, confessoribus occasionem dare aliquam cognoscendi, etsi non certitudinaliter, coniecturatiue tamen peccata mortalia, & venialia. Pro quo, primo est sciendum, quòd peccatum mortale sic difinitur: Est commissio, siue omissio voluntaria rectæ rationi contraria, ratione cuius, per se deperditur gratia. Vnde ex hoc non plus accipe, nisi, quòd peccatum mortale est conuersio inordinata per delectationem ad creaturam supra Deum, vel æqualiter cum Deo. Venia le autem fit per delectationem in creatura circa Deum, vel sub Deo, & dicitur mortale, quasi magis dignū morte, quia infert mortem, & aufert vitam gratiæ. veniale autem, quia venia dignum: & committitur veniale ex impotentia, & inani inaduertētia, & ignorantia, & cum nullum istorum procedat ex malo proposito, siue malitia, ergo dicitur venia dignum. Ponam igitur aliquas regulas de notitia peccatorum mortalium.

PRima est, quandocunque homo præfert creaturam Creatori, vt puta magis ei intendendo, sibi plus credendo, de ipsa plus confitendo, quam de Deo. similiter ei plus placendo, quam Deo, & mandatis eius prōptius obediendo, aut ei subijciendo, aut difficiliora pro ea, quàm pro Deo sustinendo, plus in ea, quàm in Deo delectando, aut pro ea diuina mandata transgrediendo: aut in ea sufficientiam suam ponendo. tunc semper præsumitur mortale peccatum. Ex hoc ergo collige notabile dictum, quòd quando amor, uel affectio ad creaturam, siue ad se, siue ad alium tantum crescit in homine, vel est tam magna, quod in ea constituitur vltimus finis, sic quòd aliquis nec actu, nec habitu ordinet illam creaturam, nec eius delectationem, aut etiam se ipsum secundum Deum, sed vult cum tali creatura contentari, & non curat Deum offendere, aut præcepta eius transgredi propter illam creaturam, vel non curaret de beatitudine, dummodo posset hic manere cum tali creatura, omnia ista sunt mortalia, quia includunt contemptum Dei, licet non formalem, tamen interpretatiuum: & est fruitio creaturæ, quę

præponitur Deo. hoc est contra illos, qui amore amasiarum de bacchati dicunt: ò si tecum possem in perpetuum manere, non curarem, si Deus in cœlo resideret, & me hic tecum dimitteret. O miser, & omnium miserorum infelicissime qui non gustasti, quam suauis est dominus sperantibus in se, & quanta præparauit diligentibus se. Si tamē aliquis diligit creaturā plus, quam debet, sed tamen propter hoc Deum nollet offendere, aut eius amicitiam perdere, nec transgredi eius præceptum, aut eum propter hoc deserere: tunc non oportet, quòd sit mortale.

SEcunda regula, quando aliquid committitur contra dilectionem Dei, uel proximi notabiliter, tunc est mortale. illud autem est contra dilectionem Dei, per quod violatur amicitia inter Deum, & hominem. vt cum fit aliquid contra eius prohibitionem, vel quod sibi displicet. Illud vero fit contra dilectionem proximi, quod homo facit proximo, & tamen sibi nollet hoc fieri: iuxta illud: Non facias alijs, & quod tibi rationabiliter, & ex debito uis fieri, &c. & potest etiam attendi penes scandalum actiuum. quod ego infero proximo meo per mala exempla. Sed quantum importet contra dilectionem, uel quantum sit illud scandalum ad hoc, quòd sit mortale, non præcise determinatum est: quia in modico facere contra proximum, aut in paruo scandalizare, non est mortale. unde quilibet attendat seipsum, quid sibi uellet fieri, & quid sibi nollet fieri, & per quod factum, & non factū inter se, & proximum, amicitiam, quā simul habent, absolueret.

TErtia regula, quando aliquis cō mittit, vel omittit contra præceptum Dei, uel ecclesiæ, vel legis naturæ, vel superiorum, & præsertim si sunt præcepta de necessitate salutis, uel facit contra uotum publicum. uel contra iuramentum licitum, tale est mortale.

QVarta regula, quando quis aliquid facit uel omittit contra cō scientiam formidantem, probabiliter, & dubitatiue, an sit mortale, & si conscientia non sit sufficienter instructa, est mortale.

QVinta regula, est de actibus intus manentibus, quandoquidē quis habet solam cogitationem de aliquo quantumcunque turpem, vel malam, absque tamen complacentia, seu delectatione vel consensu; tunc nunquam est peccatum mortale. sed vel veniale, vel nullum. Quando vero est cōsensus in actum, qui esset peccatum mortale, tunc semper est mortale. quia Deus uoluntatem pro facto acceptat, quando autem cum cogitatione, aut complacentia est delectatio morosa in aliquo turpi, & specialiter in libidinosis; tunc est mortale secundum dictum August. esto, quòd non sit consensus in actum. sed in solam morosam delectationem, & hoc bene est attendendum; plures enim hic decipiuntur. Ex his ergo iam ponamus practicam de singulis peccatis mortalibus, & primo de superbia, quæ tunc est peccatum mortale, secundum primam regulam, quando quis subtrahit se a subiectione, & obedientia diuina, & totam vitam suam ordinat ad laudem humanam, & ad vanamgloriam. talis enim ex quo non curat hoc facere ad laudem dei, sed potius humanam, videtur ho-

homines plus diligere, quàm Deum, quia illis plus vult complacere, quàm Deo.

Similiter est mortale per regulam secundam cum quis pro sua superbia facit extorquere pauperes proximos pro suis tunicis pompose sciendis. Similiter, cum quis non curat scandalizare proximos, sicut sunt mulieres amantes se, quæ præbent occasionem uidentibus ad concupiscendum eas. Vel, cum quis prosumptuose transgreditur præcepta Dei, uel præcepta legis naturæ, vt faciat alteri quod sibi displicet, tunc est mortale, per tertiã regulam. Quando vero quis appeteret humanam laudem, uel uanam gloriam alijs modis, tunc est veniale. Item auaritia est mortale peccatum, per secundam regulam, quando aliquis appetit diuitias habere uon curando, an per fraudem, mendacia, usuras, periuria, per ludos illicitos, uel emptiones, vel venditiones exercens illicitas, vel detinendo debita aliorum, uel mercedem seruorum suorum, peccat mortaliter. Similiter per primam regulam est peccatũ mortale, si nimia magna spes in eis constituitur, est etiam per tertiam regulam peccatum mortale, quando pro eis acquirendis negligunt præcepta salutis. ut forizando die dominico uel festiuo, item per quartam regulam fit peccatum mortale, quando dubitatur de contractu, an sit licitus, & tamen exercetur. Quando vero appetuntur diuitiæ plus quam sunt necesse, sed tamen nollet eas acquirere malo, & iniusto modo, veniale est peccatum, secundum August. in libro de purgatorio, uel quando nollet offendere Deum, nec in eis confidere, tunc, etiam est veniale, &c. Item gula est peccatum mortale per primam regulam, quando quis tantam delectationem in comessatione, vel potatione habet, quòd propter ipsam, non curat Deum offendere, aut missas negligere, uel ieiunia frangere. Item quando homo se grauiat potu intantum, quòd vsum rationis amittat, obliuiscens, vbi sit, & redditur, vt bestia; uel cum alium studiose inebriat, & hoc est peccatum mortale, per secundam regulam, & hoc est uerum, si scit fortitudinem potus, quia si nescit, & bibit excessiue causa cessionis, uel collationis amicorum & sociorum, est ueniale. Itẽ per quartam regulam est mortale, si quis contra conscientiam sibi dictantem, bibit: quia talem potum bibere, immoderate, est destructio capitis, vel quia hoc est peceatum tali die, uel quia inde scandalum oritur: est peccatum mortale.

HOC attendat presbyter visitãs tabernas, ex cuius. visitatione scandalizantur laici, si talis peccat mortaliter. iudicet se ipsum, si autem quis commedit, & bibit ex delectatione, vel vltra mensuram, uel prætiosos cibos sumit, sed tamen nollet ipse sibi per hoc ordinare aliquod impedimentum sanitatis, uel salutis, licet ei eueniat dolor capitis, vel infirmitatis: alias est veniale. Item ira quando procedit vsque ad odium proximi, ita q; vult notabiliter nocere proximo in rebus, corpore, vel honore: est mortale: per secundam regulam. Si autem excommunicatione subita vult malum proximo, non bene deliberatus, quod tamen deliberatus non faceret: non est mortale. Item inuidia, quæ est tristitia

de bono proximi, si procedit ex odio personali, est peccatum mortale, per secundam regulam. vel si gaudet de malo proximi, & tristatur de ipsius bono, & tamen ex hoc nullam habet vtilitatẽ, semper est mortale, sed sic ideo gaudet de malo, ne sit ei noxius: puta gaudet de sui inimici depressione, vt per hoc sit sibi ad nocendum minus potens, hoc non est peccatum mortale. Similiter detrahens, & infamans ex inuidia: est mortale. Item luxuria, quæ est omnis coitus extra thorum matrimonialem, semper est peccatum mortale. Similiter concupiscentia, cum delectatione morosa, uel consensus in talem actum, & omnis actus turpis in locis impudicis, ut oscula, & alia quæ verecundaretur homo facere coram hominibus, sunt peccata mortalia. Similiter dicendum est de amicitia, & fauore viri, & mulieris. quidam dicunt, quòd est mortale peccatum, eo modo videlicet, dum vnus vult complacere alteri in actibus præscriptis, scilicet osculis, motibus, & tactibus in ordinatis dans sibi potestatem in se exercendi, vel habens animum paratũ ad hoc, dum alter nollet exercere, & tales stãtes in tali periculo, vel proposito, non sunt in uia salutis. Item accidia, est tædium de diuinis rebus spiritualibus, vel tarditas, & pigritia ad audiendum de Deo, & faciendum ea, quæ ad Deũ spectant, & est mortale. Vnde patet, quòd detractio, cogitatio, uel occupatio exterior inter diuinum officium, est peccatum accidiæ, & si est studiosa applicatio ad talia impedimenta ita, quòd non curet homo à se repellere talia impertinentia ita, quòd nõ curet homo à se repellere huiusmodi cogitationes, & dimittere occupationes: est mortale peccatum.

Et nota circa prædicta, quòd aliud est mortale, aliud veniale, & aliud criminale. Vnde inter mortalia, & criminalia est differentia, sicut inter genus, & speciem, nam omne criminale est mortale, sed non è conuerso, multa enim mortalia sunt, quæ non sunt criminalia, ideſt capitalia, ideſt quæ non inducunt de capitationem, siue depositionem, vel exilium, vel intrusionem carceris, licet quodámodo omne peccatum vocetur crimen. dist. 25. Vnum §. criminis appellatio.

Primum peccatum criminale est peccatum hæresis, vt errare in fide Trinitatis. 22. q. 2. primum.

Secundum est incestus: *vt habetur.* 32. q. 2. c. Adulterium. & *capite Flagitia*.

Tertium est homicidium. l. distin. placuit.

Quartum crimen læsæ maiestatis. 6. quæst. 1. Si quis. 3. quæst. 5. Accusatoribus.

Quintum crimen sacrilegij. 2. q. 1. in primis. requirendum est. 17. q. 4. Si quis in atrio. ex c. Fratres.

Sextum conspiratio. 11 quæ. 1. conspirationum. & cap. si quis clericorum.

Septimum Adulterium. 22. quæ. 7. quid in omnibus, & eadem causa quæ. 4.

Octauum falsum testimonium. 22. q. 4. non peierabis. 6. quæst. 1. quicunque.

Nonum Crimen Simoniæ, respectu cuius omnia crimina pro nihilo reputantur: vt de simoni. sicut simonia cap. prima. quæst. 7. Cupi. vlti.

Decimum est vsura, 4. quæst. 3. cap. plerique

plerique. Alia autem peccata non vocantur criminalia: quia non sunt capitalia, licet mortalia sint. sunt enim dispensabilia sine decoloratione status ecclesiæ. 1. q. 12. dispensatores &c. & si illa secundum Arch. 25. dist. audire.

Item peccata mortalia sunt omnia contra decem præcepta commissa, quæ enumerat Apostolus ad Roma. 1. ut Idolatria, Auaritia, Inuidia; Contemptio, Dolus, Susurratio, Detractio Contumelia, Superbia, Elatio, Inuentio malorum, In obdiētia, nam qui talia agunt: digni sunt morte. Item ad Galat. 5. enumerat alia dicens: Manifesta sunt opera carnis. quæ sunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria auaritia, veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, rixę, dissensiones, sectæ, inuidiæ, homicidia, hebrietates, commessationes, & sequitur: qui talia agunt regnum Dei non consequentur.

Peccata Venialia.

Ad ista autem reducuntur omnia alia mortalia, sed peccata uenialia enumerat August. 25. dist. qualis, vt cum aliquis plus accipit in cibo, vel potu, quam sit necesse: plus loquitur, quam oportet, plus tacet, quam expedit, quoties pauperem importune petentem exasperat: vel si sanus alijs ieiunantibus prandere velit, aut somno deditus, tardius ad ecclesiam surgit, aut vxorem, excepto desiderio filiorū, cognoscit, quòd tamen sæpe est mortale, quoties incarceratos tardius requisierit, vel infirmos non visitauit, si discordes non concordare curauit, si plus filium, vxorem, vel seruum exasperauit, seu increpauit, aut correxit, si fuerit plus blanditus, idest adulatus alicui, quam expedit. Si pauperibus esurientibus nimis delicatum cibum sibi præparauit. si in ecclesia, aut extra ecclesiam iocosis, uel fabulosis, vel otiosis verbis insisterit. si aliquid iurat incaute, quod postea implere nō potest, uel cum ex facilitate, uel temeritate maledixit. Hęc omnia diligenter examinauimus, putantes multum esse vtile circa hoc sacramentum pœnitentiæ cognoscere particulariter, & ad oculum ponere illa, sine quorum cognitione non bene potest expediri illud sacramentum.

DE EXTREMA vnctione.

INfirmatur quis ex uobis, inducat presbyteros ecclesiæ, & orent super eum vngentes eum oleo sancto in nomine domini. Iacob. 5. c. quia, vt dicit glo. de Appella. ca. qua fronte. homo propter peccatum citius mori præsumitur. 11. quęst. 3. Episcopi. & 12. quęst. 1. cap. 2. & 23. quęst. 4. ea & glo. ordinaria super verbo thematis, dicit, quod multi propter peccata plectuntur morte corporis. hinc est, quòd Saluator prouidens de remedio contra peccata hominum sanorum, ut de pœnitentia: prouidere etiam est dignatus de remedijs contra peccata hominum infirmorum, ut de extrema unctione: per quam peccata venialia dimittuntur, & etiam infirmitas corporis interdum alleuiatur. Vnde sequitur in themate: & oratio fidei saluabit infirmū, & alleuiabit eum Dominus. glos. interlin. idest, si eum contigerit mori, sic dimittentur. & hoc bene expressum in Apostolis, de quibus dicitur. Marc. 6. quod

6. quòd vngebant oleo multos infirmos,& sanabantur.quod vtique fit virtute huius sacramenti.& non alia simplici vnctione, nam apostoli tunc ungentes conferebant hoc sacramentū à Christo eis præceptū,unde dicit.Nic. de lira. super.Mar.vbi supra,quo ex eo quòd apostoli sic vngebant, patet, quòd vnctio extrema, quæ est infirmorum fuit instituta à Christo quod est contra multos dicentes, quòd Iacobus Apostolus in verbis præmissis eam instituerat: quod est falsum,cum nullus Apostolus aliquod sacramentum instituere potuerit.Sed bene publicare potuit institutum. & hoc fecit Iacobus in verbis præmissis nostri thematis, dicēs:infirmatur quis ex vobis. &c.vnde dicit Thoma. in 4. dist.23. q. 1. articu. 3. quod omnia sacramenta Christus instituit per se, sed quæ sunt difficiliora ad credendum, illa per se promulgauit: alia autem seruauit Apostolis promulganda, sicut extremam vnctionem, & confirmationem. Vnde per ista verba Thematis nostri,à Iacobo fuit istud sacramentum promulgatum,& non institutum.

EXTREMA VNCTIO est Sacramentum.

AN extrema vnctio sit sacramentum.Respon.secundum omnes catholicos,quòd sic, quia est in uisibilis gratiæ visibilis forma,nam siginificat gratiam interiorem,cum eius effectus sit remouere reliquias peccatorum,& confert gratiā iuxta illud Iacobi. 5. Et si in peccatis fuerit, dimittentur ei. Ex quo patet, quod si peccator cum sola attritione recipiat hoc sacramentum, recipiet gratiam virtute illius,& remissionem peccatorum mortalium.Item probatur, quòd sit sacramentum, quia in c. ad abolendam,de hęreticis; excommunicantur, qui aliter sentiunt de sacramentis,quam sentit ecclesia Romana: sed Romana ecclesia in Concilio Florentino sub Eugenio.4.determinauit, quòd extrema vnctio est vnum de septem sacramentis ecclesiæ.& in cap.illud superfluum.95.disti. idem determinatur,ergo ita tenendum est de fide,& oppositum est hęreticum.

VNCTIONIS EXTREMAE effectus.

QVis sit effectus huius sacramenti. Respon. quod hoc sacramentum,non imprimit characterem,& ideo est iterabile.patet quia in Concilio Flor. dicitur quòd solum tria sacramenta inprimunt charaterē, Baptismus, Confirmatio, & Ordo.

Secundo dico, quòd effectus huius sacramenti sunt tres,scilicet,gratię collatio,peccatorū remissio, & infirmitatis alleuiatio. Ita enim iuxta fidem asserendum est. nam in Concilio Tridentino, sess. 14.de sacramento extremæ vnctionis,Cano.2.ita diffinitur: Si quis dixerit sacrā infirmorū vnctionē, non conferre gratiam, nec remittere peccata, nec alleuiare infirmos: Sed iam cessasse, quasi olim tantum fuerit gratia curationum, anathema sit.

Tertio dico, quòd effectus principalis huius sacramenti est remissio per gratiæ collationem. Minus principalis est sanitas corporis, dicente Iacobo:

cobo:Et alleuiabit eum dominus,& si in peccatis fuerit dimittentur ei.

Sed tota difficultas est, ad quorum remissionem peccatorum ordinet.

Ricardus, Bonauentura, Scotus, Durandus, & Ioan.de Maior.dicunt, quòd ordinatur ad remissionem venialium.

Sed contra: quia contra venialia sunt multa remedia, & faciliora, vt aqua benedicta,oratio dominica,tunsio pectoris, &c. & in ceremonijs huius sacramenti,vna est confessio generalis,in qua remittuntur venialia, ergo non ordinatur ad remissionem venialium. item, si ordinaretur ad remissionem venialium,deberet conferri sanis.

Dico igitur cum.S. Thom. quod ordinatur ad reliquias peccatorum, quæ sunt debilitas potentiarum, tristitia,& alia,quę impediunt animam cogitare de Deo. & propterea confertur hoc sacramentum infirmis, vt possint facilius resistere tentationibus demonum, quæ tunc maxime insurgunt: & remotio illa est exhilaratio cordis, vt habetur in c.vnico, de sacra vnctione, idem dicit etiam Palu. non negamus tamen, quin remittat venialia,immo, & aliquando remittit mortalia.

In peccato ergo sunt tria, Macula, Pœna,& Reliquiæ.Ad tollendam maculam,in ingressu nouæ vitæ ordinatur Baptismus,post perditam vero vitam spiritualem ordinatur pœnitentia ad tollendam maculam: Ad pœnam vero non est aliquid per se ordinatum, manet ergo ad reliquias peccatorum tollendas extrema vnctio. Reliquiæ istæ sunt quędam qualitates infestiuę animæ, & naturalis impotentia,& ineptitudo, quæ remanet post peccatum ad exercenda bona opera, & ligamen quoddam animæ ad opera virtutis, quod prouenit à peccato.

De secundo effectu, qui est sanitas corporalis, dicitur in Concilio Florenti.quod non semper sequitur,sed quando expedit infirmis bene valere.

DIFFINITIO SACRAMENTI extremæ vnctionis.

DIffinitur autem extrema vnctio sic secundum Scotum, vbi supra:Est vnctio infirmi hominis facta in partibus determinatis corporis, cum oleo consecrato ab Episcopo,ministrata à Sacerdote, certa verba cum intentione debita proferente, ex institutione diuina efficaciter significans curationem venialium. ex qua diffinitione satis patet euidenter, à quo debeat istud sacramentum conferri, ex qua materia, & sub qua forma;de quibus per ordinem est videndum.

MATERIA SACRAMENTI extremę vnctionis.

EST primo sciendum est, q̃ materia huius sacramenti, est oleum oliuæ ab Episcopo consecratum, & nõ est oleum balsami, sicut in confirmatione, cuius est, quia qui habet exire de vita,nõ oportet, quòd habeat odorem bonæ famæ, quæ per balsamum designatur, sed sufficit ipsum habere bonam conscientiam, nec potest aliquis hoc sacramentum conferre, nisi sacerdos,& si alius confert,nihil facit.

For-

FORMA SACRAMENTI extremæ vnctionis.

SCiendum est de forma huius sacramenti, quæ est septuplex, ad septem vnctiones principales. Forma utem est hæc: Per istam sanctam vnctionem, suam pijssimam misericordiam indulgeat tibi dominus omnipotens quicquid peccasti per visum, & sic de cęteris. Licet autem in hoc sacramento fiant multæ vnctiones: vltima tamen vnctio, scilicet in pedibus, est forma respectu omniũ præcedentium, & agit in virtute omnium: & ideo in vltima vnctione gratia infunditur, quæ effectum sacramenti præbet. Vnde secundum Thomam. in 4. dist. 23. si iam aliquę partes essent inunctæ, & presbyter deficeret, sicut contingit in pestilentia, quod factum est nõ debet iterari: sed vnctiones, quę restant, per alium Sacerdotem debent compleri.

OLEVM VNCTIONIS oportet esse consecratum.

AN esset verum sacramẽtũ, si quis vngeret oleo non consecrato? Palu. & Durand. dicunt quòd Papa non posset ungere oleo non consecrato. Caietanus dubitat, an consecratio olei sit de necessitate sacramenti. & ideo probabiliter credo, quod non est de necessitate sacramenti, licet sit de necessitate præcepti. Patet, quia Iacob. & est expressa materia huius sacramenti, & forma, & minister: & tamen nulla fit mentio de consecratione olei, ergo

Item in c. Pastoralis de sacramentis non iterandis, Innocentius tertius requisitus, an ille, qui erat confirmatus oleo non benedicto, esset iterum confirmandus? Respondit: Nihil est iterandum, sed caute supplendum, quod incaute fuit omissum: ergo non erat repetenda forma, ac proinde fuit verum sacramentum. & eadem ratio erit de extrema vnctione.

VNCTIONIS SACRAMENTUM an sit de necessitate salutis.

VTrum hoc sacramentum sit de necessitate salutis: Resp. *secundum omnes*, ꝙ nõ, sed sola *tria. Baptismus*, & Pęnitentia, verò Eucharistia nullo existente legitimo impedimento, quia ordinantur ad gratiam, & remissionem peccatorum. alia sunt, quibus nolle uti esset peccatum mortale, vt Confirmatio, & Extrema vnctio. Alia duo sunt, quibus licet nolle uti, vt Matrimonium, & Ordo. vnde si quis etiam in negligentia non reciperet extremam vnctionem, nõ peccaret mortaliter. Si vero ex contemptu, peccaret mortaliter. ut si quis suppolita fide huius sacramenti nollet uti illo, ita tenent omnes, & Caietanus.

MINISTER SACRAMENTI vnctionis est omnis sacerdos.

DE ministro vero huius sacramenti, dico, quòd est solus Sacerdos, vt patet ex verbis Iacobi. Nomine autem sacerdotis intelligitur solus ille, qui ab episcopo ordinatus est sacerdos, & characterem

racterem sacerdotalem recepit. & ita iuxta fidem catholicam firmiter tenendum est. Sic enim diffinitur in Concilio Trident. Sess. 14. de sacramento extremæ vnctionis. Canon. 4. cuius verba sunt: Si quis dixerit presbyteros ecclesiæ, quos Beatus Iacobus adducendos esse ad infirmum inungendum hortatur, non esse sacerdotes ab Episcopo ordinatos, sed ætate seniores, in qua vis communitate, ob idque proprium extremæ vnctionis ministrum non esse solum sacerdotem, Anathema sit. & quia hoc ordinatur ad remissionem peccatorum, & omnis sacerdos potest peccata remittere, ac proinde quilibet sacerdos potest hoc sacramentum ministrare, non ex commissione Prælatorum, sed ex officio, quia hoc non pertinet ad iuridictionem. De iure vero, & non de necessitate sacramenti requiritur, quòd sit proprius sacerdos: sed proprio sacerdote deficiente, quilibet sacerdos, præter religiosos, in necessitate potest, & debet communicare infirmum, & vngere: sed in casu necessitatis possunt etiam Religiosi, & cum licentia curati, sed suos Fratres ex Priuilegio.

VNCTIONIS SACRAMENTVM infirmis dandum.

AN sanis debeat hoc sacramentum conferri. Resp. secundum S. Thom. & alios, quòd non, patet ex verbis Iacob. 5. Infirmatur quis in vobis. Item quia hoc sacramentum est curatiuum, & exterius debet significare quod interius facit; curatio autem solis infirmis conuenit, ergo soli debent iniungi. Si autem quando inunguntur moriantur, non procedatur ulterius. Sed si vero sit dubium, vngat sub dubio dicēs: si es mortuus, non te vngo: si vero non es mortuus, per istam sanctam vnctionem, & suam pijssimam &c.

INFIRMI IN MORTIS periculo sunt vngendi, sed non omnes.

VTrum omnes infirmi sint ungendi? Resp. quod communis sentētia est, quòd solus infirmus, qui est in periculo mortis probabilis, est capax huius sacramenti: Probat S. Thom. quia hoc sacramentum est ultima medicina, vt etiam sonat ipsum nomen extrema unctio. ergo est adhibenda, quando non est aliud remediū, nec spes. nec tamen infirmi omnes, qui sunt in tali periculo, sunt ungendi. nā primo excipiuntur Pueri, quia in ipsa forma dicitur: indulgeat tibi deus quicquid deliquisti. & eadem ratione excipiuntur perpetuo dementes, quia nūquam peccauerunt actualiter. is autem, qui adultus baptizatur, si ille infirmetur ad mortem, est ungendus, vt tenet Palu. & Host. quia instant ei magna certamina. Excipiuntur etiam damnati ad mortem, quia nō sunt iam capaces salutis corporalis, qui est unus effectus huius sacramenti. excipiuntur etiam furiosi, & amentes, quia habent dilucida interualla, nisi fuerint bonæ vitæ, & formaliter illud petierint, hoc est propter defectum uenerationis.

INFIRMI IN QVIBVS corporis partibus vngendi.

DEBET autem fieri vnctio super organa quinq; sensuum, quæ sunt quasi primæ radices peccandi. vnde oculi vnguntur propter visum, quo peccamus: aures propter auditū, nares propter odoratum, labia ,ppter gustum, manus propter tactum, pedes vero propter uim motiuam, quod non est de necessitate. Cor autem non vngitur, quia est principium immediatū vitæ remotum actionis, nec genitalia propter immunditiam, & reuerentiam sacramenti, nec lingua propter abominationem. Item secundum Thomam, mutilati inungi debent quanto propinquius possunt circa patres, quæ inungi debuerant, quia quamuis non habeant membra, tamen habent potentias, quæ illis membris debentur, saltem in radice, & ideo interius peccare possunt per ea, quæ ad eos pertinent.

QVARE NON SEMPER homo infirmus vnctus surgit de infirmitate, sed sæpius moritur?

RESpondeo, quòd in isto sacramento sanitas est effectus secūdarius, & ideo non datur nisi secūdum quòd expedit ad sanitatem spiritualem, quia tunc semper eam inducit, dummodo non sit impedimentum ex parte recipientis. Vnde patet, quòd vnctus in extremis, si non surgit ab infirmitate illa per illam vnctionem, signum est, quòd sanitas corporalis est sibi nociua, & vult Deus potius eum sic habere infirmum, quàm sanum: Vel signum est in conscientia, quòd adhuc aliquid habet, quod impedit, ne sanitas corporalis sibi restituatur. alias nrò fallit. in hoc enim sacramento vnctio exterior est sacramentum, sed rei sacramenti est sanitas corporis, & animæ. Res autem, & sacramentum est unctio spiritualis interioris. id est mentis iocunditas, uel solatium. Potest autem hoc sacramentum sacerdos conferre cum uno clerico, qui sibi respondeat ad orationes, & Psalmos, qui ibi dicuntur: si tamen caret clerico, potest solus expedire totum, secundum Guliel. & Host.

Si autem ungit *Sacerdos, non* est opus clerico, qui *respondeat ad Psalmos*, & orationes, sed ipsemet *respon*deat solus, cum dicit in litania: Sancta Maria, Ora pro me. Sancte Petre, Ora pro me, &c. similiter, cum dicitur: A morte perpetua; Respondeat: Libera me domine'.

Nec vngantur sacerdoti manus in palmis interioribus, quæ vnctæ sunt per Episcopum in ordinibus; sed exterius vngantur in superficie. De hoc tamen non est magna uis, qualitercunque faciat. Sed tamen illud securius est, & tutius.

DE PRACTICA HVIVS Sacramenti.

PRactica huius sacramenti est facilis, nam præmittit Sacerdos, primo veniens in domū infirmi, septem Psalmos pœnitentiales cum litania, deinde interroget infirmum, an velit sacramentū vnctionis. Postea dicit orationes poti-

tas in libello, ad hoc congruas, item vngit eum forma supradicta, & cum stuppa tergit loca vncta, & proijcit in ignem. deinde facit signum passionis Christi, in cuius virtute illud sacramentum, sicut & alia, habet uirtutem sanatiuam animæ, & corporis.

DE SACRAMENTO ordinis.

REgale sacerdotium, gẽs sancta, populus acquisitionis. 1. Pet. 2. & si Christus descendens de cœlo ad terras, humanum genus, non solum à seruitute diabolica redemit, & libertati, ac dignitati restituit, iuxta illud: Non enim sumus filij ancillæ, sed liberæ, qua libertate nos Christus liberauit. ad Galat. 4. & Ioan. 8. Si filius vos liberauit, uere liberi eritis: multo tamen meliori modo statum sacerdotalem in illa libertate extulit, & dignificauit, ita vt non solum ipsi sacerdotes sint liberi commodo communi, vt cæteri homines in cõmunione, unius fidei, & participatione sacramentorum, sed etiam, quòd sunt quasi duces, præsides, & reges dipensatores, & rectores diuinorum misteriorum. Vnde dicuntur sacerdotes, quasi sacri duces, vel sacra dantes, vel sacramenta sacrificantes, seu consecrantes, quod vtique maximum est, & excedens communem statum fidelium. Vnde merito Petrus nescius eos comparare alijs, quam excellentissimis personis in congregatione fidelium, scilicet regibus, dicit: Regale sacerdotium: Ne ergo sacerdotes putarentur esse tantum nobiliores, vt Reges; additur gẽs sancta, scilicet specialiter sanctificato domino Iesu Christo, & ne leuis reputationis in sanctitate æstimarentur, vt cęteri; subiunxit; Populus acquisitionis, idest specialiter acquisitus, & Deo Appropriatus, non enim sacerdotes solum sunt populus Dei, & oues pascuæ eius iure creationis. vt omnes homines, nec redemptionis solum, vt omnes christiani, sed iure specialissimo, & peculiari, quo vocauit eos, vt virtutes eius nuncient, vt dicitur. 1. Pet. 2. quibus non super homines solum, sed & super seipsum quodammodo dedit potestatem, dando, uidelicet eis potestatem consecrandi, & conficiendi corpus suum, & sanguinem, vt dicitur. Matth. 26.

ORDINES SEPTEM omnes an sint à Christo instituti.

QVæritur, an omnes septem ordines sint ex institutione diuina? Postquam magister egit de sacramentis, quæ spectant ad priuatum remedium singulorum fidelium, hic incipit tractare de sacramentis, quæ dantur in officium, & bonum commune: vt ordo, & Matrimonium. Resp. igitur primo de sacerdotio, & diaconatu: Nemo est, qui ambigat, quin sint à Christo instituti, nec hæretici hoc negant.

Sed de alijs est dubium, & magister quidem dicit, quòd Christus reliquit omnes illos ordines seruandos in ecclesia. & Palu. 4. dist. 24. quæst. 1. tenet, quòd omnes septẽ ordines sunt ex institutione diuina. ita etiã S. Tho. videtur sentire, quia hic dicit, quòd omnes septem ordines conferunt gratiam ex opere operato. quod non posset esse, si ab eccl. sia essent instituti.

Resp. in primis, quòd isti septem ordines non sunt nouum inuentum, vt putant hæretici, sed est antiquius. quod probatur testimonijs sanctorum. Anacletus; qui successit Clemen. in cap. 2. sui decreti dicit: Episcopus Deo sacrificans, testes secum habeat, & plures, quam alij sacerdotes: in solemnioribus diebus habeat tres, aut quinque diaconos, & subdiaconos, atque reliquos ministros, qui sacris induti, &c. Ecce meminit diaconorum, & subdiaconorum, & aliorum. & Ambro. etiam super illud Ephe. 4. Ipse dicit quosdã quidem Apostolos, alios Euãgelistas, fundat omnes ordines in sacra scriptura. & Eusebius, lib 6. ecclesiasticæ istoricę. c. 33. recitat epistolam Cornelij ad Fabianum Antiochenum, in qua numerat omnes ordines ecclesiæ, qui quidem præcessit nos mille annis, & amplius, & Hieronymus in argumento, quod præponitur Epist. 1. Thessalo. dicit: Hos Thessalonicenses collaudat Apostolus, scribens eis per Titum diaconum, & Onesimum acolitum. In sacra vero scriptura non est de omnibus mentio. possumus igitur dicere ꝙ omnes hi ordines fuerunt instituti à Christo in particulari, ipso uiuente, vel saltem generaliter. quia Christus dedit potestatem ecclesiæ constituendi ministros, & consecrandi eos ad sacrificium eucharistiæ, & ad hunc sensum omnes hi ordines sunt instituti à Christo, per hoc quod dedit potestatem ecclesiæ consecrandæ, & ordinandi ministros, quotquot viderit expedire.

DE ORDINE SACERDOTALI.

Primo, de substantialibus. Secundo, de accidentalibus. Tertio de cautelis.

QVantum ad primum sciendum, quòd ordo sic diffinitur per Magistrum sententiarum. li. 4 dist. 24. est signaculum quoddam ecclesiæ, per quod spiritualis potestas traditur ordinato. ita etiã diffinit Vgo de S. victore: ordo autem sacerdotalis secundum doctores sic diffinitur in spẽ. ordo est institutio in gradu ecclesiæ; simpliciter præeminente, disponens habentem ad conficiendum Eucharistiæ sacramentum, facta ab Episcopo certa uerba cum intentione debita proferente, & in ipsa ordinatione quoddã est sacramentum tantum, vt potestas, quæ traditur: quoddam *res tantum*, vt gratia quæ confertur: *quoddam res*, & sacramẽtum, vt character, *qui imprimitur in singulis ordinibus, vt statim patebit.*

Substantialia sacramenti sacerdotalis.

SVnt autem sex de substãtia huius sacramenti, primum est potestas ordinantis, quia oportet, vt sit Episcopus. Secundum, est materia, scilicet vnctio in Sacerdotalibus. & tactus illorum, quæ sunt tangenda. Tertium, est forma verborum. Quartum, est sexus virilis, quia fœmina ordinari non potest, nec recipit characterem ordinis, si millies ordinaretur, cuius ratio est secundum Thomam, quia cum in sacerdotio debeat significari eminentia gradus, & fœmina tenet statum subiectionis, ideo non est apta ad suscipiendum hoc sacramentum. Quintum, est intentio debita, vt Episcopus intendat conferre, & clericus suscipere. Sextum, est, quod ordinandus sit prius baptizatus, alias non susciperet hoc sacramentum, quia fundamentum omnium sacramentorum deest, nihil

de

desuper ædificari potest de presbytero non baptizato, c. miserante & cap. ueniens, character, aut confirmationis non præexigitur de necessitate, sed de congruo.

VLterius est sciendum, quòd septem sunt ordines. Primus est ostiarius, cuius est custodire locum cõfectionis sacramentorum ab immundis, scilicet infidelibus, & excommunicatis. Secundus, est lectoratus, cuius est legere prophetias ad instruendos illos, qui volunt credere; & ideo secundum Thomam prophetiæ, quasi prima rudimenta eis legenda committuntur. Tertius, est exorcistarum, quorum est arctare demones per adiurationem, ne dominentur in corpore nondum baptizato. Quartus, est acolitorum, quorum est præsentare materiam, vrceolum cum aqua, & vino, & lumen accendere. Alij verò enumerant adhuc alios duos ordines, scilicet Psalmistarum, & cantorum, qui tamen secũdum Thom. in 4. dist. 24. quæst. 4. art. 2. non sunt ordines, nec sunt illa nomina ordinum, sed officiorum. cum inter ordines large acceptos computentur. & isti vocantur minores ordines.

Ordines maiores.

DEinde sequũtur sacri ordines, qui dicuntur maiores. Primus est Subdiaconus, ad quem pertinet oblationes recipere ab offerentibus, & eas diacono offerre: Item legere epistolam. &c. Secundus est diaconus, ad quem pertinet hostias ordinare in altari. Similiter legere euangelium. Tertius est presbyteratus, ad quem pertinet consecrare corpus Christi, & sanguinem, & hic est actus principalis, alius autem consequens, scilicet soluere, & ligare, per quem actum præparatur corpus Christi misticum, scilicet, fideles Christiani, vt sint apti ad corpus Christi verum.

An per sacram ordinationem Detur spiritus sanctus.

REspondetur affirmatiue, & ita est firma fide tenendum: sic enim diffinitur in Concilio Trident. ubi supra Canon. 4. ubi sic dicitur: Si quis dixerit per sacram ordinationem non dari spiritum sanctum, ac proinde frustra Episcopos dicere: Accipe spiritum sanctum, per eam non imprimi characterem, vel eum, qui sacerdos semel fuit laicum rursus fieri posse: Anathema sit.

ORDO IMPRIMIT characterem.

AN ordo imprimat characterẽ? Respon. quod sic, quia character est potestas ad aliquid spirituale: & hic datur potestas circa sacramentum Eucharistiæ. & ita etiam habetur in Concilio Florentino. & de sacerdotio non est dubitandum, de alijs si non sunt sacramenta, non est opus dicere, quòd imprimant characterem.

Ordo in ordinibus recipiendis.

VTrum, sit ordo in his sacramentis? id est, an possit fieri diaconus, qui non est subdiaconus. Resp. ♁ est præceptum, quòd seruetur ordo, & qui illum non seruaret, peccaret mortaliter. Secundo dico, quòd istæ ordo non est de necessitate sacramenti. patet in cap. vnico de clero ordinato per saltum. & qui sic est ordinatus, debet suscipere ordines, quos omisit, duntaxat a quocunque ordine incipiatur. Si

autem

autem non sit baptizatus,& susceperit ordinem, non est ordinatus, ut patet in cap.veniens de presbytero iam ordinato, & non baptizato, vbi præcipitur, quod baptizetur, & iterum ordinetur. Si autem ordinetur antequam sit confirmatus,ordo tenet,& puto, q̃ qui ex negligentia hoc præteriret,non peccaret mortaliter, licet male faceret, quia non inuenio præceptum aliquod.

Ordines recipiens in peccato, an peccet mortaliter.

AN, qui suscipit ordines in peccato mortali,peccet mortaliter?Resp.quod si suscipiat sacerdotium,peccat mortaliter, & est sacrilegus.idem est de alijs ordinibus, si sint sacramenta, si autem non sunt sacramenta, videtur quod non sit mortale, licet sit graue peccatum: maxime si suscipiat diaconatum, quia ordinatur proxime ad eucharistiam. Sed vtrum peccet mortaliter qui exercet officia sua in peccato mortali: de sacerdotio clarum est,de alijs ordinibus si sunt sacramenta est mortale, & quia hoc cõmuniter non tenetur, quòd tales peccent mortaliter. ideo verisimilius est, quòd hæc non sint sacramenta.Nihilominus(citra mortale) grauiter peccat talis.

Ordinum collator quis sit.

QVæritur, quis sit collator huius sacramenti.S.Thom.Cum alijs dicit, quòd solus Episcopus est minister ex officio suo, patet quia solus Episcopus potest consecrare templa, vasa, vestes sacras: Sed homo magis dicatur diuino cultui per susceptionẽ ordinis, quam per illa. Item patet ex c.quanto. extra de consuetudine. Sed vtrum conferre ordines possit committi non Episcopo? Resp.de minoribus ordinibus iam in iure est collata potestas aliquibus, non Episcopis, possunt enim minores ordines conferre presbyteri cardinales,& aliqui Abbates Sancti Benedicti circa monacos suos,& laicos sibi subditos,vt habetur 21.d.c.1.& 2.& d.69.cap. quoniam & de ætate,& qualitate.cap.cum contingit.& c. Abbates de priuilegijs. lib.6.& in multis alijs locis iuris. San. Thom.3.p.q.72.art.11.& 4.d.7.q.3. art.1.quæstiuncula.3.ait quod solus Episcopus habet ex officio suo conferre ordines.& quod *Episcopus non* potest committere *non Episcopo* potestatem conferendi *ordines*, *etiam* minores: & si committeret,*nihil esset* factum. Papa vero potest committere sacerdoti collationem minorum ordinum: & re uera iam commisit.dicit.S. Thom.quod collatio ordinum, etiam minorum, non potest committi nõ Sacerdoti: nec collatio maiorum ordinũ potest committi, nisi episcopo duntaxat. Idem tenet Pal.4.d.7.q.4.conclusione.2. Nam episcopus, & Papa non habent maiorem potestatem circa corpus Christi verum,quam sacerdos: licet circa corpus Christi misticum. qd est ecclesia,Papa habeat plenissimam potestatem: ac proinde illa, quæ spectat ad corpus Christi misticum: subsunt potestati Papæ.& quia potestas conferendi ordines est solum potestas circa corpus Christi misticum, ideo Papa potest committere alteri talem potestatem. quia vero potestas supra corpus Christi misticum, præsupponit potestatem supra corpus Christi verum, ideo Papa non potest committe-

re

re potestatem conferendi ordines, nisi sacerdoti, qui solus habet potestatem supra corpus Christi verum.

Vtrum episcopi hæretici, & schismatici, & excommunicati, possint ordines conferre.

RESpon. quòd peccant tam recipientes, quam ipsi conferentes nihilominus tamen veros ordines, & verum sacramentum conferunt, non est dubium.

De cautelis circa sacramentum ordinis obseruandis.

ET primo caueat Episcopus, ne ordinet alienum clericum, vel laicum: vt de temp.ordi.cum nullus. lib.6.quod si fecerit, per annum à collatione ordinum est suspendendus, & interim clerici sui absque licentia sua à vicinis Episcopis possunt ordinari.ut patet de temp.ordi.lib.6. Clerici vero, qui sine proprij Episcopi licentia ordinantur, ab executione ordinum suspendantur, tamen episcopus potest cum eis dispensare. 9. q.2. Lugdu. de temp. ordinan.

Secundo caueat Episcopus, ne ordinet aliquem ad sacros ordines sine titulo: alias solus ei prouidere tenebitur in beneficio.

Tertio caueat, ne ordinet per Simoniam: ut de Simo.per totum.nec solus Episcopus, sed etiam notarius non debet formulas vendere, de sim.c.1.

Quarto caueat ordinandus, ne recipiat ordinem aliquem ab Episcopo, quem scit simoniace in ordinem susceptum, siue sit occultum, siue manifestum: quia non recipit executionem, & indiget dispensatione.1.q.1.si quia simoniacis. dicit tamen Thom. 22.q. 8.quod si esset simoniacus alia ex causa posset ab eo recipere ordines, dummodo sit occultum; quia talis Episcopus non est suspensus ad alios, sed ad se tantum.

Quinto, caueat ordinandus, ne tempore ordinationis sit in peccato mortali: nam mortaliter peccaret.dist.11. multi.& idem sanctus Thomas.in 4.d. 24.nec talis potest vti ordine sic suscepto, secundum ipsum, quia facit cõtra præceptum, illud.Deuterono.16.iuste quod iustum est exequaris.vnde talis, quoties talẽ actũ exercet, semper peccat mortaliter. Dicit tamen Thom. ibidem, quod subditus homini ordinatus in peccato mortali tenetur ab eo recipere sacramentum.si est occultum, & hoc quamdiu toleratur ab ecclesia.tamẽ dicit idem: non est tutum talem ad aliquem actum sui ordinis exequendum inducere, durante conscientia, quod iste sit in peccato mortali, quam tamen deponere posset, in instanti homo posset à diuina gratia emendari.

Sexto caueat clericus, ne ordinetur sine examine, alias dicitur furtiue ordinatus, secundum Host.vt 63.distin. extra conscientiam. nec prosunt ei formatoriæ. Si tamen est dignus, & notus, nihil obest quia tales nõ sunt examinandi.Archi.23.d.c.nullus. Sed si est indignus, deponi debet.de corpore vitiatis.c.exposuisti.si etiã sit ignotus quamuis dignus, deponi debet.24. dist.c.vlti. & multo fortius si est indignus.l.distin. ex pœnitentibus.debet etiam confiteri publice Episcopo suo crimina, seu notoria impedimenta iuris, vel facti, ut ibidem dicitur, Si autem

tem ſubticet talia, etiam poſt pœnitẽ tiam, impediunt executionem, nec etiã ſuſcipiat aliquem ordinem ſuperiorem, omiſſo inferiori, quia hoc eſt per ſaltum promoueri, & talis debet deponi, ſi hoc faceret ex malitia, ſecus ſi ex ignorantia, vel negligentia. diſt. 18. ſicut olim, & diſpenſatione tamen Epiſcopi, ad omiſſum ordinem poteſt promoueri: ſed in ſuſcepto prius non adminiſtrabit. Datur autem gratia gratum faciens in hoc ſacramento: quæ neceſſaria eſt non ſolum ad digne ſuſcipiendum ſacramentum, ſed etiam ad digne miniſtrandum, ſecundum Thomam. & Petrum in 4. diſt. 4.

DE SACRAMENTO Matrimonij.

PRopter fornicationem habeat vnuſquiſque vxorem ſuam. 1. ad Cori. 6. & 32. q. 2. c. his ita. Licet matrimonium in ſtatu innocentiæ ſit inſtitutum in officium naturæ, hoc eſt in propagationẽ, & multiplicationem prolis ad Dei cultum: quia tamen natura lapſa vitiata eſt ex originali peccato, adeo, vt falcem propriam in meſſem non vereatur mittere alienam: quærens indifferenter quamcunque feminam, cum qua fornicationis expleat peccatum. Ideo magnus Doctor gentium, prædicator, & rector, prouidens de remedio, dicit: Propter fornicationem cuitandam vnuſquiſque habeat vxorem ſuam, per quod damnat peccatum fornicationis, & commendat ſtatum matrimonij coniugalis, in quibus verbis primo Apoſtolus ſuadet vitare fornicationem. ibi: Propter fornicationem. Secundo conſulit remedij adhibitionem: quia habeat vxorem ſuam.

Per primum damnatur error illorum, qui dicunt ſimplicem fornicationem non eſſe peccatum: allegãtes ſanctos patres ſcilicet, Abraham, Iacob, Dauid, & alios qui habebant concubinas, nec tamen illa fornicatio imputata eſt eis ad peccatum. Quibus reſpondetur ſecundum Thom. in 4. ſententia. diſt. 33. q. 4. quia quælibet fornicatio extra matrimonium, quæ tollit debitam ordinationem parentis ad prolem, quam natura ex concubitu intendit: eſt peccatum: ideo ſecundum ipſum ſine dubio ſimplex fornicatio eſt peccatum mortale, *etiam ſi lex ſcripta non eſſet, quod eſt multum notabile.*

Vbicunq; autem legimus, *aliquos* Patres habuiſſe concubinas, illud fuit pro ſpeciali diſpẽſatione ſpiritus ſancti, & ad deſignandum aliquid. Hoc enim, quod filij Iacob ex liberis, & ancillis fuerunt hæredes, deſignat quod Chriſto in baptiſmo naſcuntur filij, & hæredes per bonos, & malos miniſtros ſic etiam alia omnia in prædictis patribus ad miſterium pertinent, vt habetur latius. 32. q. 3. c. 1. 2. 3. de quo cui placet ſufficienter informari videat ſuper ſexto præcepto, non mœchaberis.

Per ſecundum damnatur Bigamia, cum dicitur: habeat vxorem ſuam, & ſic vnam tantum, non plures ſimul, vt de Saluator repetens illud Geneſ. 11. Erunt duo in carne vna. Matth. 19. dicit itaque iam non ſunt duo, ſed vna caro.

Matrimonium an ſit Sacramentum.

QVæritur, an matrimonium ſit Sacramentum; Reſpondeo, ſic,

sic, & non est dubium, nam ad Ephesi. quinto. dicitur: Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo & in ecclesia, & ita etiã determinatur in Concilio Floren. sub Eugenio. 4. idem patet ex his de sacramentis in genere. 4. 5. Item in Concilio Triden. sess. 24. de sacramento matrimonij, eadem sententia diffinitur in Cano. 1. cuius verba sunt: Si quis dixerit Matrimonium non esse verè, & propriè vnũ ex septem legis Euangelicæ sacramentis à Christo domino institutum; sed ab hominibus in ecclesiam inventum, Anathema sit.

Vtrum autem conferat gratiam.

Respon. quòd ex eo, quòd est sacramentum confert gratiam non ponentibus obicem, & rite suscipientibus, vt determinatur in Concilio Triden. sess. 7. cap. 6. 7. & 8. instituit autem Christus hoc sacramentum. Matth. 19. quando illud commendauit, & præcepit inseparabilitatem dicens: Quos Deus coniuxit, &c. ex quo & ex traditione Apostolorum. & magis ex traditione ecclesiæ, habemus, quòd matrimonium sit sacramentum.

Vtrum status coniugalis sit anteponendus statui virginitatis, vel celibatus?

REspondetur negatiue; quòd nec præferendus, nec æquandus est illis, & ita firma fide tenendum est. Sic enim diffinitur, vbi supra Cano. 10. Cuius verba sunt: Siquis dixerit statũ coniugalem anteponendum esse statui virginitatis, vel celibatus, & non esse melius, ac beatius manere in virginitate, aut celibatu, quam iungi matrimonio, Anathema sit.

An sacramentum matrimonij conferat gratiam.

RESpõdeo, quòd ex eo, quod est sacramentum, confert gratiam non ponentibus obicem & rite suscipiẽtibus, vt determinatur in Concilio Triden. sess. 7. c. 6. 7. & 8. instituit autem Christus hoc sacramentum. Matth. 19. cap. quando illud commẽdauit, & præcepit inseparabilitatem dicens: Quos Deus coniunxit homo non seperet. ex quo traditione apostolorum & magis ex traditione ecclesiæ habemus quod matrimonium sit sacramentum.

Matrimonium per Procuratorem contractum, non est sacramentum.

VTrum matrimonium contractũ per procuratores sit sacramentum. Respondet Caietanus, quòd non quia nullum sacramentum potest confici per procuratores, quia receptio gratiæ est actus personalis, & non potest dari uni pro altero: sed in quo libet sacramento nouæ legis confertur gratia, ergo. Dicimus tamen, quòd licet talis contractus, non sit sacramentum, est tamen verum matrimonium & ita factum fuit Genesis. 24. per Eliezer seruum Habraham, & patrem Rebeccæ. dicit Caietanus, quòd facilius posset Papa dispensare in hoc matrimonio, quam in eo, quod est sacramentum, scilicet inter præsentes, & per verba de præsenti.

MATRIMONII MATERIA, & forma.

SED cum in omni sacramento inueniatur materia, & forma; quæritur, quæ sit materia, & forma huius sacramẽti. Pal. 4.

dist.26.ait, quòd coniuges se habent, vt materia,& verba,ut forma.Capreo. di.26.dicit hoc esse probabile, melius tamen dicitur cum S.Thom.quòd verba vnius coniugis sunt materia,& verba alterius sunt forma,puta verba,quę primo proferuntur, sunt materia,& quæ proferuntur vltimo sunt forma, quia perficiunt sacramentum. ita ait. S. Thom.4. d. 26.q.2.arti.1.2.& 4.d. 1. ar. 1. quæstiuncula.5. 2.& ita tenendum est sine dubio.

Mulieres cur uelantur in nuptijs.

POrro secundum beatum Isidorum feminæ dum maritantur,ideo velantur,vt nouerint se semper viris suis subditas esse,& quia Rebecca videns Isaac se uelauit. item ideo nubentes post benedictionem vita vno inuicem vinculo copulantur. ne compagem. id est fidem vnitatis coniugalis disrumpant.eadem vero vita candida,purpureoque colore permiscetur. quia candor,& munditia vitæ,purpura ad sanguinem posteritatem adhibetur: ut hoc signo & continentia, & lex continendi ab utrisque tempus admoneatur, idest tempore quo abstinetur a nuptijs. abstinendum etiam a coniugali amplexu.33.q.4.per totum. nisi forte ob fragilitatem humanitatis vir ab vxore poscat coniugale debitum: vel e conuerso.quoniam poscenti,soluendum est: quia secundum Apostolum vir non habet potestatem &c. post hoc ad reddendum debitum non negetur.

Sponsæ anulus datur,& qua significatione.

ITem quòd in primis anulus a sponso sponsæ datur fit nimirum propter mutuæ dilectionis signum. vel propter id magis,vt pignore, ideſt,signo eorum corda iungãtur, vnde & in quarto digito ideo anulus inseritur quia in eo uena quædam, vt ferunt sanguinis ad cor vsque perueniat. ité P. Rotheus quidam sapiens primum ob amoris signum ferreum, anulum fecit. & ibi ad amantem inclusit & inde sub harra sponsas instituit, quia sicut ferrum omnia domat: sic amor omnia vincit.

DE SPONSALIBVS.

CIrca Matrimonij sacramentum primo videndum est de accidentalibus secundo de substantialibus.Tertio de cautelis. Quantum ad primum *sciendum est*, quòd quædam sunt accidentalia matrimonij: scilicet sponsalia: & ideo de ipsis primo videndum est. Secundo quid est matrimonium. Tertio: quæ requiruntur ad matrimonium. Quarto: quæ impediunt ipsum.Quãtum ad primum, sponsalia secundum Franciscum de Zabarellis super rubrica de sponsalibus sic diffiniuntur.Sunt futurarum nuptiarum,seu matrimonij promissio,diffinitio hæc trahitur ex cano ne.30.q.5. Nostrates. dicuntur à spondeo spondes, quia ut dicit Gaspar de caldarijs,olim sponsus & sponsa mittebant cautiones, quibus spondebant se inuincula matrimonij consentire, & fideiussores dabant, quibus id se obseruaturos obligabant. Quandoque etiam sponsalia dicuntur matrimonium:Sed tunc debet intelligi, si sunt sponsalia de præsenti, & fiunt sponsalia quatuor modis:

Primo:Te duco in vxorem. Secundo,

do, datis arrhis sponsalitijs, vt pecuniæ, vel alterius rei. Tertius: anuli subharratione. Quarto: interueniente iuramento: vt cum alter alteri iurat dicens: Iuro, quòd te in vxorem ducere volo. Quomodocunque ergo quis istorum quatuor modorum promittit ducere aliquam, & postea non curat, peccat mortaliter, nisi legitimũ impedimentum interueniat. Sciendum tamen, quòd si sponsi sibi inuicem displicent, & dissentiunt, si sponsalia non fuerint iurata, possunt se mutuo absoluere. Vnde notant doctores in cap. Pręterea. de sponsalibus. Vbi inter cæteros, Iacobus de alberga notat, quòd quando ecclesia videt, quod sponsi sibi inuicem displicent, debet dissimulare: idest, non debet cogere sponsum, & sponsam ad perficiendũ matrimonium, propter malum, quod posset inde prouenire, scilicet, Vxoricidium, vel mutua adulteria contrahentium. & hoc placet Gaspari. Si autem tantum alter dissensit; dicit Gofredus, quòd ex quo alter dissensit dissentiens præcise compellitur, donec in eodem statu permaneat, sed si cum alio contraxerit per verba de præsenti: cessabit coactio. idem vult Innocentius, de sponsalibus.

An autem sponsalia iurata possint mutuo partium dissensu dissolui; Licet antiqui Doctores dubitẽt de hoc, moderni tamen expedierunt illum casum. Vnde Vincentius in cap. præterea. de sponsalibus ait distinguẽdum, an iuramentum derigatur in Deum, an in hominem. Primo casu, nullus potest absoluere nisi Deus. Secundo casu homo, cui iuratur, potest absoluere, tunc autem dirigitur in Deum, secundum Ioan. Andre. quando is, qui iurat, magis intendit placere Deo, quã hominibus: siue sit in faciendo aliquid meritorium, siue in abstinendo ab aliquo illicito. Exemplum primi: Iuraui Abbati intrare monasterium, hoc enim tantum Deum concernit, non Abbatem. Vnde Abbas non potest me absoluere a iuramento. Similiter iuraui non occidere hominem &c. Ad hominem autem tunc dirigitur, si iuraui tibi scribere librum: ab hoc enim tu potes me absoluere, quia te solum concernit hoc opus. licet enim omne iuramentum concernat Deum principaliter, quia per religionem promittitur; tamẽ, quia concernit commodum eius, cui iuratur, potest ab eo remitti, de iureiur. c. 1. idem etiam tenet Ga p. dicens, q sponsalia etiam iurata mutuo dissensu tolluntur: quia sublata obligatione, sublatum est iuramentum: sicut dicitur, de statuto, & iurato: & notatur de prebendis dilectio. facit ad hoc regula, quod fauore. libr. 6. & notatur 31. q. 3. 1. in glo. pen. ubi dicitur, quòd parentes sicut possunt frangere sponsalia filiorum, sic & iuramenta remittere. Concludo ergo, & dico secundum Franciscum de Zabarellis, quod si aliquis iurat sponsæ eius intuitu, potest sponsa ipsum absoluere: secus si intuitu Dei, seu ob pietatem: vt cum sponsus esset diues, sponsa pauperrima. tamen dicit Franciscus, quòd etiam in hoc casu potest eum sponsa absoluere, quia licet iurauit intuitu, Dei, tamẽ ex quo commodum concernit sponsam, ipsa potest remittere prædicta. & sic generaliter obseruatur, nam ecclesia se non intromittit desponsalibus, de futuro, nec ad instantiam alterius par-

tis. Ambobus ergo dissentientibus, etiam se iurassent, mutuo se possunt absoluere.

AEtas contrahentium.

ET nota, quòd ætas, seu tempus contrahendi sponsalia vtrobiq; est septennium. Vnde sponsatio, quæ fit in quinque vel sex annis; nulla est, vt de sponsatione impuberum. Literas. Nam ex talibus sponsalibus inducitur publicæ honestatis iustitia, est autem publica honestas, secundum Franciscum. in c. iuuenis. de sponsalium impedimẽto, qđ nec ex cõsanguinitate, nec ex affinitate procedit, sed ex quadam honestate, quæ in matrimonijs considerada est: ut ille, qui prius contraxit sponsalia cum aliqua, ipsa mortua nõ ducat aliquam consanguineam ipsius intra quartum gradum, vt in c. ad audiendam. & de sponsalibus. c. 1. lib. 6. Ratio autem huius constitutionis est, quia experientia docuit graues rixas, & inimicitias inter cõsanguineos oriri, quando vni desponsatam aliquis de consanguinitate sponsi procurat habere. Similiter quando quis consanguineam sponsæ suæ, ipsa mortua, cum qua nõdum perfecerat matrimonium, vult ducere, non est honestum, cũ per hoc quasi duo consanguinei videantur vni mulieri copulari, quod honestas prohibet. Verumtamen ius commune est, quod siquis desponsat puellam ante septem annos, si interim ipse moritur, potest eam frater suus ducere. Similiter si mereretur illa puella ante septimum, annum uir duceret eius sororem, aut matrem, & hoc tantum habes de sponsatione impuberum. Literas.

Casus, in quibus sponsalia soluuntur.

SVnt autem octo casus, in quibus soluuntur sponsalia: Primus: si alter sponsorum post desponsationem transeat ad religionem: quod eam potest facere contracto matrimonio, ante copulam carnalem: tunc enim mulier potest alteri nubere, quasi post mortem uiri, quia religio est quædam mors ciuilis. secundum Thomam in 4. dist. 27. q. 3.

Secundus: quando sponsus se absentat per longum tempus, sponsa cum alio potest contrahere.

Tertius, si alter eorum incurrat lepram, vel paralisim.

Quartus: si super *veniret affinitas*, vt quia sponsus *cognouit consanguineam* sponsæ.

Quintus, si mutuo se absoluunt.

Sextus, si alter eorum fuerit medio tempore fornicatus: quia tunc redditur alteri suspectus de fide postea non seruanda.

Septimus si sponsus, cum alia contrahit per verba de præsenti, vel etiam de futuro cum copula carnali. Si tamen contrahit cum prima sine iuramento, cum secunda cum iuramento; debet adhærere primę, & pęnitere de periurio.

Octauus, quando quis impubes cõtraxit sponsalia, & venit ad ætatem adultam, & petit absolui à uinculo sponsalium, & sibi dari licentiam nubendi.

In omnibus istis autem casibus habent sponsalia auctoritate Ecclesiæ absolui, prętquam. in primo, quinto, & sexto, in quibus soluuntur ipso iure.

Addit etiam nonum casum Hostiẽ. scilicet si fama est, quòd inter eos est canonicum impedimentum.

DE

DE BIGAMIS, ET QVIS dicatur, & omnis bigamus est irregularis.

BIgamus dicitur, qui bis duxit vxorem, de quo quæritur, an sit irregularis ad sacros ordines suscipiendos? Respon. quòd duplex est bigamia: quædam proprie dicta, de eo, qui bis duxit vxorem, & de hac loquitur Paulus ad Titum. 1. Oportet episcopum sine crimine esse, vnius vxoris virum.

Alia est bigamia interpretatiua, & impropria, quæ habet idem impedimentum cum prima; vt si quis duxit viduam, nam vna ratio, quare bigamus expellitur ab ordinibus, est propter significationem. quia tale matrimonium non significat coniunctionem Christi, & ecclesiæ, quia Christus non habuit nisi vnicam vxorem, vnicam ecclesiam, eamque virginem, & incontaminatam.

Alia est etiam bigamia similitudinaria, quando qui habens vnam vxorem viuam, contrahit cum alia.

Item est bigamus, qui post votum simplex castitatis, duxit vxorem, & qui post susceptos ordines contraxit, omnis isti sunt irregulares de iure positiuo.

Irregularitas Bigamiæ non tollitur per Baptismum.

VTrum irregularitas bigamiæ tollatur per baptismum? fuit quæstio inter Hieronymum, & Augustinum. Hieronymus dicit, quòd tollebatur, quia manet noua creatura. Augustinus; vero dicit; quod non, quia baptismus solum tollit peccata, non alia vincula, sicut nec tollitur matrimonium. Hęc autem opinio August. allegatur a Gratiano. cap. acutius. 26. dist. & omnes canonistæ tenent cum eo, & S. Thom. & Maior. verò tenent cum Hiero. Sed tenendum est cũ Austin. quia signum est, quòd postquam quis bis contraxit, quod non continebit: & etiam quia esset in illo matrimonio imperfecta significatio coniunctionis Christi, & ecclesiæ, at vtrum possit ecclesia dispensare cum bigamo: dico quòd sic, sed non sine magna causa, propter verba Apostoli.

DIFFINITIO MATRIMONIJ.

COnsequẽter de matrimonio sciendum, quòd ipsum sic diffinitur: Matrimonium est viri, & mulieris coniunctio indiuiduam consuetudinem vitæ retinens, ista diffinitio traditur. 27. q. 2. c. 1. per hoc, qđ dicitur, viri & mulieris: excluditur viri cum viro. vel mulieris cum muliere, vel vnius viri cum multis mulieribus: quia talis coniunctio nõ causat matrimonium, sed peccatum. dicitur etiam, coniunctio: scilicet amoris matrimonialis, dicit etiã, indiuiduam vitæ consuetudinem retinens: quod est tantum dicere, quod neuter eorum absque alterius consensu potest continentiam profiteri, uel orationi vacare, nec se alteri copulare. Sed sibi inuicem seruare fidem, & debiti redditionem mutuam. Similiter debent sibi ipsis, eis mutuo de necessitatibus prouidere, & subuenire inuicem. & intelligendum est de matrimoniõ copula carnali consummato: quia non consummatum tali copula,

pula, potest separari per ingressum religionis, uti de sponsalibus. Commissum intelligitur etiam hoc de matrimonio fidelium: quia matrimonium infidelium potest separari altero transeunte ad fidem. Ratio autem beati Thomę. in 4. dist. 24. q. 1. quare coniũctio matrimonij est inseparabilis vsq; ad mortem inter homines, & non inter alia animalia, hæc est, quia aliorum animalium filij possunt sibi victũ statim habere, vel saltem ad eorum sustentationem vnum sufficit. sicut de Vacca, equa asina, & similibus; & ideo ibi non est certa coniunctio certi masculi ad certam feminam: nec etiam necessaria diuturna coniunctio, eo qđ femina in eis sufficit ad educandum fętum sine masculo. in his autem, quorum filij indigent vtriusque, scilicet tam patris, quàm matris sustentatione: aliud est. Similiter vbi inuenitur aliqua determinatio quantum ad tempus sustentationis, & educationis: sicut auibus. Vnde passeres, turtures, & columbæ habent determinatas feminas: habent educare pullos, & alter eorum non sufficeret ad quærendum victum, cum & se æqualiter nutrire debeant. non autem sic est in hominibus: vbi filius indiget cura parentum ad magnum tempus: est ergo matrimonialis coniunctio inter solos homines, & dicitur indiuisibilis secundũ totam vitam alterius coniugis. Oportet enim filium generari, educari, nutriri, & doceri, & sibi de necessarijs vitæ à parẽtibus prouideri, eo quod iuxta Apost. Oportet, patres filijs thesaurizare. 11. ad Cor. 12. ista autem requirunt magnum tempus, & quo ad hoc dicit Lyra super Matt. 19. c. quòd matrimonium non solum est de iure diuino, sed etiam de iure naturali, quia hoc natura dictat, quòd vir, & mulier cohabitent simul per totam vitam, ad educandam, & promouendam prolem vsque ad perfectum statum virtutis.

Vnde dicatur Matrimonium.

DIcitur autem matrimonium potius, quàm patrimonium, quia maiora onera sunt à matre, quàm à viro, & dicitur a matre, quasi matris munium, quia munitur a matre, & dat mulieribus esse matres: & quia etiam finis principalis matrimonij est bonũ prolis, in cuius procreatione magis mater laborat, *& ideo ab ipsa denominatur.*

Cur diuersis temporibus Matrimonium sit institutum.

FVit autem matrimonium institutum a Deo in statu innocentiæ: vbi dicitur de voto. c. 1. lib. 6. & hoc per illa verba: Hoc nunc os ex ossibus meis: quæ verba Adam spiritu sancto illustratus dixit: Gene. 2. in fine 27. q. 2. Lex diuina. & per hoc reprobatur illa opinio, quæ dicit, quòd matrimonium fuit institutum a Deo illis verbis: Crescite, & multiplicamini, quod videtur inconueniens, cum etiam illa verba prius dixerit Deus non solum ad homines, sed etiam ad bestias. Gene. 1.

Et quamuis matrimonium etiam sit institutum tempore Moysi, & tempore Christi: Hoc fuit tamen diuersis respectibus. nam vt dicit Thomas dist. 26. in 4. Secundum quòd ordinatur ad generationem prolis, quæ erat necessaria: etiam ante peccatum institutum est à Deo in statu innocentię, in

hoc

hoc, quod Deus formauit mulierē in adiutorium viri: & hoc modo dicitur in officium fuisse institutum:

Sed in quantum est in remedium peccati, fuit institutum post peccatum, tempore legis naturæ.

Secūdum autem determinationem personarum habuit institutionem in lege Moysi, ubi non nisi de cæteris tribubus copulabantur:

Sed secundum quòd repræsentat coniunctionem Christi, & ecclesiæ, sic habuit institutionem in lege noua: & secundum hoc dicitur sacramentum nouæ legis.

Ex hoc habetur, quod duæ principales sunt causæ institutionis matrimonij, scilicet prolis ad cultum diuinum, & vitandæ fornicationis causa.

Aliæ sunt multę causæ minus principales, scilicet pulcritudo vxoris, diuitiæ, & reformatio pacis, & ꝓpter istas causas, si etiam ducatur vxor, seruatis verbis, de presenti, tenet matrimoniū.

An semper sine aliquali pèccato implcatur Matrimonium.

SCiendum autem, ex quo dicitur. 7. hæreticorum, quòd in actu carnali priuatur homo magno bono, scilicet vsu rationis, quia, vt dicit Philosophus, talis actus furatur intellectum sapientis. & vt dicit August. 16. lib. de trinit. ipsa voluptas carnalis (qua maior in voluptatibus carnalibus nequit inueniri) momento ipso temporis, quo ad eius peruenitur extremum, pene omnis acies, & vis rationis obruitur. Nullus autem secundum rectam rationem debet se obligare ad aliquid, in quo totum malum patitur: nisi sit aliquod bonum recompensans ipsum damnum. Vnde à sanctis patribus pronuntur excusantia illum actum tam damnosum, scilicet Bonum Fidei, Prolis, & Sacraméti. Fides hic sumpta est fidelitas, sine iustitia ad actum, ad quē obligat: scilicet, vt ille nō quærat aliā: nec è conuerso. Similiter bonum prolis obligat, quò ad cultum diuinum, scilicet vt religiose, ideſt sancte, & deuote educatur. Bonum autem sacramenti est illa indissolubilitas inter virum, & mulierem: & signat indissolubilitatem coniunctionis Christi, & Ecclesiæ, & hoc est bonum intrinsecum matrimonij, quia perfectio prima est formalis: Prima autem duo bona, scilicet fides, & proles, sunt bona extrinseca matrimonij. Ex his patet, ꝙ ex quo (vt dictum est) sacramentum est bonum excusans istum actum: videtur, quòd actus ipse matrimonialis non solum est bonus, sed etiam, sanctus: quā sanctitatem habet ex indiuisibilitate coniunctionis: secundum quam significat coniunctionem Christi, & ecclesię, ita etiam dicit Thom. in d. 31. in quarto. q. 4.

Ex quibus omnibus infertur secundum Bonauent. ibidem secundo principali. q. 2. qui coit causa fornicationis vitandæ in vxore, ne scilicet vxor formicetur: sic reddendo debitum nullo modo peccat. sed magis meretur: quia exercet opus iustitię, hoc est fidei, ad quam tenetur: & ideo omnis culpa excusatur.

Si vero coit causa fornicationis vitandæ in seipso, scilicet ne ipse solus fornicetur, in hoc peccat venialiter: & hoc si nō pulsatur a carne, nam ex quo non potest procreare prolem, nec propter eam procreandam coit, nec compellitur ab vxore ad reddendum debitum,

tum, aliqua superfluitas est ibi. & ideo peccat, sed venialiter; immo dici potest secundum Petrum de Tharant. in quarta dist. 30. quæst. 4. principali q. 2. art. 1. quod quærens delectationem in coniuge, sistendo tamen intra fines matrimonij, scilicet quando cum altera muliere id non faceret, veniale est peccatum. licet etiam fiat causa explendę libidinis. sed si quærat delectationē in ea, nō vt in cōiuge, sed vt in alia muliere quacunque, tunc est peccatum mortale. hoc est contra Hugonem. 31. q. 1. quomodo. ubi dicit vsum matrimonij non posse impleri sine peccato, saltem veniali: quia potest esse matrimoniū, cum fit bono intuitu. sicut fuisset in statu innocentiæ, secundum Franciscum in rubrica de sponsalibus. Hoc idem innuit. Io. And. in glo. super. c. alma. de sen. excom. lib. 6. super verbo, sacramentis, ubi dicit, quòd datur gratia per istud sacramentum, sed non sicut per alia sacramenta.

Gratia adiuuans confert in Matrimonio.

COnfertur in hoc sacramento gratia adiuuans ad illa opera, quæ in matrimonio requiruntur. Tho. in 4. dist. 26. q. 4. quia ubicunque diuinitus datur facultas aliquid faciendi, dantur etiam auxilia, sine quibus non potest conuenienter uti illa facultate: sed in matrimonio datur diuinitus facultas utendi vxore. & per consequens datur gratia, qua idem conuenienter fieri posset. Hæc. S. Thom. & per hoc reprobatur. glo. 1. q. 1. quicquid. etiam dicit Doctor subtilis, quòd effectus istius sacramenti sunt duæ gratiæ, in animabus contrahētium, & hoc nisi fiat obex mortalis peccati, & enim non sufficit ad gratiam percipiendam, quòd contrahens non sit fictus respectu sacramenti: idest, quod non ficte recipere intendat, sed oportet, quòd prius pœnituerit: quia illud sacramentum non dat pœnitentiam. est ergo unus, & talis effectus istius sacramenti, scilicet gratiosa coitio animorum. Hæc Doctor subtilis. pro isto dicto est. c. unicum de sacra vnctione.

Requisita ad verum Matrimonium contrahendum. *Aetas.*

PRimo requiritur ætas debita personarum contrahentium. nam uis debet esse quatuordecim annorum, & femina duodecim annorum. Vnde sicut sponsalia infra septimum annum non tenent: *sic matrimonium* etiam non tenet *infra. 14. annos* quantumcunque enim fuerit *matrimonium* de verbo de præsenti infra annum *14.* nihilominus non est aliud nisi sponsalia de futuro vsque ad decimum quartum annum. & ista possunt rumpi, post quam sponsi, uel alter illorum uenerit ad debitam ætatem. *Consensus.*

Secundo requiritur consensus mutuus contrahentium personarum per verba de præsenti. consensus autem ille secundum Bonau. in 4. dist. 28. debet esse in mutuam corporis potestatem, verba autem de præsenti sunt ista ex parte uiri: Accipio ego te in meam vxorem. Verba autem mulieris sunt ista: Ego te accipio in meum virum: & sunt ista verba necessaria: quia sacramentum est res sensibilis, & ideo requiritur signum expressiuum: quæ expressio conuenientius fit per verba de præsenti. Vnde & iste consensus potest bene per alia uerba expediri: uel exprimi inter homines vsitata, quæ istis æquipollent dicendo: Consentio in te tan-

tanquam vxorem. Similiter si præcesit interrogatio inter aliquos de contrahendo, si alter eorum dicat: Volo te de cetero habere in vxorem, & illa respondet: Et ego te volo habere in uirum, vel uolo, quòd tu sis vxor mea: & illa: & ego habeo te pro viro, meo in oĩbus talibus cõtrahitur matrimoniu.

Sed si diceres: Volo te accipere in vxorem, vel volo in te consentire tanquam vxorem, non esset matrimoniũ.

Similiter si dicat vir: Promitto ꝙ te non dimittam pro meliori, uel pro peiori, etiam iudicandum est pro matrimonio.

Item si post datam fidem dicant alii qui: Bibamus nomine matrimonij, & osculemur nos; Gulielmus dicit, quòd non est matrimonium, nisi uellent per hoc recedere à sponsalibus, & contrahere de præsenti, quia illud dictum significat futurum matrimonium.

Sed si diceretur: Bibamus pro matrimonio, esset matrimonium. Franciscus tamen dicit, quòd illa verba: bibamus nomine matrimonij, sunt confessio veri matrimonij, ergo est matrimonium.

In omnibus autem istis, ubi verba dubia sunt, recurrendum est ad intentionem contrahentium, & ad communem verborum vulgarium intelligentiam.

Verba contrahendi.

CRedo, quòd per illa verba sponsi interrogati, super Franciscam, scilicet dicendo. N. Placet tibi habere. N. in vxorem, illo respõdente: Placet. Si mulier interrogata, respondeat similiter, contrahitur verum matrimoniũ: Ang. c. ex literis de sponsalibus; nam per illa uerba intelligitur contrahi matrimonium, ergo, si hic uicini communiter intelligunt debent etiam contrahentibus illa verba facere eundem sensum. nam vt dicunt doctores, in cap. ex literis de sponsalibus in talibus recurrendum est ad intellectum vicinorum: Hoc approbat Franciscus ibidem, & dicit Host. quòd quamuis alter non intellexit ad literam, uel linguam. si tamen intellexit affectum uel sensum nutu, vel signo: sufficit; & non refert, an nutu uel lingua intelligatur. Argum. de transl. epis. inter corporalia. 44. dist. sit rector. Vnde si sponsus dat anulum dicendo in Theutonico per uerba de præsenti, & sponsa Polona recipit anulum, annuendo: dicitur consentire in d. c. ex literis dicit tamen Franciscus de Zabarellis in cap. ex parte, de sponsalibus, quod si dicat vir: Promitto, ꝙ te ducam in vxorem, & de cetero tenebo te vt vxorem, si talis contrahit cum alia per verba de præsenti: adhærebit secundæ, propter uerba illa: ducam te, quæ sunt de futuro, quæ etiam verba restringuntur persequentia, cum dixit: tenebo te, vt vxorem. & dicit Innoc. ꝙ hæc verba non sonant tantum actum, sed etiam ius, vt sit sensus: Promitto, ꝙ tunc fiam tua legitima vxor, & hoc est, si sunt verba mulieris.

Illa autem verba: Promitto, ꝙ tenebo te pro vxore, habent sensum, ac si dicat uir: Habeo tecum matrimoniũ, vel accipio te in meam vxorem, & promitto, quòd de facto tenebo te pro vxore.

Si autem dicat, promitto, quòd nunquam habebo aliam nisi te: licet istam non teneatur simpliciter accipere, si nullam uxorem in uita sua vult ducere, tamen si vellet ducere aliam, non potest, quia de communi vsu loquen-

di sensus est: Recipiam te, & non aliã, si vxorem voluero ducere.

Item si concubina dicat alicui: Nolo, q̃ me cognoscas nisi tanquam vxorem: & vir taceat, & cognoscat. dicit Ioan. de lignano, quòd est præsumptũ matrimonium, sed tamen Gaspar dicit, quòd non, quia non expresserunt: & etiam, quia tacens habetur pro contradicente. in hoc casu, cum agatur de obligatione ipsius, scilicet sub conditione, uel sub modo, sub conditione fit: vt contraho tecum, si patri meo placuerit, uel si inuenero te habere centum marcas, & sic de similibus, & talis contractus suspendit matrimonium usq; ad existentiam conditionis, idest, non prius tale matrimonium tenebit, nisi impleatur illa conditio.

Si tamen interim consensus de præsenti, uel copula carnalis fuerit subsecuta, tenebit matrimonium: eo quòd tales videntur recessisse a conditione, vt de conditionibus appositis, de illis, & c. super eo, & c. per tuas, & hoc intelligendum est de conditione honesta: & sunt duæ illæ supra positæ, nam si esset conditio contra substantiam matrimonij, vt Contraho tecum, si no prolificabis: vel donec mihi aliam inueniã, uel si te exponas pro quæstu prostituendam, omnes tales nihil agunt.

Si tamen quis dicat: Contraho tecum, si te virginem inuenero, & post ea sequitur coitus, nec inuenitur uirgo: dicit Bernar. & Host. quod iudicabitur pro matrimonio, & hoc in foro iudicij, tamen in foro animæ non sic iudicabitur, quia dignum est, vt mulier, quæ mẽtita est se esse virginem, maneat decepta, & vt viro subueniatur, qui forte vult vitare begamiam, sed sub modo contrahitur sic: Do tibi tunicam, vel cingulum, vel anulum, vt contrahas mecum, alioquin reuoco, quod dixi. talis contractus statim tenet.

Sed si non seruetur modus potest reuocari. dicunt tamẽ doctores, quod licet posset contrahi matrimonium sub conditione; non tamen sub modo, hoc est tenendum. Matrimonium tamen ex causa contractum tenet, siue causa sit vera, siue falsa: vt contraho tecum, quia pulcra es, siue diues, nisi causa esset ita falsa, quòd contineret in se aliquod impedimentum: vt Contraho tecum, quia libera es. nam si non esset libera, non teneret matrimonium, &c.

Sciendum etiam *quod si quis* contrahit cum ali*qua cum conditione*: deinde tamen ante aduentum *conditionis*, contrahit cum alia libere *debet* manere cum secunda, etiam si sit consanguinea primæ.

IMPEDIMENTA MATRIMONIJ contrahendi, & quæ dirimunt contractum.

NVNC videndum de impedimentis matrimonij. sunt autem duodecim impedimenta, quæ impediunt matrimonium contrahendum, & dirimunt iam contractum, secundum Innocentium. in c. iuuenis de sponsa.

Primum est furor. 32. quæst. 8. cap. neque furiosus. ubi dicitur, neque furiosus, neque furiosa contrahere possunt matrimonium: sed si contractum fuerit: scilicet ante furorem: non separentur, scilicet propter furorem. & ratio: quia tales non possunt consentire, si tamen habent lucida intervalla, tunc bene possunt: vt dicit Glo. ibid.

Se-

Secundum, si esset vtroque articulo, id est, testiculo carens, vel impotens coire. 31. q. 7. illi.

Tertium est affinitas, vt si quis sponsam de præsenti consanguinei sui recepit in uxorem, & eam cognouit: impeditur contrahendum, & dirimitur contractum: itaque primo restituitur, sed mulier non potest induci ad abstinentiam propter publicæ honestatis iustitiam: vt de eo, qui cognouit consanguineam uxoris suæ. c. discrimen.

Quartum, est error personæ: vt cum quis putans contrahere cum Filomena, contrahit cum Helena.

Quintum est, error in conditione seruili: vt si quis contrahit cum aliqua putans eam esse liberam, cum tamen non sit libera: vt de coniugio seruorum. cap. 2.

Sed quid dicendum est de Iacob, qui deceptus est in persona? scilicet, qui putans Rachelem, cum qua contraxerat, inuenit Liam, & tamen tenuit matrimonium. Responsio: secundum Gratianum. 39. q. 1. quod illud matrimonium non tenuit ex præcedenti consensu, sed subsequenti: quia post copulam carnalem in eandem consensit de nouo. error tamen qualitatis non excludit consensum matrimonij: vt si putatur bonus, qui tamen est malus. & si putatur uirgo, quæ tamen inuenitur corrupta. Similiter error, vt si putatur sponsa diues, quæ tamen est pauper, in omnibus istis casibus non dirimitur matrimonium contractum.

Sextum est uotum solemne, vt sacri ordinis, uel professionis factæ in Religione, uel sacro ordine vxorem duxit, dirimitur matrimonium, vt qui clerici, uel vouentes. c. insinuante, & de voto. c. unico. lib. 6. Alia autem vota simplicia licet impediant contrahendum, non tamen dirimunt contractum. Vnde si quis uouet simpliciter non velle ducere vxorem, & postea duxerit, tenet matrimonium, sed ille peccat mortaliter sic contrahens, & non debet petere debitum ab vxore: sed tamen tenetur reddere quãdo petitur ab ea, vt notant doctores, in cap. rursus, qui clerici, vel vouentes, de quibus uide ibi materiam istam. Si tamẽ aliquis habens votum simplex, quærat a Sacerdote, an possit contrahere: dat consilium Host. quòd potest dicere, quòd sic. Si autem quærat vlterius, an tale matrimonium tenebit? debet dicere q̃ non, alias peccaret, quia daret occasionem mortaliter peccandi.

Septimum, si machinatus est in mortem prioris coniugis, seu vxoris vel eam ducere promisit de eo, qui duxit in matrimonium qual. pol. per adulterium. cap. significasti. & dicit Ioan. Andreas. in c. laudabilem de conuers. fidelium quòd quando machinatio est ab vtroque, scilicet à uiro, & a muliere in mortem mariti, tunc sufficit ad dirimendum matrimonium sine adulterio: quando vero machinatio est ab altero tantum, tunc non sufficit sine adulterio, vt de diuortijs. c. 1. & istud impedimentum quia raro est, punctus bene intelligitur.

Octauum, si est alterius cultus, vt saracenus, uel iudeus. 28. q. 1. caue.

Nonum, si per vim coactus est contrahere, ut desponsali. & intellige de vi, vel metu. qui cadit in constantem virum, ut dicit Glos. 1. ibidem quæ etiam dicit, quòd minor metus excusat feminam, quàm virum, quod simi-

liter nota.

Decimum est sacer ordo: ut qui cleri.uel vouen. cap.7. & de uoto.c.vnico.lib.6.

Vndecimum, si est alteri nupta.de spon.duorum.cap.2.

Duodecimum, est publicę honestatis, iustitia.de sponsal.c. iuuenis, & c. ad audientiam.

Impedimenta quæ non dirimunt.

SVnt alia duo impedimenta quæ impediunt, & non dirimunt, scilicet tempus feriarum: ut de ferijs.cap. Capellanus, & interdictum ecclesiæ, vt de sponsa.impu.c.ad dissoluendum.

DE CAVTELIS Matrimonij,

PRimo caueat vir, ne volens à muliere extorquere carnalem commissionem, fingat se eam ducere velle, non habens tamen intentionem, & propositum eá ducendi. nam talis si eam non ducat, grauiter peccat, licet in foro pœnitentiali non iudicatur pro matrimonio. & licet mulier, quæ simplici animo sibi consentit in peccato, excusatur, tamen deceptor talis si vult veram pœnitentiam agere, necesse habet eam sine fictione ducere, quantum in eo est, uel dare sibi virum conuenientem. uel aliter satisfacere, & hoc secundum Tho. & hoc si vir est æqualis conditionis cum illa. nam si vir esset melioris conditionis, puta nobilis, & mulier rustica, vel scelerosa potest probabiliter præsumi, quòd non fuit decepta, sed se decipi finxit, & tunc in tali casu, si ille non animo ducendi cohabitauit cum ea, non tenetur eam ducere, nec ei satisfacere, ut dicunt doctores.

Secundo caueat, ne quis sponsam suam cõtractis sponsalibus antequam solemnitates matrimonij fiant: *id est* antequam in facie ecclesiæ copulentur, audeat cognoscere: nam talis peccat secundum Guliel. & hoc intelligit in illis partibus, vbi primæ nuptiæ benedicuntur. Vnde cum istæ non sunt virgines, nec alter illorum, post illam occultam commissionem, si accipiunt benedictionem, quam solæ virgines, vel alter ipsorum accipere consueuit. peccant: cum secundæ nuptiæ non sint benedicendæ. Si tamen non esset consuetudo in aliquibus partibus primas nuptias benedicere, *sicut est in Polonia:* credo, quòd *sponsus cognoscens* sponsam animo consummandi matrimonium, antequam in facie ecclesiæ copuletur, non peccet, nisi venialiter. hoc Tho. in 4. senten. dist. 28.

Tertio caueat vir, ne cum illa contrahat per verba de præsenti, cum qua aliter contraxit per verba de futuro & copula carnali consummauit, quia nec verum, nec aliquod censetur matrimonium, quod post modum de facto est subsecutum. de spons. is qui.

Quarto caueant parentes, ne contrahant pro filijs, aut pro filiabus spõsalia, uel matrimonium cum adiectione pœnæ: nam talis adiectio pœnæ non ualet de iure: ut dicitur in c. gemma de sponsalibus. eo quòd matrimonia debent esse libera, & hoc est contra nostrates, qui stipulantur pœnas, nisi implcant filij eorum uoluntatem. dicit tamen Franciscus de Zabarellis. Ioan. And. Vincent. & Abbas. in d. c. gemma. & Archi. 30. q. 2. c. uni. quod bene possunt stipulari uel dari pignora in-

ter

ter contrahentes : sed non pœnæ.ratio, quia pœna solum præmittitur, arrhæ uero dantur. Faciliores autem sumus ad promittendum, quam ad dandum. Item arrhæ fiunt in modica quantitate,pœnæ verò in magna: & ideo timore magnæ quantitatis posset quis cõpelli ad matrimonium. Vincent.tamen dicit quod si sint extranei omnino,qui non habent contrahentes personas in sua potestate, isti possunt stipulari pœnas inter se,& perdunt eas, vel acquirunt, si sponsi non stant in eorum promissionibus, inter vero parentes, vel alios, qui habent sponsos in potestate, hoc non habet locum, de pignoribus. etiam teneas, quòd si datur pignus loco arrhæ,tunc tenet: Si autem pro pœna, tunc non.item si datur per conuentionem,non tenet, si autem per traditionem, tenet: hoc autem dicitur secundum Iacobum de arrha, quod ratio pignoris tenet, si traditur, secus si constituitur tantum. quia quando constituitur tantum, tunc cedit loco arrhæ, sed si traditur, cedit loco pœnæ.

Quinto caueant contrahentes, ne in cognatione carnali, spirituali, uel legali contrahant : nam prohibentur contrahere consanguinei vsque ad quartum gradum inclusiue in collateralibus: in ascendentibus autem & descendentibus perpetuo.In cognatione enim spirituali prohibentur hi, scilicet baptizatus, & leuans. baptizatus & filij leuantis. Item baptizatus, & coniux leuantis prius cognita. Item leuans, & parentes leuati. & eodem modo dico de baptizato, & baptizante.Similiter inter cõfirmatũ,&tenentẽ & inter confirmantem, & confirmatum, in alijs autem sacramentis non contrahitur talis cognatio: scilicet in pœnitentia, quia pœnitentia non est sacramentum collatum per modum generationis,sed sanationis. Ideo per ipsum non contrahitur spiritualis cognatio. Alias enim filius presbyteri non posset inuenire vxorem in tota Parochia. secundum Thom. in 3. sent. dist. 22. q. 1. arti. licet enim inter sacerdotem, & confitentem contrahatur fœdus, non tamen deriuatur ad alios eorum cognatio,tamen Cathechismus licet impediat contrahendum,non tamen dirimit contractum,vt de cognatione spirituali per Cathechismum. lib. 6. Item cognatio legalis impedit vsque ad emancipationem coram iudice. est autem cognatio legalis illa, quando quis adoptat in filium aliquẽ extraneum coram iudice: & dico coram iudice: quia alias facta in priuato nihil valet. Secundum Host. de cogna lega. c. vnico. &c. & quia ista cognatio apud nos hodie non viget,ideo de ista supersedeo.

Sexto caueat vir, ne dimittat vxorem suam propter quamcunque causam, nisi propter fornicationem,vt dicitur in glo. c. quæsiuit de diuortijs: & intellige tam de fornicatione carnali, quàm etiam spirituali, sicut est idolatria. vel hæresis. Similiter si mortem viro machinatur. in istis tamen casibus non ducet aliam, quamdiu viuet, illa,quam dimisit. 32. q. 4. omnes causationes. Ratio,quia licet;quod ad coniugalem thorum sit diuortium,non tamen quò ad vinculum, quod est indissolubile, & perpetuum. Ex quo patet, quòd mulier à viro non separatur pro furto, vel pro alio crimine, vel pro alio impedimento,ut dicitur in c. quæsiuit.

fuit. de diuortijs. nec etiã pro aliquo defectu corporali scilicet, pro surditate, cæcitate. pro fętore oris. &c. & intellige etiam quod quantumcunque esset notorium crimen fornicationis in vxore, non potest vir sine iudicio ecclesiæ propria auctoritate eam dimittere, licet bene possit debitum sibi in priuato denegare Archi. in c. porro. & cap. significasti. de adulterijs. in hoc tamen casu, cum alter fornicatur spiritualiter: scilicet, si labatur in hæresim, non potest is, qui remanet in fide, aliam ducere. illa viuente hæretica: secus si aliquis infidelis, uel paganus, conuertitur, cuius vxor non vult conuerti, uel non vult ei cohabitare sine contumelia creatoris; quia talis potest contrahere etiam viuente tali vxore, vt de diuor. c. 5.

Septimo caueat uir, ne vxorem in adulterio deprehensam interficiat, quia licet secundum leges ciuiles nõ puniatur talis occisor aliqua pœna, tamen secundum ius diuinum punitur. 33. quæst. 2. inter hæc. vbi expressè prohibetur tale vxoricidium. debet enim potius corrigere, & sibi reconciliare, cum Deus paratus sit accipere ipsius pœnitentiam, exemplo mulieris adulteræ. Ioan. 8. ut dicit Bonauentura in 4. dist. 23. q. 1. & Thom. q. j. qui etiam addit, quod occidens uxorem propter adulterium, vel odium ex statuto ecclesiæ, contrahere cum alia non debet, & maxime si occidit eã, ut contrahat cum alia, secus est si non eo animo, quia tunc, licet non debeat contrahere, si tamen contrahit, tenet.

Octauo, ne aliquis habens aliquem sacrum ordinem, contrahat matrimonium. quia tale matrimonium non tenet, ut de uoto. capitulo unico. libro sexto. Similiter, è conuerso caueat ne contrahens per verba de præsenti cum aliqua, sacrum ordinem suscipiat, quia talis debet restitui uxori: & si potest esse sine scandalo vxoris, debet deferre habitum, & coronam clericalem, nec potest contrahere post mortem illius uxoris, & si contraxerit, non tenet matrimonium secundum Innocentium, nec etiam post mortem uxoris poterit in suscepto ordine ministrare, vt in extrauaganti Ioannis Papæ 22. quæ incipit. Antiquæ. Talis enim restitutus vxori tenebitur reddere illi debitum, sed non poterit petere.

Nono, caueant *coniuges, ne post benedictionem acceptam prima nocte* commisceantur, ut. 23. distin. *sponsus* alibi etiam dicitur, quòd biduo, uel triduo debent continere, ut. 30. q. 5. aliter sed hoc est consilium, non præceptũ & ideo, ne quis obliget sub precepto sponso ad talia, hoc pono pro consilio tantum, quia multi faciunt indiscrete, conscientiam de talibus ipsis coniugibus per modum præcepti, quod fieri non debet, sed per modum consilij tantum &c.

Decimo caueat uir, uel femina, ne sine parentum consilio uel consensu nubant, quia ut dicit. Ambro. in lib. de Patriarchis, nõ est virginalis pudoris, eligere maritum, unde & Euaristus Papa dicit: quia aliter non est legitimum coniugium, nisi à parentibus tradatur & Euripidion in persona cuiusdã feminæ legitur dixisse: Sponsalium meorum pater meus curam subijt, maritum eligere non est meum. hæc omnia habentur. 32. q. 2. non omnis. §. cum ero dicitur. & §. honorantur. Si tamen

men fecerit, tenet matrimonium, quia hoc solum est de honestate, & non de necessitate, maximè si habet annos legitimos, scilicet uir. 14. & feminam. 12. dicunt tamen leges quod femina post 25. annos inuitis parentibus nubit, & uerum est.

Vndecimo caueat sacerdos, ne clandestine aliquo copulet, hoc est, ne præmissis bannis in ecclesia, aliquos introducat, siue copulet, nam talis sacerdos suspenditur per triēnium, ut notatur de clandestina desponsatio. cap. cum inibitio.

Duodecimo, caueat sacerdos ne benedicat secundas nuptias, quia irregularitatem incurreret, potest tamen per Episcopum super eo dispensari ut in extrauagan. Ioan. 22. quæ incipit: concertationi.

Tertiodecimo caueat: ne uir semper exigat, uel reddat debitum uxori, quia hoc præceptum de redditione debiti cum affirmatione non obligat nisi pro loco, & tempore secundum Ioan. Parisien. quia obligat semper, sed non ad semper, nec pro semper, sed quando potest esse debitè circunstantionatus secundum doctorem subtilē in 4. distin. 24. quia fortior uinculo obligatur ad non reddendū, ut in hoc casu, quia tenetur non occidere fœtum in utero prægnantis, uel non esse causa abortiui. Similiter, si redditio debiti uertit in detrimentum sanitatis, non tenetur reddere, quia tenetur potius pro priā incolumitatē seruare, quàm istud detrimentum uitare in coniuge. Similiter non tenetur satisfacere uoluntati mulieris tēpore menstrui, ne proles nascatur leprosa, quæ alias potest procreari sana. etiam quia talis coitus inducit perpetuam sterilitatem in muliere secundum Augu. propter cōmixtionem seminis cum sanguine. Vnde si contingeret nasci fœtum, esset leprosus, scabiosus, cæcutiens, uel interdum caducus, uel obsessioni demonū aptus & ideo in lege Moysi accedens ad mē struatā, morte moriebatur, quæ mors non infligebatur nisi pro mortali, & si iungitur tamen leproso uiro, tenetur mulier reddere debitum, licet non teneatur secum cohabitare.

Vbi tamen certissimum est, quòd proles nascitur leprosa, ergo similē est in menstruata. Respon. secundum doctorem subtilem ubi supra, quia in mē struo potest expectari tēpus cōgruū, ut nascatur proles sana, in lepra uero non. Vnde melius est, quòd nascatur leprosa, uel aliqualis, quàm omnino nulla, quia melius est sic esse, quā nō esse.

Verumtamē dicit Thom. ubi supra. q. 2. arti. 2. si est fluxus naturalis, & diuturnus, potest uir ad talem accedere, quia alias oporteret uirum perpetualiter abstinere. Dicit etiam quòd mulier menstruata potest reddere debitum uiro petenti, debet tamen eum auertere precibus, ut sufferat, non tamen ita efficaciter debet auertere qđ possit sibi esse occasio incidendi in aliquas pessimas corruptiones, sicut ad id pronus creditur. si autē credit, quòd petit ignoranter, debet mulier aliquā occasionem pretendere, uel infirmitatem allegare, ne debitum reddat, ne periculum uiro timeatur. Dicit autē Thom. quòd accedere ad prægnātem, non semper peccat, nisi timeatur abortus.

Dicit etiam ipse, quòd si tunc uir præter consuetudinem, & modum à

natura

natura institutum, quantum ad situm, exigit debitum à coniuge, puta à parte posteriori, uel ad latus, nō semper est peccatum mortale, sed quandoq; potest esse sine peccato, dimittere autem proprium vas, semper est peccatum mortale, & sodomiticum, quia hoc est contra naturam. Coniugij, hæc san. Thom.

Quo tempore nuptiæ sint celebrandæ.

SAcramentum uoluntatis tantum est matrimonium: ut dicitur volūtatis, quia sine illo quis saluari non potest? non enim expedit homini ad regna celestia tendere uoluntati nubere 24.q.4.tunc saluabitur, circa quòd notandum est secundum canones. 23.q.4.non oportet extra.de ferijs. Capellanus. solemnitas nuptiarum facienda non est à septuagesima quod est tēpus tristitię usque ad octauam Paschę: nec trib. hebdomadis ante festum sancti Ioannis, sed secundum consuetudinem ecclesiæ generalis matrimonium publice contrahitur in ecclesia à crastina dominicæ in albis, uidelicet die octauæ Paschę vsque ad primum diem rogationum, & in prima die rogationum in mane clauditur hæc solemnitas, & durat prohibitio usque ad octauam diem post Pentecostem inclusiue & sic loquitur Clemens Papa in sua epistola decretali extra de ferijs. Capellanus. A prima die quoq; aduentus usq; ad Epihaniam non debent nuptię celebrari ut in predicto cap. non oportet. 33.q.4.nec etiam fierent usque ad octauam Epiphanie nisi quia dominus nuptias cum sui presentia: cum etiam miraculo decorauit unde tunc cantatur hodie celesti sponso: iuncta est ecclesia. quidam tamen dicunt sanctius esse, quod hæc prohibitio usque ad octauā ipsius festi extendatur, sicut & officiū conuersionis aquæ in uinum fit in nuptijs.

Mali ministri an conferant uera sacramenta.

VTrum Mali ministri conferāt uerum baptisinum & omnia alia supradicta sacramenta. Respond. secundum omnes doctores, quod sic. & opposita assertio est hæresis, ut diffinitur in Cōcilio Tridentino, sess. 7. de sacramentis. in genere. Cano. 12. cuius uerba sunt. Siquis dixerit ministrum in peccato *mortali* existentem, modo omnia *essentialia*, *quæ* ad sacramentum conficiendum, *aut* conferendum pertinent, seruauerit, *non* conficere, aut conferre sacramentum, Anathema sit. & hoc idem est determinatum ab ecclesia in ca. Roma. de consecra. dist. 4. vbi dicitur. Romanus Pontifex non attendit hominem, qui baptizat, sed spiritum Dei subministrare gratiam baptismi, licet paganus sit, qui baptizat. & 9.1.c. Si iustus fuerit. Non est de hoc dubium apud fideles, & oppositum dicere est error Vuiclef. Sed de hæreticis ministris fuit olim altercatum inter doctores, an cō ferrent uera sacramenta? vnde Cyprianus cum episcopis prouinciæ Affricæ, & aliarum duarum, Carthaginen. conuenerūt, ubi Cyprianus determinauit quò ad ab hæreticis baptizati essent, rebaptizādi, & perseuerauit in ea opinione, ut patet. cap. Si quis inquit. 1.q.1. & c. quomodo exaudiet. de consec. d. 4. Aug. autem lib. uno de baptismo, dicit, quòd si quid erroris ibi Cyprianus

nus tenet, falce passionis, est remotum, & baptismo contra Donatistas. lib.6.& 5.c.23.& in multis alijs locis dicit quod Cõcilium generale totius ecclesiæ, post illud Carthaginense celebratum, determinauit, quòd hæreti conferebant vera sacramẽta, & ita ecclesia tenet.& in c. Ad abolendam.de hæreticis dicitur, quòd qui aliter de sacramentis ecclesiæ sentit, & docet, quàm ecclesia Romana, hæreticus est. & si Ambro.lib.de initiandis rudibus, & habetur. 1.q.1.c. non sanat.dicat q Baptismus perfidi non mundat, sed polluit: loquitur de Baptismo Arrianorum, qui ponebant aliam formam, scilicet, in nomine filij serui.& eadem veritas diffinitur tanquam de fide tenenda, & oppositam assertionem esse hæreticam in Concilio Trident. sess. 7. de baptismo Cano. 4. cuius verba sunt: Si quis baptismum dixerit, qui etiam datur ab hæreticis in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti cum intentione faciendi quod facit ecclesia non esse verum baptismum, anathema sit.

Ministrans sacramentum in peccato mortali, an peccet mortaliter.

MInister existens in peccato mortali an peccet mortaliter administrans sacramentum. Resp. S.Tho. 3.p.q.64.arti.6. quod sic. quia est notabilis irreuerentia diuinorum contra præceptum iuris naturalis: admonet tamen Caietanus, hoc esse sane intelligendum. Nã ad hoc quod talis actio sit mortalis requiruntur tria: Primo quòd sit minister, ita quòd faciat actũ religionis, ex quo patet contra Adrianum, quod qui eleuaret hostiam iacentem in luto, nõ peccaret, esto quòd esset in mortali, quia illa actio non est ministri in quantum minister est, Secundo requiritur ad hoc, quòd illa actio sit mortalis, quòd actio illa sit sacramentalis, idest, quòd procedat à sacramento. Vnde Diaconus in mortali legens Euangelium peccat mortaliter. quia illa actio procedit à sacramento ordinis, & terminatur ad eucharistiam: Tertio: irreuerentia ista est mortalis ex genere.& cum secrete, & sine solemnitate in necessitate baptizat in mortali, peccat venialiter tantum, quia facit in persona alterius, & non, vt sacerdos.

DE PECCATIS MORtalibus.

PEccata mortalia sunt septem, videlicet: Superbia, Auaritia, Luxuria, Ira, Gula, Inuidia, Accidia, Superbia inter omnia tenet principatum, tanquam vitiorum omnium regina. expulit Angelos de Paradiso, primum hominem damnauit, omne genus humanum. infecit. Huic Deus resistit, quod dat humilibus gratiam, sæpius dicens, quod qui se exaltat, humiliabitur. Est etiam superbia quod nominat inordinatum appetitũ proprie excellentię, peccatum speciale est, de quo Thom. secundæ.q.162. arti.1.& 2.& quia superbus extollit se supra id, quod est præfixum secundũ Dei regulam, ideo ex suo genere peccatum mortale est: Veniale autem ex imperfectione actus, & est grauissimum, quia superbus diuinæ regulæ subijci non vult. Contingit autem peccare in hoc quatuor modis, distinctis specie, primo, cum quis bonum à

semet ipso habere existimat, & non à Deo. Secundo, cum existimat à deo datum, sed ex proprijs meritis. Tertio, cum se iactat habere quod non habet. Quarto, cum despectis cęteris appetit videri habere, quod habet. Quando talis appetitus, est secundum rationem deliberatam, mortale est in omnibus speciebus: secus quando secundum primos motus, ut quando homo laudat se, non tamen propter hoc vult non subijci diuinæ regulæ, non enim est hic actus perfectus circa appetitum inordinatum propriæ excellentiæ.

DE HVMILITATE.

HVmilitas est contemptus propriæ excellentiæ. temperat enim, & refrænat animum, ne immoderate tendat in excelsis, quę attrahit & dat homini cęteras virtutes, earum fortissima conseruatrix. Perit enim quod agitur, nisi humilitate custodiatur, sicut vicissim superbia omnium vitiorum mater est, & alumna. Bernardus: Humilitas Regina virtutum, vitiorum mors, nutrix virtutū, scientiæ decor, religionis vigor, Trinitatis hospitium, Sancti spiritus receptaculum. Beato Antonio cum ostensa fuissent retia, quæ diabolus per totum mundum extenderat dicenti: Quis potest euadere ista? responsum est: Humilitas, super quam enim requiescit spiritus domini, nisi super humilem, & quietum, & timentem sermones eius. Bernardus: Laudabilis virtus virginitas, sed humilitas magis necessaria; potes sine virginitate saluari, sine humilitate non potes. potest (inquam) placere humilitas, quæ virginitatem deplorat amissam, sine humilitate (audeo dicere) nec virginitas Marię placuisset, quia etiam, ut placeret virginitas, humilitas proculdubio fecit. Vera autem, (inquit Aug.) fidelium humilitas, in nullo superbit, in nullo murmurare, nec ingratum esse, nec querulum, sed in omnibus Dei iudicijs gratias deo agere, Deumque laudare: Cuius omnia opera aut iusta sunt, aut benigna. Perficitur summa humilitas, obedientia, & iniuriæ patientia, sola humilitas non solet gloriari, non nouit præsumere, contendere non consueuit. Gregorius: Sicut superbi honoribus, *sic plerunque humiles sua despectione gratulantur*, cunque se in alienis oculis *viles aspiciunt*. Idcirco gaudent, quia hoc *iudicio* confirmari intelligunt, quid de se & ipsi apud semetipsos habuerant.

DE AVARITIA.

AVaritia autem est Idolorum seruitus, & auaro tā deest, quod habet. q̄ qđ nō habet. c. auar. de præb. 28. q. 1. Idolatria, hæc ēt dicitur radix omnium malorum. de pœnit. dist. 2. §. quia radix. & 49. dist. c. 1. ver. & ita scribit Paulus ad Tho. quia aliarum virtutum pulcritudo per hanc depratur, & quasi totum corpus exasperat: quia per vniuersa animum supplantat. 47. d. cap. bonorum. & in aut. vt iudic. siue quoquo suffra. §. cogitatio colia. 11. adde quod no. Ioan. And. c. auaritiæ. elect. in 6. in nouella. super glo. 11. & de renun. c. nisi cum pridem. in princ. & de præben. c. auaritiæ in prin. ea hac prodeūt simoniæ, vsuræ,

vsuræ, furta, rapinæ, simulati contractus, deceptiones, circa vel infra dimidiam iusti pretij falsa pondera, & mensuræ: iniuriæ, & damna, sacrilegia, venditiones iustitiæ, retentiones decimarum, & latrocinia c. inter alia, de immu. ecclesiæ, & assassinamenta. cap. pro human. de homicidio. lib. 6. Auaritia secum quòd importat voluntatem accipiendi, vel retinẽdi alienum, est peccatum mortale, in se ex imperfectione actus. & hoc modo opponitur iustitiæ. secundum autem quòd nominat in ordinatum appetitum pecuniæ contrariatur liberalitati, & cõmuniter est peccatum veniale; tamen posset esse tantus affectus ad acquirẽdum, uel retinendum, quod est mortale. vt si quis propter hoc postponeret ea, quæ pertinent ad salutem animæ, non curans transgredi præcepta Dei, & ecclesiæ, & huiusmodi, ex genere tamen mortale non est. ex Caie. ibi, & Thom. secunda secundæ. q. 84. art. 4. & q. 118. art. 4.

RATIO VITANDI Auaritiam.

SI opes auferuntur, aut non contingunt, noli valde cruciari. Si quidem in ijs, quæ vere sunt hominis, nihil plus habent reges. quam tu pauper. viuis, & ipsi, tametsi non tam laute, vsque ad mortem, quæ forsan hodie, aut prope diem ex improuiso aderit & videbis, quid profuerint diuitiæ. quibus tunc opus non erit, uiue præsenti conditione contentus, memor (ut ait Hiero. ꝙ satis diues est, qui pane non indiget. satis potens, qui seruire non cogitur. Præterea necessitati pauca sufficiunt, & vita nostra breuis est, quo strictius eam transegeris, eo felicius.

Habens alimenta, ex quibus tegaris, ijs contentus esto, non dico, quibus onereris. seruus enim Dei (inquit Chrisostom.) non debet habere vestimentum ad decorem visionis, nec ad mollitiem, seu delectationem carnis. sub tegumentum nuditatis. quære primum regnum Dei, & iustitiam eius, & omnia corpori tuo necessaria adijcientur tibi. Deus enim, qui libenter vult tibi dare cęlestia, & magna, non negabit tibi minima, & terrena. A quo si minima non speras, quomodo maxima sperare poteris? Paupertas virtus non est, sed paupetatis amor per cuius amorem, Christo, qui propter nos omnia reliquit, pauperes voluntariè, & libenter conformantur, qui diuitias non habitas, tanquam habitas cõtemnunt, necessariam paupertatem, & per patientiam faciunt voluntariam, dum pauperes per paupertatem Christo conformantur. Diuites per eleemosinam Christo reformantur, quia non solum pauperes Pastores, pauperem Christum cum paupere Maria in paupere loco inuenerunt, sed etiam diuites Reges: idque duntaxat per eleemosinam, & munerum oblationẽ. Itaque quisquis es, cui suppetunt facultates, pauperibus impartire, quod enim ijs feceris, Christo feceris. illud solum tuum reputa quod in cœlis. ubi patriam tuam habes, tibique reseruatum, quod pauperibus erogaueris. Si enim in hac alieni generis terra Thesaurum tuum collocaueris; nihil est; quod speres accipere in cœlis. vbi nihil habeas repositum, non enim sunt homi-

mis dicenda bona, quæ secum deferre non potest, quaque perdit, nec in morte quidem animam deserunt, nec omitti possunt, nisi te volente.

Caue temere profundas tuas facultates, ne vel turpiter egeas; vel turpius rem pares. Quin potius sic vtere tuo, ut alieno non egeas. Efficacissimum auaratiæ remedium est pauperibus omnia relinquere. & sub sancto Prælati regimine, & prouisione viuere, & in nullo sui iuris esse, sicut in primitiua ecclesia fideles sub Apost. erant. Sed hoc consilium est, & non præceptum.

DE LIBERALITATE.

LIberalitas est uirtus dispensandi diuitias in vsus bonos, sibi, suisque, & alijs hæc uirtus sibi temperat ab illicito lucro à rapina, furto, usura, & sic de alijs. alioquin enim eleemosina illa oculis Redemptoris non placeret, quæ ex illicitis, & iniustitia congeritur, quæ vni iniuste adimit, quod alteri sub specie recti exhibetur, sed quæ de rebus à iusto possessore datis, aut bene & iuste acquisitis impenditur. August. Vis esse oprimus mercator, prudens mercenarius? da quod nõ potes retinere, ut consequaris quod non possis amittere, da modicum, ut consequaris centuplum, da rem perituram, ut consequaris æternam. Sed cui dabis? da indigenti (inquit Chrisostomus) & non saltanti, ut non cum tuis eleemosinis animam tuam perdas, & illius, cui das.

DE LVXVRIA.

LVxuria, ex qua procedunt adulteria, & stupra, fornicationes, pollutiones nocturnæ, crimen pessimum cum maribus: quod dicitur contra naturam, propter quod venit ira dei in filios diffidentiæ. c. vt clericorum de 6. & ho. cle. & propterea quinque Ciuitates igne cõsumptæ sunt. c. clerici. de excess. prela. 3. q. 7. cao. falgitia in auth. vt non luxurientur. contra naturam. Col. 6. cap. de adulterijs. l. cum uir adulterium. propter cuius suspitionem violentam potest maritus vxorem accusare. c. maritis. de adulterio & 32. q. 1. dixit dominus.

ADVLTERIVM EST morte puniendum.

SI *mæchatus fuerit quis* cũ vxore *adultera*, & *adulterium* perpetrauerit cũ vxore proximi sui morte moriatur, & mæchus & adultera eadem pœna puniuntur. Quid igitur adulterio grauius, vt dicit tex. 32. q. 6. c. quid igitur, si ex eo sequuntur successionum turbationes, exhæredationes, homicidia, & incestus, quia forte quis *cognoscet* filiã patris sui ignoranter. maledicitur à Deo mulier adultera. numerorum. 5. cap. ubi iudicio Zelotipiæ mulier submissa datur per sacerdotem in maledictionem, & in exemplo omni populo. si de testanda sit in coniugatis incontinentia carnis: multo magis in clericis religiosis, & ecclesiasticis personis, ad cuius probationes adducuntur rationes detestationis incontinentiæ in clericis.

Ex adulterio multa mala eueniunt.

EVeniunt multa mala ex adulterio, quandoque damnificatio hæredum legitimorum, ad cuius satisfactionem

nem adulterij,qui causam damni dede runt,tenentur, aut manifeste si negocium patitur, aut occulte donando læsis meliori modo,quo fieri possit : si ex manifestatione adulterij periculum imminet,occulte satisfaciat quomodo potest, reliquum diuinæ misericordiæ relinquat.iuxta.c.officij. de pœni. & remis.non enim tenetur perdere famam, vel vitam vt satisfaciat, item si ex reuelatione adulterij,non sperat fructus, quia nec filius tenetur matri in hoc credere,neque maritus.ideo etiam cessante periculo,& non est spes fructus, quia non tenetur reuelare, secundum Caietanum.ibi concordat Arch. flo.secunda parte.tit.2.c.10. §.4. & Panor. non multum discrepat. post Innoc. in c.officij.de pœni. & rem.si tamen posset mulier hoc probare sufficienter,& nullum periculū immineret, nec famæ nec alterius rei teneretur reuelare, secundum Arch.floren. ibi alias satisfaciat de suo si habet venientibus ab intestatu uel his,quos maritus uerisimiliter hæredes instituisset,si sciuisset tūc non esse filium suum proprium. idem dico, si partum alienum mulier sibi suppossuit. ex his quidam colligunt,vt ros. quod præceptum positiuum non obligat aliquem cum scandalo, etiam si præceptum papæ & iusta causa demittitur,si ex ea scandalum corporum vel animarum venturum credatur. vt in d.cap.officij,& quod ius positiuum, etiam interpretatur ius diuinum, vt hic quia restituere alienum est de iure diuino.

CLERICORVM INCONTInentia ex septem aggrauatur.

SEptem autem sunt causæ,quę aggrauant peccatum carnis in clericis, in sacris ordinibus constitutis.

Prima voti fractio:& ista est circumstantia ualde aggrauans peccatum. quod satis apparebit, si aliquis attendat, quam præcioſum sit, quod talis aufert Deo.quam res sancta continentia sit, hæc enim duæ circunstantiæ aggrauare solent peccatum rapinæ,preciositas rei,quæ rapitur,quia magis dā nificatur proximus:& sanctitas ipsius, quia tunc non est solum furtum, immo sacrilegium. Castitas vero, quam iste Deo promisit,cum sacros ordines susscepit, quam Deo aufert cum fornicatur, res incomprehensibiliter est. vnde Eccle.26. omnis ponderatio non est digna animæ continentis res sancta cum Deo sit oblata.Vnde fractio eius, Deo inuito,facta,sacrilegium est.

Secunda est scandalum,& derisio populi.Vnde Hieron. Clericus,aut honestior est cæteris, aut alijs fabula.

Tertia est scientia. Vnde Gregor. Vbi maius est donum scientiæ : transgressor maiori subiacet culpæ.

Quarta,est ex hoc, quòd ad seruitiū Dei assumpti sunt. Sicut enim qui fornicatur in ecclesia magis peccat, quam ille, qui fornicatur in domo cōmuni:cum ecclesia Dei sit seruitio deputata : sic maius est peccatum luxuriæ in clericis,qui dei seruitio sunt deputati.quàm in laicis.82.dist.cap.proposuisti.

Quinta est, q̄ ipsi sunt de familia Dei,& eius expensis viuunt,& vestiuntur.Proditores vero sunt, quando illū impugnant, de cuius bonis viuunt, & dicitur tale peccatum contumelia. Vnde

de in Psal. 54. Si inimicus meus (inquit Christus) maledixisset mihi, sustinuissem vtique: tu vero homo unanimis dux meus, & notus meus: qui simul mecũ dulces capiebas cibos. &c.

Sexta est, in hoc, quòd ipsi decipiũt populum, qui dat eis eleemosinas, vt eius pijs orationibus deleant peccata orando: & gratiam impetrent sanctitate uitæ suæ. 81. d. ca. oportet. quod ipsi non faciunt, quia secundum Gregorium, cum indignus ad intercedendum mittitur, irati animus ad deteriora prouocatur. 3. q. 7. c. in grauibus.

Septima est dignitas officij, ad quod ordinati sunt, quod specialiter pertinet ad sacerdotes, sicut enim grauiter peccaret qui calicem benedictum in lutum proijceret, uel aliter macularet, eoque ad continendum dominicum sanguinem deputatus sit, sic sacerdos grauiter peccat, qui ad suscipiendum dominicum corpus, & sanguinem ordinatus est, quando peccato carnis se maculat, & sicut ille grauius peccaret qui calice inquinato, manente immũditia, Christi sanguinem in eo poneret: Sic grauiter peccat ille, qui fętore luxuriæ inquinatus ante, quam ab immunditia illa se abluerit: corpus & sanguinem Dei præsumit sumere.

Stuprum.

STuprum, per quod mulier virgo extra matrimonium defloratur, mortale peccatum est. Constituens propriam speciem ex eo, quod auferatur virginale signaculum paternæ custodiæ commissum, si autem alio modo perdat virginitatẽ, vt per voluntariam pollutionem ex se non erit stuprum, sed mollicies, in masculo autem adhuc virgine coeunte cũ meretrice uel alia, non erit stuprum quia nõ ita sub custodia patris est quo ad hoc nec fit minus nubilis amissa virginitate sicut femina. Thom. secunda secundæ. q. c. 53. artic. 6. ad quid tenetur qui stuprauit uirginem. supra. restitutio. §. 22.

LVXVRIA IN SACERDOTE propter quinque causas est valde indecens.

NOta etiam, quàm peccatum luxuriæ est valde indecens in sacerdote. & hoc quinq; de causis, & quia homo, & quia Dei minister. & quia *Angelus*. & quia plus quam *Angelus, in aliquo*, & quia uicem Dei tenet.

Ad primum facit illud Senecæ: *Voluptas carnalis nihil habet magnificũ à ministerio membrorum vilium, ac turpium veniens sine appetitu formicãtis, & brutalis concupiscentia brutorum, uiso desiderabili, tam cito accenditur, & non habet in potestate sua, vt eam impetret, vel extinguat: sic fornicator vult appetitum suum impleri quantumcunque sibi malum accedere debeat.*

Ad secundum, nota quòd si diuites huius seculi tãtum amant munditiam in eis, qui seruiunt sibi, cibos præparando: quòd ille, de quo legitur in Cãticis. 15. c. qui pascitur inter lilia in puritate delectatur. August. Melius est (inquit) spiritualia penitus omitti, quàm impure tractari, uel tangi. In ecclesiasticis officijs Deus non frequentiam multorum, sed deuotionem probat animorum.

Ad tertium pertinet illud Mali

cluix.

chiæ. 11. Labia sacerdotis custodiunt scientiam & legem requirent ex ore eius: quia Angelus domini exercitiũ est, Plus etiam est, quàm Angelus, quãtum ad dignitatem sacerdotalem, quam non credimus angelis esse concessam. non enim si proferret Angelus verba ista: Hoc est corpus meum. Hic est sanguis meus, fieret trans substantiatio, quia non habet ordinem, qui adhoc exigitur? nec legimus angelis dictum: Quorum remiseritis peccata, remissa sunt: vt legitur discipulis d. Ioan. Penul, Hoc tamen verbum sane intelligendum est, est etiam, vt Deus, vnde super illud Matth. 16. Vos autem quẽ esse dicitis? dicit inter limearis gl. Vos ab alijs discreti non homines, seddij. & in l. Exod. 22. Dijs non detrahes, principibus populi tui non maledices, & quale est hoc, vt ille uiuat, ut porcus, qui est ut Deus. Ad propositum dicit beatus Bernardus, in libro de contemptu: In multis multipliciter regnat fornicatio, non veremur ante angelum Dei, qui scindet eos, ac disperdet, audent temerarij sacerdotes agni immacolati sacras contingere carnes, & manus nefarias intingere in sanguine Saluatoris. Pro dolor paulo ante meretricias carnes attractauerunt: altaria conueniunt, & Psalmos decantant, quorum laus execrabilis, & oratio sit in peccatum. ideo idem Bernardus dicit alibi: Vtinam, qui continere non ualent, quia nolunt: eligerent potius, cum humili, fidelique populo saluati, quã temerariè cælibatum profiteri. Item permaxima immunditia Episcopi, vel sacerdotis cum filia spirituali est deo, & mundo abhominabiles: vbi pater perimit filiam, pastor mactat ouem commissam, medicus inficit ægrotum. Vera proditio, ex qua vasallus amittit feudum, sic cum filia domini concubuerit. vt in lib. feud. quibus modis feudum amittitur. Quanto magis est sacerdos verus proditor, qui ouem à Christo sibi commendatam, vt eam sibi custodiat, & à diabolica impugnatione. præseruet: diabolo Christi inimico tradidit damnatione subiugandam. & ideo, tanquam promaximo scelere sacerdos committens fornicationem cum filia spirituali, deponitur, & peregrinatio. 17. annorum sibi iniungitur. & perpetuo in monasterio ad pœnitentiam cõdemnatur. Mulier si non sit serua, uel cõiugata, in monasterium detruditur, omnia & bona sua pauperibus distribuuntur. c. si quis sacerdos. & cap. non debet. 30. q. 1. unde si mediator inter Deum, & hominem sacrilegus sacerdos Deo offerat ouem, & prophanet templum domini, vt sit spelunca diaboli, qui intercedet apud Deum?

Consequenter uidendum est, quando aggrauatur peccatum carnis in religiosis personis, & primo hic ostendemus generaliter in quibuscunque personis religiosis, deinde specialiter in sanctimonialibus.

RELIGIOSORVM LVXVRIA propter sex est grauissima.

SEX autem sunt, per quæ ostendi potest quantum aggrauatur hoc peccatum in religiosis.

Primum est in hoc, quod Moyses narrat. 6. c. Gen. tanquam causa diluuij, cum cæpissent (inquit) multiplicari homines super terram, & procreassent filios, & filias, videntes filij dei filias homi

hominum, quod essent pulchræ: in vxores acceperunt, ex omnibus, quas elegerant, si autem tãtum displicit Deo, q̃ filij dei filiam hominum acceperũt: quantum credendum est displicere Deo, cum filij Dei cum filiabus fornicantur, etiam spiritualibus.

Secundum est in hoc, quòd cætus religiosorum est nobilior pars, & magis peculiaris in sponsa Christi, scilicet ecclesia. Vnde per faciem intelligitur. & ideo sponso ecclesię magis displicet macula in his. vnde ipse dicit in Canticis. 11. Ostende mihi faciem tuam. Qui magnam contumeliam vult facere alicui, maculat ei faciem. vnde iudei in faciem Christi expuerunt, vt cõtumelia maior esset. sic Christo magnam contumeliam faciunt qui faciem sponsæ, pro qua abluenda propriam faciem sputis iudeorum exposuit, maculant, uel in se, uel in alijs.

Religiosorum luxuria est apostasia.

TErtium est in hoc, quòd peccatum carnis in religiosis apostasia est. Si quis habitum religionis dimiserit, apostata est. cum autem castitas magis substantialis sit religionis, quàm habitus qui castitatem abijcit. profecto apostata est. Vnde de tali verum est, quòd loquitur Prouerbio. sexto, homo apostata inutilis, quia nec quantum ad Deum vtilis est: nec etiam sibi, quicquid enim facit in claustro, non valet ei ad meritum vitæ æternæ, & quo ad homines inutilis est cum sit eis in scãdalum; & derisionem.

QVartum est, quòd diabolus studet, & laborat per maxime, ut religiosos, faciat cadere & præcipue in peccatum carnis. Vnde ecclesiæ. 13. c. Venatio leonis; Onager in Eremo; Leest diabolus, cuius est venatio monacus, in eremo. unde diabolus est quasi venator cibos inusitatos quærens. vnde Abacuc. 1. In crallata est pars eius, & cibus eius electus.

Monialem violans, omnem luxuriæ Speciem committit.

SEquitur de peccato carnis in sanctimonialibus, quòd adeo est graue, quod non solum est fornicatio, immo est Adulterium, & incestus, & Stuprum, & quasi peccatum contra naturam.

Adulterium est, vbi, cum sit accessio ad sponsam Christi, & valde graue est genus adulterij, si attendatur cui desponsata est: quoniam altissimo, cui Angeli seruiunt, desponsata est, quanto enim nobilior est is; cui desponsata est, tanto maior contumelia est. Attendere etiam debet quod eam sollicitat, quòd sponsa Dei sui est. vnde cũ peccato adulteris committit crimen proditionis. Hoc attendebat Ioseph, quam dominæ suæ dicenti sibi: Dormi mecum, dicebat Genes. 39. Quomodo possum facere hoc malum, & peccare in dominum meum: Attendere etiam debet, quòd ipsa ista est à Deo dilecta: quia deus in claustro inclusit eã, oblita est proprium suum, & domum patris sui. Vnde concupiuit rex decorem eius, iuxta verbum psalmistæ. Ad hoc adulterium potest specialiter referri hoc quod legitur Prouerb. 6. Zelus, & furor non parcet indie vindictæ, nec acquiescet cuiuscunque precibus, nec recipiet pro redemptione dona plurima.

Item stuprum idest defloratio illata virgini. Fre-

Frequenter est ibi & incestus, & valde graue genus incestus, quia cum vxore Patris. Vnde ad hoc potest referri quod legitur 1.ad Corint. 5. c.& talis fornicatio, qualis nec inter gentes: vt vxorem patris sui nullus habeat.ad idem potest referri,quod legitur Genes. penul. Rubem effusus est, sicut aqua: non crescas,quia ascendisti cubile patris tui, & maculasti fratrem eius.

Est etiam ibi quodammodo uitium contra naturam, cũ fornicatur aliquis cum mortua & iam sudario inuoluta. Religiosæ,professæque perfecte ordinem suum seruant,continue sudarium suum ferunt,& in habitu suo sepeliuntur.

DE PECCATO IRAE malæ.

IRA, quæ impedit animũ,ne possit cernere verũ, ex qua procedunt homicidia,seditiones,rixæ,contentiones, vulnera,duella. Homicidia,scilicet parentum filios occidentium,qui puniuntur prout habetur in c.2.& si de his. q. 6. occi.& occidentium fures diurnos, & nocturnos, etiam ira appetitus vindictæ dicitur ex passione naturali proueniẽs,secundum Thomam,prima secundæ.q.46.& quia uindicta potest iuste appeti,& infligi,vt si pater cõtra filij delictũ irascitur, illumq; secũdũ debitũ modũ puniat,peccatũ est, maxime mortale. Si autem quis appetat vindictam iniuste secundum se, vt scilicet quis occidatur, etiam quòd mortem non meruerit,uel si meruerit, appetit illum puniri,non à iudice,sed ab homine priuato, non habente auctoritatem occidendi, uel appetit puniri à iudice merentem puniri,non pro iustitia, sed vt animo suo malo satisfaciat, & sic in his casibus mortale est, quia contra charitatem proximi notabiliter, & iustitiam.Item si quis ex uehementia irę excidat à dilectione Dei, uel proximi,vt quando quis vehementer irascitur contra Deum, uel quando ex ira nimia proximus scandalizatur,vel quãdo ex ira cadit in odium,ut trabem faciat ex festuca. In his mortale est. propter tamen imperfectionem actus, vel in primis motibus ante deliberatum consensum,erit veniale; vt si quis trahat puerum per capillos appetat uindictam de parua re. Potest etiam esse mortale, ex interiori motu animi, vt quando quis ita accenditur ex furore iræ,vt ratio succumbat, & de hoc aduertit,& non refrænat, vel ex motu exteriori aliquid adiungitur contra Deum,vel proximum,vt blasphemia contra Deum,uel sanctos,aut opprobriũ, uel huiusmodi contra proximũ, quod sit notabile,etiam mortale est.

MODVS VITANDI ALIENAM Iram.

IRatum in ipsa iræ commotione, si declines, dabis locum iræ. & si tibi iratus est, ei blande, & amice respondeas,quia responsio mollis frangit irá, & si eius corde pax non perfunditur, in tuo corde inuiolata seruetur, nec à corde tuo,uel abnegata discedat.

Erit Christiano homine dignum, si uitio tantum, non homini indignatus, beneficiũ pro maleficio, officium charitatis pro contumelia reponas, sicque

ex inimico certissimum tibi concilies amicum. quod plerunque vsu uenit.

Eris pacificus etiam, cum parcis inimicis, spe correptionis, non consensu malignitatis, vt si nec exemplum, nec cohortationes tuas sequantur, causas tamen non habeant, quibus tibi iure irasci debeant.

Dum furentem reprimere conaberis, nequaquam in furorem te te erigas, ne accendas carbones peccatorũ, volés eos extinguere: sed quicquid est in te tranquillitatis, & modestiæ, illud ostendes.

DE PECCATO GVLAE.

GVla hæc quinque modis dicitur vitium, & peccatum mortale. Primo quando indigẽtiæ tempora præuenit. Secundo quando cibos lautiores quærit. Tertio, quãdo quæ sumenda sunt, accuratius quærit. Quarto, in quantitate sumptã, vltra necessitatem, & superfluè mensuram refectionis excedendo. Quinto, quando & si abiectius est, quod desiderat: tamen in ipso esu immensè desiderat. & sic grauius peccat, c. Quinque modis. de consecra. dist. 5. etiam secundum Tho. secunda secundæ. q. 148. importat inordinatum appositum, uel actum delectationis, cibi, & potus, & tunc mortale peccatum est, quando ibi finis vltimus constituitur iuxta illud Apostoli: quorũ Deus venter est. Propter quòd non seruatur ieiunium de præcepto, comeduntur carnes diebus prohibitis, &c. uel si quis aliquod prohibitum faciat, uel faciendum de præcepto omittat.

DE ABSTINENTIA.

ABstinentia est à cibo, & potu pro sola corporis castigatione cessatio, Deus homini ad esum multa bona creauit, sed ne mensuram edẽdi excederet, abstinentiam imperauit, qua omnes carnales cupiditates, & omnia vitia extirparentur, sicut vicissim omnes animæ virtutes gulæ vitio destruuntur. Abstineat c. inquit Aug. à multis licitis, qui per libertatem arbitrij multa commisit illicita. & quæ per illicita (inquit Gregor.) defluendo cecidimus; etiam à licitis nosmetipsos restringendo surgamus. Pro eo enim (inquit Bernar.) quod ab ipsis quoque licitis abstinemus, ea nobis, quæ prius commisimus, illicita, condonantur. Quid vero est condonari commissa, nisi se ieiunio breui, ieiunia redimi sempiterna? Gehennam enim moruimus, ubi nullus vnquam cibus est consolatio, terminus nullus, ubi gutta aquæ diues postulat, & accipere non meretur. Bona ergo est & salutaris abstinentia, per quam redimũtur æterna supplicia, dum remittuntur hos modo peccata. Itaque quoniam eiecit nos cibus de paradiso, illuc reducat esuries. In cassum autem per abstinentiã caro atteritur, si inordinatis demissa motibus mens, vitijs dissipatur. Quid enim prodest attenuare corpus abstinentia. si animus intumescat superbia? quam laudem merebimur de pallore ieiunij, si liuidi sumus inuidia? quid virtutis habet uinum non bibere, & ira atque odio inebriari? Tunc demum præclara est abstinentia, tunc pulcra & magnifica corporis castigatio, cum animus est mundus à vitijs. eo enim absti-

nentiæ

nētiæ bonū deperit, quo seſe à ſpiritua lib. vitijs minime cuſtodit. hinc Ioel: Sanctificate ieiunīū. Ieiunīū aūr ſancti ficare, eſt adiūctis illis bonis operibus dignam Deo abſtinentiam carnis oſtē dere. Bernard. Volo autem admonitos uos eſſe fratres meos, obſeruandum eſſe ieiunium, non ab eſcis tantum ſed ab omnibus illecebris carnis, & vniuerſa corporis voluptate, immo vero ieiunandum eſſe longe amplius à vitijs quàm à cibis, qui enim à cibis abſtinēt & praue agunt, demones imitantur, quibus eſca non eſt, & nequitia ſemper eſt. itaque nos ſolum iſtud ieiunium uiſibilium ciborum, ad perfectionem cordis, & corporis puritatem ſufficere poſſe credendum eſt, niſi huic fuerit animæ quoque ieiunium copulatum. habet namque & illa ſuos nōxios cibos, quibus impinguata, etiam ſine eſcarum abundantia, ad luxuriæ prærupta deuoluitur.

DE INVIDIA.

INuidia eſt inimica virtutum. Ab hac procedunt ſciſmata, detractiones, & calumniæ, ideſt falſæ accuſationes: hinc eſt quòd Concilium Cartaginenſe inhibet, quòd Clericus inuidens fratrum prouentibus, donec in uitio eſt, non debeat promoueri. c. Clericus inuidens, 46. diſt. adde ca. 1. de cenſibus. lib. 6. inuidia etiam propria eſt, quando aliquis dolet, quòd alius proſperetur, nō propter aliud, ſed propter hoc ſolum, quia ille parum diſtās, bonum, ſeu melius habet. apprehendit enim inuidus bonū, quaſi dimunutio ſit ſuæ excellentiæ, & eſt ex ſuo genere mortale peccatum: quia contra charitatem, triſtatur de eo, de quo debet gaudere, ſecundum Caiet. in ſumma: Qui autem triſtatur de bono alieno, propter aliquam conditionem adiunctā, vt puta propter damnum, inde ſequēs, aut quia caret ipſe tali bono, uel quia quod habet indigne habet, non eſt inuidus, ſecundum Thom. ſecunda ſecundæ. q. 36. artic. 2. ſi autem inuidia ſit de re parua, vt in primis motibus, eſt peccatum uenale, ſecundum Thom. ibi art. 3. & eſt vitium capitale ſecundum eundem ibi art. 4. ex quo oriuntur, odiū ſuſurratio, detractio, exultatio in aduerſis proximi, & afflictio in proſperis. Secundum Gregorium 31. mor. li. eſt & quædam inuidia fraternę gratiæ, ſecundum quod quis triſtatur de augumento gratiæ dei, ſeu participatione eius, & ponitur peccatum in ſpiritum ſanctum: quia per hanc inuidentiam, homo quodammodo inuidere videtur ſpiritui ſancto, qui in ſuis operibus glorificatur. & ſecundum Thom. ubi ſupra, ponitur inter grauiſsima peccata. licet lętari quandoque de ruina malorum, & dolere de eorum proſperitate, ne bonis nocere queant, ut tenet Gregorius.

Ratio vitandi inuidiam.

AMplectere humilitatem, fuge matrem inuidiæ ſuperbiam. Superbus enim, qui non ſolum ſuperiorem, ſed ne parem quidem pati poteſt, ijs facillime inuidet, quos aliqua in re beatiores uiderit, hoc timens, ne illis videri poſsit inferior.

Nihil amaueris, uel concupieris eorum, quæ mundus habet, & amat, vt

sunt honores, diuitiæ, voluptates. expete tantum cęlestem hæreditatem, & bona spiritualia, quæ numerus cohæredum non angustat, quę & omnibus vna, & singulis tota sunt, quæ tanto largiora esse ostẽduntur, quantò ad hæc percipientium multitudo magis dilatatur. temporalia autem tanto fiũt minora singulis, quantò pluribus fuerint diuisa, & idcirco desiderantis mẽtem liuor excruciat, quia hoc, quod appetit, alter accipiens, aut funditus admittit, aut à quantitate restringit. difficile nanque est, vt hoc alteri non inuideat, quod adipisci exoptat.

Dum animum tuum inuidiæ titillabit tentatio, eam hac ratione comodissime uiues, si deum rogaueris, vt ei bene sit, cui vt inuideres, prius soliçitabat tentatio, sicque ei charitatis obsequia exhibere statuas.

Neminem prorsus oderis, amicos tuos in Deo diliges, & inimicos tuos propter Deum. qui te adhuc sibi inimicum, sic dilexit prior, vt animam suam pro te redimendo poneret. Vnde & dicit: Diligite inimicos vestros, benefacite ijs, qui oderunt vos.

Iniquum hominem non magis oderis, quàm fidelis medicus odit ægrotũ, eius vitio tantum sis inimicus. Gregorius. inimicos Dei perfecto odio odisse est peccata nõ personas, mores prauorum premere, vitæ prodesse.

Quod ab alio tibi non uis fieri, uide ne tu alteri id facias, sed quæ vis vt faciant tibi homines, ita & tu fac illis. Per illud malitia compescitur, vt malum, quod pati non vis, alteri non facias; cesses à nocendi opere, per hoc benignitas præcipitur, vt bonum, quod tibi ab alio fieri expetis, alteri impendeas, erga vtilitatem proximi te exerceas ex benignitate. Caue autem sic: Tecum cogitaueris, quid mihi rei cũ isto? ignotus est, alienus est, nihil vnquam de me bene meritus est, læsit aliquando, nunquam profuit. tantum memineris, quo merito tanta tibi præstiterit Christus, qui suá in te cõtulit beneficientiã, non in se. Bonorũ enim tuorum non indiget, sed in proximo suo rependi uoluit; tantum vide, quibus ille egeat, & quid possis.

In secundis, & aduersis aliorum aliter non te, geras, quàm si tibi ipsi accidissent, si alijs secunda euenerint, perinde atque si tibi euenissent, eorum gratulare felicitati, si aduersa flebis cum flentibus, memor idem tibi posse contingere; in vna enim ecclesia, tanquam in uno corpore, membra ita simul gaudere, simul merere, & se mutuo iuuare debent, vt quicquid uni acciderit, omnibus acciderit.

Breuiter hæc est proximi tota dilectio: bonum, quod tibi conferri uis, ueli & proximo; & malum, quod tibi inferri non vis, nolis & proximo, & omnium profectus, tuos esse credas, & de pœnis aliorum, tanquam de propriis misericorditer lugeas.

DE CHARITATE.

CHaritas est dilectio, qua diligitur Deus, propter se, & proximus propter Deum. Charitas Dei, & proximi, propria est, & specialis uirtus piorum, atque sanctorum, cum ceteræ uirtutes, & bonis, & malis possint esse communes, sine qua nullum bonum adest, immo inuanum, & frustra habentur cetera bo-

na,

na', saltem quantum ad salutem æternam consequendam. Si autem ad-sit, habentur cetera bona, ut enim multi arboris rami ex una radice prodeunt, sic multæ uirtutes ex una charitate generantur, nec habet aliquid viroris ramus boni operis, nisi manauerit è radice charitatis.

DE ACCIDIA.

DE accidia dicitur; quod ocio sitas, & voluptas arma sunt hostis antiqui ad miseras animas captiuandas. c. nisi. cum prudē. §. verum: de renun. & dixit tex. ne indelicitijs sis ociosus: facito aliquid operis, ut semper diabolus te occupatum inueniat. c. nunquam. de consecr. dist. 5. ex hac prodeunt omnes negli- [illegible]tiæ, & cap. præsertim circa missam audiendam diebus dominicis. c. missas. de conse. dist. 3. c. omnes. vsque ad benedictionem Sacerdotis, uel Episcopi præsentis. c. & secundum Thom. secunda. secundæ. q. 35. art. 2. de ma. q. 9. artic. 1. quoddam tædium operandi mentem aggrauans, & semper est peccatum quia uel faciat dolere de bono spirituali, de quo gaudendum est, vel de malo, sed immoderato. & est speciale vitium, quod facit tristari de bono diuino, de quo charitas gaudet, & ex suo genere est mortale peccatum, quia secundum propriam rationem contrariatur charitati. secūdum Tho. vbi art. 3. si tamen in sola sensualitate consistat, & non pertingat vsque ad rationis consensum, propter imperfectionem actus, erit ueniale peccatum, si autem peruenitur vsque ad rationis consummationem est mortale, & hoc est quando ratio conuertitur in fugā, horrorem, & detestationem boni diuini, carne contra spiritum omnino prævalente: & contrariatur præcepto de sanctificatione sabbati. secundum Thom. ibi supra.

DIEBVS FESTIS quid faciendum.

QVM quæritur quid facere debeamus; dicendum est, q debemus laudare Deum. quoniam dicit Psalmus: Magnus dominus, & laudabilis nimis. & alibi Psal. Venite exultemus &c. in gaudio iubilemus, in spe præoccupemus faciem eius in confessione oris, in contritione cordis. quia nos populus eius, & oues pascuæ eius, & alibi Psal.

LAudate dominum omnes gentes, laudate eum omnes populi. quoniam confirmata est super nos misericordia eius. &c. obseruatio solemnitatum est quasi incohatio beatæ vitæ, quā espectamus vbi erit assidua Dei laudatio. Vnde Beatus Bernar. nihil in terris sic repræsentat cęlestis habitationis statum, sicut alacritas laudantium, ex naturali inclinatione deputatur cuilibet rei aliquod tempus: sicut temporali refectioni somnus: comestioni prandium, spirituali refectioni sabbatum, in quo habemus memorare peccata, & de ipsis conteri. veniam petere, laudes de beneficijs dei dare. in ecclesia prolixius orationibus insistere operibus pietatis vacare, necessitatibus proximi consulere. passionem dominicam, & Christi misericordiam contemplari, prædicationes, & missas

inte-

integre audire, de consecra.di. 1.cap. missas. Item ecclesiastici his diebus prolixioribus officijs solemnibus, missarum processionibus,& alijs pijs operibus uacare debēt, in solemnitatibus præcipuis maxime insistendum est prolixius Dei laudibus: sanctis meditionibus,orationibus, eleemosinarum largitionibus.c. ieiunia. de conse.dist. 3. admirandæ sunt delitiæ æternæ solemnitatis, ad quas est nostrum desiderium his diebus attendendum:quia nihil prodest interesse festis hominū, se adesse contingat festis Angelorum. item solemnitates repræsentant tempus æternæ quietis,ad quam peruenerunt sancti per uigiliam laborum sanctorum, non in uigilia huius seculi: & nos sanctos imitando sic habemus peruenire. meditari enim debemus diebus festis,in quo statu:sub quo uitiorum iugo sumus: de illis conteri saltem, si non ualemus confiteri. ut quod nobis deest per peccatum: oratio possit obtinere.

Diebus festis à quibus abstinendum est.

CVM quæritur à quibus abstinere debemus: dico, quòd à uitijs, & otio,ebrietatibus, & luxurijs.Vnde Augustin.in lib.di.10.cord.dicitur tibi, ut obserues sabbatū:non carnali otio, non nugis, & luxurijs.nam melius esset in agro aliquid vtile facere, quam vitiose diebus festis viuere.secundum Bonauen.in 3.dist.19.in quæstionibus super literam:non innuendo,quòd his diebus debeant ruralia exercere, sed vt opera vitiosa magis prohibeantur. Quod autem ab operibus seruilibus abstinere debeamus: Leuitici.33.Omne opus seruile non facietis in eo.Sanctificare est diuino cultui totaliter applicare in Exo. 20. c. dicitur: Omne opus nō facietis.opus seruile, ut dicit S.Doctor secunda secundę.q.122.art. 4. tractans istud præceptum. dicitur à seruitute peccati. & hoc est prohibitum,uel à seruitute, qua homo seruit homini secundum corpus. & hæc interdicta sunt istis diebus, non autem à seruitute Dei.illa enim seruilia prohibentur, quæ impediunt applicationem hominis ad diuina: in quibus homo inhæret terrenis lucris, & ea,quæ libertati spiritus & diuinæ laudi obuiant. Vnde Ieremias.17.c.hæc dicit dominus: Custodite animas uestras, & nolite portare pondera in diē sabbati, nec inferatis per portas Ierusalem,nec eijcite onera de domibus vestris,in die sabbati, & omne opus non facietis:Sanctificate diē sabbati, sicut præcepti patribus vestris. Si audieritis me,habebitis Reges, & Principes sedentes super solium Dauid, & ascendentes in curr.bus,& equis,& habitabitur ciuitas hæc in sempiternum. Si non audieritis me,succendā ignem,& non extinguetur.diabolus sic accendit cupidos ad laborandum, & diebus festiuis terrenis lucris intendendum qđ non permittit eis considerare delitias æternæ solemnitatis, quos perdunt, immo eligunt potius continue portare graue onus diaboli. scilicet peccatum cum cæcitate, quam onus Christi leue secundum cultum Dei cum lumine gratiæ, quod est leue, Matth.11.& sic per peccatum magis peccant diebus festis, quam alijs.

Opera Diebus festis permissa

CVM quæritur; quæ opera terrena sunt his diebus permissa,dicit S. Do-

S. Doctor. vbi supra, quod opera communia omnibus ad necessitatem vitę, & ad salutem corporis, & indefensionem proximi, ut iuuare; ne quis verberetur. Prouerb. 24. c. Erue eos, qui ducuntur ad mortem. 23. q. 3. non inferenda. & Deuter. 2. c. 22. Non videbis bouem, & ouem fratris tui errantem, & præteribis: sed reduces fratri tuo. Item defendere se die sabbati, nō est peccatum. Vnde. 1. Machabe. 11. Non polluerunt sabbatum Machabei ad sui defensionem pugnantes, uel inferre medicinam necessariam. Ioan. 7. Mihi indignamini, quia totum hominem saluum feci in sabbato, Matt. 12. quis ex vobis habet ouem, & ceciderit in sabbato in foueam, nonne leuabit eam? item spirituales actus ad salutem, uel pietatem, ut prædicare, in lege diuina instruere. Item studere nō causa lucri, sed ad animam meritoriè perficiendam, seu illuminandam, non est prohibitum Item ea, quæ sunt voluntarie iurisdictionis possunt exerceri, ut adoptare, emācipare, tabelliones creare. beneficia conferre & similia. Item in his, quæ sunt notoria, & respiciunt pietatem, vel necessitatem, ut absoluere, excommunicare. in alimentis, in sepulturis prouidere, in rebus perituris, uel scandala generantibus, vt legitur, & notatur per Doct. in c. 1. & c. Licet cum sequenti. de ferijs.

DE DILECTIONE DEI, & proximi.

DIlectio, qua deus diligitur, tria facit, illuminat intellectū; magis enim instruit, quā studium: quia non est charitas sine luce sapientiæ: sicut nec ignis sine ardore. Ecclesiæ. 1. Dilectio dei honorabitur sapientia: quia facit hominem honorabilem, sicut vestis pretiosa. exemplum de eo, qui cum vili veste nō potuit intrare portam regis: sed veste mutata gaudenter fuit receptus. Matt. 12. de illo, qui non habens vestem nuptialem, eiectus est à nuptijs. & ideo astitit Regina à dextris tuis, & item delectat affectum. quicquid enim charitatiue pro dilectione expendit, pro nihilo duxit. item excitat effectum: sicut amicus pro amico libenter laborat. Ioan. 14. Si quis diligit me, sermonem meum seruabit. & 1. Ioan. 5. In hoc cognoscimus, quia natos Dei diligimus: cum Deum diligimus, & mandata eius facimus.

Proximus quare est diligendus.

DIligendus est proximus ratione similitudinis. ut ouis ouem. c. de pęn. di. 2. cap. proximos. ecclesias. 13. Omne animal diligit sibi simile. Item ratione fraternitatis spiritualis. Leui. 19. Nono oderis fratrem tuum: sed dilige, sicut te ipsum: multitudo fratrum carnalium minuit portionem terrenā: sed non sic est de fratribus spiritualibus in cœlo, sicut lux. nam minuitur, quando à pluribus participatur. Vnde Gregorius: Felix hæreditas, quā multitudo hæredum non angustat. Vnde plus se debet diligere fratres spirituales, quàm carnales. Item ratione diuinæ præceptionis, hoc enim dilectio præcepit quasi magis obseruandum. Ioan. 15. Hoc est præceptum meum, ut diligatis inuicem, sicut dilexi uos. hoc enim solum Apostolis in testamento reliquit, non vineas, non agros. Sed multi sibi, & suis non pauperibus

integre audire, de consecra.di. 1.cap. missas. Item ecclesiastici his diebus prolixioribus officijs solemnibus, missarum processionibus, & alijs pijs operibus uacare debēt, in solemnitatibus præcipuis maxime insistendum est prolixius Dei laudibus: sanctis meditionibus, orationibus, eleemosinarum largitionibus. c. ieiunia. de conse. dist. 3. admirandæ sunt delitiæ æternæ solemnitatis, ad quas est nostrum desiderium his diebus attendendum: quia nihil prodest interesse festis hominū, se adesse contingat festis Angelorum. item solemnitates repræsentant tempus æternæ quietis, ad quam peruenerunt sancti per uigiliam laborum sanctorum, non in uigilia huius seculi: & nos sanctos imitando sic habemus peruenire. meditari enim debemus diebus festis, in quo statu: sub quo uitiorum iugo sumus: de illis conteri saltem, si non ualemus confiteri. ut quod nobis deest per peccatum: oratio possit obtinere.

Diebus festis à quibus abstinendum est.

CVM quæritur à quibus abstinere debemus: dico, quòd à uitijs, & otio, ebrietatibus, & luxurijs. Vnde Augustin. in lib. di. 10. cord. dicitur tibi, ut observes sabbatū: non carnali otio, non nugis, & luxurijs. nam melius esset in agro aliquid vtile facere, quam vitiosè diebus festis viuere. secundum Bonauen. in 3. dist. 19. in quæstionibus super literam: non innuendo, quòd his diebus debeant ruralia exercere, sed vt opera vitiosa magis prohibeantur. Quod autem ab operibus seruilibus abstinere debeamus: Leuitici. 33. Omne opus seruile non facietis in eo. Sanctificare est diuino cultui totaliter applicare in Exo. 20. c. dicitur: Omne opus nō facietis. opus seruile, ut dicit S. Doctor secunda secundę. q. 122. art. 4. tractans istud præceptum. dicitur à seruitute peccati. & hoc est prohibitum, uel à seruitute, qua homo seruit homini secundum corpus. & hæc interdicta sunt istis diebus, non autem à seruitute Dei. illa enim seruilia prohibentur, quæ impediunt applicationem hominis ad diuina: in quibus homo inhæret terrenis lucris, & ea, quæ libertati spiritus & diuinæ laudi obuiant. Vnde Ieremias. 17. c. hæc dicit dominus: Custodite animas uestras, & nolite portare pondera in diē sabbati, nec inferatis per portas Ierusalem, nec eijcite onera de domibus vestris, in die sabbati, & omne opus non facietis: Sanctificate diē sabbati, sicut præcepti patribus vestris. Si audieritis me, habebitis Reges, & Principes sedentes super solium Dauid, & ascendentes in curr.bus, & equis, & habitabitur ciuitas hæc in sempiternum. Si non audieritis me, succendā ignem, & non extinguetur. diabolus sic accendit cupidos ad laborandum, & diebus festiuis terrenis lucris intendendum qđ non permittit eis considerare delitias æternæ solemnitatis, quos perdunt, immo eligunt potius continue portare graue onus diaboli. scilicet peccatum cum cæcitate, quam onus Christi leue secundum cultum Dei cum lumine gratiæ, quod est leue, Matth. 11. & sic per peccatum magis peccant diebus festis, quam alijs.

Opera Diebus festis permissa.

CVM quæritur; quæ opera terrena sint his diebus permissa, dicit S. Do-

S. Doctor. vbi supra, quod opera communia omnibus ad necessitatem vitę, & ad salutem corporis, & indefensionem proximi, ut iuuare; ne quis verberetur. Prouerb. 24. c. Erue eos, qui ducuntur ad mortem. 23. q. 3. non inferenda. & Deuter. 2. c. 22. Non videbis bouem, & ouem fratris tui errantem, & præteribis: sed reduces fratri tuo. *Item* defendere se die sabbati, nō est peccatum. Vnde. 1. Machabe. 11. Non polluerunt sabbatum Machabei ad sui defensionem pugnantes, uel inferre medicinam necessariam. Ioan. 7. Mihi indignamini, quia totum hominem saluum feci in sabbato, Matt. 12. quis ex vobis habet ouem, & ceciderit in sabbato in foueam, nonne leuabit eam? item spirituales actus ad salutem, uel pietatem, ut prædicare, in lege diuina instruere. Item studere nō causa lucri, sed ad animam meritoriè perficiendam, seu illuminandam, non est prohibitum Item ea, quæ sunt voluntarie iurisdictionis possunt exerceri, ut adoptare, emācipare, tabelliones creare. beneficia conferre & similia. Item in his, quæ sunt notoria, & respiciunt pietatem, vel necessitatem, ut absoluere, excommunicare. in alimentis, in sepulturis prouidere, in rebus perituris, uel scandala generantibus, vt legitur, & notatur per Doct. in c. 1. & c. Licet cum sequenti. de ferijs.

DE DILECTIONE DEI, & proximi.

DIlectio, qua deus diligitur, tria facit, illuminat intellectū; magis enim instruit, quā studium: quia non est charitas sine luce sapientiæ: sicut nec ignis sine ardore. Ecclesiæ. 1. Dilectio dei honorabitur sapientia: quia facit hominem honorabilem, sicut vestis pretiosa. exemplum de eo, qui cum vili veste nō potuit intrare portam regis: sed veste mutata gaudenter fuit receptus. Matt. 12. de illo, qui non habens vestem nuptialem, eiectus est à nuptijs. & ideo astitit Regina à dextris tuis, & item delectat affectum. quicquid enim charitatiue pro dilectione expendit, pro nihilo duxit. item excitat effectum: sicut amicus pro amico libenter laborat. Ioan. 14. Si quis diligit me, sermonem meum seruabit. & 1. Ioan. 5. In hoc cognoscimus, quia natos Dei diligimus: cum Deum diligimus, & mandata eius facimus.

Proximus quare est diligendus.

DIligendus est proximus ratione similitudinis. ut ouis ouem. 4. de pen. di. 2. cap. proximos. eccles. 13. Omne animal diligit sibi simile. Item ratione fraternitatis spiritualis. Leui. 19. Non oderis fratrem tuum: sed dilige, sicut te ipsum: multitudo fratrum carnalium minuit portionem terrenā: sed non sic est de fratribus spiritualibus in cœlo, sicut lux. nam minuitur, quando à pluribus participatur. Vnde Gregorius: Felix hæreditas, quā multitudo hæredum non angustat. Vnde plus se debet diligere fratres spirituales, quàm carnales. Item ratione diuinæ præceptionis, hoc enim dilectio præcepit quasi magis obseruandum. Ioan. 15. Hoc est præceptum meum, ut diligatis inuicem, sicut dilexi uos. hoc enim solum Apostolis in testamento reliquit, non vineas, non agros. Sed multi sibi, & suis non pauperibus

peribus erogant.de quibus poteſt dici, illud Pſal. Nec fideles habiti ſunt in teſtamento eius.Item ratione diuinæ dilectionis, ut mulier amico viri ſui.1.Ioan.4.Si quis dixerit, quoniam diligo Deum,& fratrem ſuum oderit, mendax eſt. Item ratione mutuæ neceſsitatis.ut membrum non eſt,quin ſit capiti neceſſarium, & è conuerſo. Diligendus eſt autem proximus, ut membrũ à membro in neceſſarijs ſubueniendo: oculus enim toti corpori videt. 1. ad Corinth. 12. In id ipſum pro inuicem ſollicita ſunt membra. Item non vendicando: os enim non mordet digitum,ſi ſe lædat,Eccleſiaſt. 28.Qui vindicari vult à Domino inueniet vindictam, & peccata illius ſeruans ſeruabit.Item alium ſupportãdo ut collum, brachium fractum.Galat. 6.Alter alterius onera portate, & ſic adimplebitis legẽ Chriſti. Item defectum alterius celando: manus enim turpia tegit.Eccl.19. Audiſti verbum aduerſus proximum tuum.Item morbum alterius medico reuelando:ut os malum pedis.Matth.18. Si peccauerit inte frater tuus, vade & corripe eũ inter te, & ipſum ſolum.c.ſi peccauerit.11.q.1.

INIMICVS QVARE eſt diligendus.

DIligendus eſt inimicus, & ei benefaciendum eſt, propter mercedis magnitudinem. Terra ei magis fructificans libentius ſeminatur, & merces nobilior,libentius comparatur.Matth. 5.c. Si diligitis eos, qui vos diligunt:quam mercedem habebitis: hoc ethnici faciunt:immo etiam cames:maior autem virtus chriſtiano eſt neceſſaria ad ſalutem,quàm ethnico,vel cani. Item propter peæcepti Dei adimpletionem. Pſal. Latum mandatum tuum nimis. Latum eſt mandatum,cum amici,& benefactores diliguntur:ualde latum,cũ extranei,& incogniti:ſed nimis latum, cum inimici diliguntur. Item propter eorum utilitatem:nobis enim in uilioribus,ideſt,in peccatis abſoluendis ſeruiunt. Prouerb.11.ſtultus, ideſt,perſecutor ſeruiet ſapienti,ideſt,patienti. Item propter Dei imitationem. Matt. 5. Diligite inimicos veſtros:benefacite his, qui oderunt vos, & orate pro perſequentibus, & calumniantibus vos.vt ſitis filij patris veſtri, qui in cælis eſt, qui ſolem ſuum facit oriri ſuper bonos,& malos, & pluit ſuper iuſtos,& iuſtos:immo frequenter bona ſua temporalia communicat inimicis.

DE SCRIPTVRAE ſacræ lectionis vtilitate perſonis eccleſiaſticis.

SCripturarum ſacrarum lectio cum plurimum vtilis ſit clericis,& perſonis eccleſiaſticis: in quibus ocium ſine literis eſt mortiferum: & viui hominis ſepultura,tractabitur.de eius vtilitate, & quomodo ſcriptura ſacra aquæ comparetur, & quos libros ſacerdotes habere debent.

Verba ſancti Iſidori in libro de ſummo bono.

ORationibus mundamur,lectionibus inſtruimur, vtrunq; bonum

eſt

est.qui vult cum Deo semper esse: frequenter debet orare, frequenter & legere, & cum oramus, ipsi cum Deo loquimur. cum uero legimus, Deus nobiscum loquitur. Omnis perfectus ex lectione, & meditatione descendit, quę autem didicimus, meditationibus conseruamus. geminum confert donum lectio sanctarum scripturarum: intellectum mentis erudit: & hominem à mũdi vanitatibus abstractum ad amorem dei perducit. geminum est lectionis studium: Primum quòd intelligantur scripturæ. Secundum, qua vtilitate vel dignitate dicantur. nam rationabile est, vt quisquam promptus sit ad intelligenda, quæ legit idoneus ad profereenda, quæ didicit. lex enim Dei præmiũ habet, & pœnam. Præmium, in his, qui bene uiuendo eam custodiunt. pœnam in bis, qui male viuendo contemnunt.

SCRIPTVRAE SACRAE vtilitas.

SCriptura sacra lectoris animam ad cælestẽ patriam vocat. atque à terrenis desiderijs ad superna complectenda cor legentis inuitat. Vnde Hieronymus: Ama scientiam diuinarum scripturarum, & carnis vitia non amabis. de consecr. dist. 5. c. nunquam. Vnde sapiens literatus, qui se lectione continua non exercet, quasi deserta domus est. & qui indocti sunt, inquit Salomon prouerbio 10. In cordis egestate morientur. Scriptura sacra aliquo modo cum legentibus crescit, a rudibus lectoribus quasi recognoscitur: & tamen à doctis semper noua inuenitur. verba. sunt Isidori, vbi supra. Præcepta scripturæ sacræ legendo, reuiuiscimur: qui mortui in culpa iacebamus. Vnde Psal. 118. In æternum non obliuiscar sermones tuos: quia in æternum viuificasti me. Sancta Dei scriptura in tenebris præsentis vitæ facta est nobis lumen veritatis itineris. Vnde Psalmus 118. Lucerna pedibus meis verbum tuum: & lumen semitis meis. plerunque fit, ut sacræ scripturæ verba mistica esse quisquam sentiat, si assensus supernæ contemplationis gratia semetipsum ad cęlestia suspendat. itaque ineffabilis virtus sacri eloquij cognoscitur, cum superno amore legentis animus penetratur. Gregorius in registro: Si ad consolationem nostram sacra scriptura purpurata est: tãto magis eam debemus legere, quanto conspicimus sub tribulationum nos falce lassari.

Scriptura sacra comparatur speculo, in quo videntur omnia:

GRegorius in moralibus: Sacra scriptura oculis mentis quasi quoddam speculum apponitur: ut interna nostra facies in ipsa videatur. ibi etenim fœda, ibi pulcra nostra cognoscimus. ibi sentimus quantum proficimus, ibi quantum à profectu longe distamus. Item scriptura sancta narrat gesta sanctorum, & ad imitationem prouocat corda infirmorum: dumque illorum victricia facta conmemorat: contra vitiorum prælia debilia nostra confirmat. Ambrosius in exameron: Scriptura diuina salutem suggerit: vitæ odorem flagrat.

Scripturas non solum in libris habeamus, sed etiam in cordibus:

CHrisostomus super Ioannem: Nõ propterea datæ sunt scripturæ, ut

eas in libris ſolum habeamus, ſed ut in cordibus eas conglutinemus. Iſidorus in ſinonimis: Lectio docet, quid caueas: oſtendit quo tendas: lectione ſenſus augetur, & intellectus illuminatur. nemo poteſt ſenſum ſacræ ſcripturæ agnoſcere, niſi legendi familiaritate, ſicut ſcriptum eſt, per Salomonem prouerbiorum. 4. Arripe illam: & glorificaberis ab ea, cum eam fueris amplexatus.

Verba Iſidori in libro de ſummo bono.

NAM ſicut cęcus, & uidẽs poteſt quidem vterque ambulare: ſed non cum ſimili libertate, dum cæcus pergens, quæ non uidẽt, offendat, uidens uero offendicula caueat, & quo ſit pergendum agnoſcat; ſic & qui nubilo terrenæ curæ fuſcantur, Dei perſcrutari miſteria non valet, quia caligine curarum non uidet, quod ille tantundem efficere ualet, quæ ſe ſe de exterioribus ſeculi curis abſtrahit, & totum ſcripturarum ſe meditationi defigit.

Scriptura Sacra ut ac, & aqua hauriatur.

HAuſtus ſacræ ſcripturæ concupiſcendus eſt tanquam hauſtus lactis, & aquæ. primo doctrinæ lac cõcupiſcendum eſt, ut dicit Beatus Petrus, quaſi modo geniti infantes lac, ſed doctrinæ ſacrę, concupiſcite, ideſt, petite. 1. Petri. cap. 1. & hoc propter ſaporis dulcedinem, Ioelis. 3. radix illa, ſcilicet gratiæ. ſtillabunt montes, ideſt ſancti doctores dulcedinem, colles, ideſt, minores fluent lac, & mel. item propter cibi ſuauitatem. Prouerbiorum. 27. ſufficiat tibi lac caprarum. ideſt ſacrarum ſcripturarum in cibos tuos, ſcilicet ſpirituales.

Sacerdotibus neceſſaria.

QVæ autem ſunt ſacerdotibus neceſſaria ad diſcendũ tradit textus Auguſt. 38. diſtin. cap. quæ ipſis. Vbi ſic dicit: Quæ ipſis ſacerdotibus neceſſaria ſint ad diſcendum, ideſt, Sacramentorum Liber, Lectionarius, Baptiſterium, Computus, Antiphonarius, Canones pęnitentiales, Pſalterium, Omiliæ per circulum anni diebus dominicis, & ſingulis feſtiuitatibus, ex quibus omnibus, ſi unum defuerit, ſacerdotis nomen uix in eo conſiſtere poterit.

TESTAMENTVM VETVS, & nouum, & quid ſit teſtamentum.

EST notandum, quòd teſtamẽtum dupliciter accipitur. nam promiſsio ipſa, ſcilicet id, quod teſtatur, ſeu legitur, dicitur teſtamentum. Vnde nouum teſtamentum gratia fidelibus promiſſa, ſcilicet fides, & charitas. Cæteræ uirtutes ſiue uita æterna in futuro: & uirtus in præſenti uita. & Apoſtolus ideo noui teſtamenti teſtator eſt: ut repromiſsionem accipiant qui uocati ſunt hæreditatis æternæ: extra, de celebr. miſſa. cum Marte. §. ceterum.

Quare dicitur uetus teſtamentum.

VEtus teſtamentum dicitur à vetere ſcriptura, teſt. de conſecra. diſt. 4. ſicut in ſacra. in prin. & hæc quaſi humana ſimilitudine dicuntur, ſicut enim qui teſtamentum condit, hærẽ inſtituit, chirographum facit, teſtes aduocat, agenda per hæredem indicit: ſic & Deus pater uolẽs filios Iſrael in terra promiſsionis hæredes inſtituere. Chirographum fecit, ideſt legem dedit, teſtes acciuit, ſcilicet Moyſem,

&

& Aron, & agenda per illos edixit. & hoc uetus testamentum, sed quia in eo transitoria, & temporalia promittebat extra de celebra. missa. §. ceterum. Ideo Christus uolens Christianos, scilicet fideles, æternæ hæreditatis hæredes facere nouum testamentum condidit, scilicet euangeliũ: aduocauit testes Apostolos, eisque indixit, quòd testamentum tandẽ morte propria consecrauit.

Præterea testamentum est testatio mentis, qua quisque quod mente concipit ore testatur: & perscripturam corroborare iubet. 14. q. 2. §. sit illud. Ceterum illa scriptura dicitur uetus testamentum. primo quia uetera, ideſt terrena. scilicet ad ueterem hominem pertinentia promittebat, dicens: si hæc feceretis, bona terræ comedetis. Et iterum terram fluentem lacte, & melle dabo uobis, & similia.

Secundò, dicitur uetus testamentũ, quod per ueterem hominem, scilicet per Moysen ueterem, uetustate peccati *ministratum* fuit.

Tertio, quia nouo superueniente cessauit, & desijt tanquam aliquid uetustum. Vnde Apostolus: Vetera transierunt: ecce noua facta sunt omnia. ¶ Quarto dicit uetus respectu noui: quia eo fuit antiquius tpe. ¶ Quinto, quia uetustate peccati nos liberat.

Quare dicitur nouum testamentum.

PRimo, hæc scriptura nouũ dicitur testamentum, quia noua ideſt cæleſtia, scilicet ad cęlestis hominis conuersationem pœnitentia, promittit dicens: qui agrum, aut domum &c. Centuplum accipiet, & uitam ęternam possidebit.

Secundo dicitur nouum: quia per nouum hominem, ideſt ab omni peccato immunem, scilicet per Christum ministratum est.

Tertio dicitur nouum, ideſt ultimũ, quia nouissimum hominis testamentũ immobile perseuerat: quod testatoris obitu confirmatur, ut extra. de celebra. missa. cum matre. §. Ceterum & 13. q. 2. cap. vlt. hinc enim dicitur ęternum, ideſt perpetuum, quasi durabile, ac immutabile, de quo dictum est. in 4. parte sub septima particula super uerbo noui, & ęterni. Christus enim iam non moritur, & mors illi ultra non dominabitur, de consecra. distin. 2. semel.

Quarto dicitur nouum, respectu ueteris, quantum ad tempus, uel quia uetus lex est quasi radix: ipsum uero nouum testamẽtum est quasi fructus.

Quinto, quia inouat: non enim illud dicitur, nisi homines renati ex vetustate per gratiam pertinentes iam ad nouum testamentum, quod est regnum cœlorum.

Funda Dauid quid significat.

FVnda Dauid est prædicatio, per quam fundam prædicationis ejicitur diabolus de cordibus hominum, cum per duram reprehensionem incutitur timor & concipitur pœnitentia. lapis vero dura reprehensio est, quia ergo huiusmodi victoria haberetur per humilitatem, ideo ad missam primæ dominicę post pentecostẽ incipit introitus: Domine in tua misericordia speraui: ecce humilitas Dauid. Cor. meum: ecce mentis iocunditas. Per duo vincitur: & quia ille solus vincit, qui nihil sibi, sed omnia bona sua Deo attribuit, & sperat in eo, ideo bene sequitur oratio: Deus in te sperantiũ &c.

Signo Crucis sæpe consignare optimum est.

DEbent omnes christiani sæpe cõsignare se signo Crucis, ut apostata diabolus in vase suo pristino interemptionis suæ cognoscens signum, sibi iam deinceps illud sciat esse alienum: nam & omnia sacramenta sacerdotalis ministerij crucis signo perficiuntur: & baptismatis vnda non nisi per crucem sanctificata, peccata relaxat, nec sine crucis signaculo quis sacerdotis gradus ascendit.

Nobilitas morum Sacerdotes nobilitat.

MOrum nobilitas, non loci, uel generis, sacerdotes nobilitat. nam merita nos Deo coniungunt. non loca; vel ordines. 40. dist. in prin. & cap. non nos. cum tribus se.

Pietas ad omnia est vtilis.

SCribit apostolus ad Timotheum: Exerce te ipsum ad pietatem: nã corporalis quędam exercitatio ad modicum vtilis est: pietas autem est vtilis ad omnia, habens promissionem uitæ, quæ nunc est, & futuræ, ab hac quisquis alienus fuerit, uerus Sacerdos non est.

Margaritæ non sunt ante porcos seminandæ.

SI quis in peccatis inuolutus permanet, non oportet secum aliquid de secretioribus, & remotis diuinæ scripturæ, aut scientiæ proloqui: Sed magis protestari, & conuenire eum, ut peccare desinat, & actus suos à vitio emendet. quod si suggerat se, & pronocet nos dicere eum minus recte agentem non oportet audire? prudenter ei debemus illudere:

Eleemosinarum tria sunt genera.

TRia sunt genera eleemosinarum: Corporalis, scilicet cum das egẽti: quicquid potes. Spiritualis dimittendo iniurias ei, à quo læsus fueris. Tertia delinquentes corrigendo, & errantes in viam redeundo veritatis: & eleemosinę corporali prętertur eleemosinæ cordis mansuetudo: mansuetudo autem & discretio ab inuicem nunquam separantur: uere enim iustus miseris compatitur, & delinquentibus non indignatur.

Christianitas in sacramentis fundatur.

SAcramenta ecclesiastica, in quibus fundatur omnis christiana religio, solicite ministrentur, & celebrentur, ac deuote exerceantur, & suscipiãtur: vt cultus diuinus, non solum conseruetur, sed augeatur: & in laudem Dei: & cum gratiarum actione omnia conuertantur, & finiantur: & ad vitæ, & gloriæ æternæ meritum, ut ueræ beatitudinis fruitionem finalẽ perueniãt.

Religiosi sunt misericorditer corrigendi.

REligiosi sunt misericorditer corrigendi, & non more latronum in grauem carcerem detrudendi: secundum morem prauæ cõsuetudinis, quæ quasi pro lege in quibusdam ecclesijs etiam inoleuerat, de statu regularium. ea, quæ. 1. respon. & nimis grauis correctio prælati de consilio sui capituli. ideſt. temperanda d. c. reprehensibilis. §. fi. de his, quæ fiunt à prælato. c. nouit. & c. ea noscitur. requiritur etiam quod consuetudines, uel institutiones, per quas fiunt visitationes religiosorum approbatæ & rationabiles. d. c. romana in fin.

Hostiam sacram humiliter debemus adorare.

STatuit Honorius. 3. quod à sacerdotibus eucharistia in loco singulari mundo, & signato semper honorifice collocata deuote, ac fideliter, conseruetur, & quod sacerdos quilibet frequenter doceat plebem; ut cum in celebratione missarum eleuatur hostia salutaris, se reuerenter inclinet, hoc est flexis genibus. idem faciat cũ eam portat presbyter ad infirmum: quam in decenti habitu super posito mundo velamine ferat, & referat manifeste, ac honorifice ante pectus, cũ omni reuerentia, & timore: semper lumine præcedente: ut candor lucis ęternæ: & ex hoc apud omnes fides, & deuotio augeatur: & transgressores puniantur, prout in c. sane de celeb. miss. vbi gloss. ponit orationem per omnes dicendam tempore eleuationis sacrificij.

DE ECCLESIA LAESA restituenda ab episcopo.

DEbet Eps ecclesiam lęsam in integrũ restituere, cum clericus eius conditionem non possit facere deteriorem. & fungatur ecclesia iure minoris. c. 1. de integ. restit. & cle. 1. eod. titul. nec debet pati quod negligentiam clerici redũdet in ecclesiæ præiudicium. cap. conuenisset. eod. tit. maxime illius, qui in modico tempore multum præsumit addiscere: cum nemo repente sit summus, nec sufficiat diu in scolis fuisse, sed laudabiliter vixisse.

Clerici debent esse casti.

ERubescere debent impij, & intelligere iudicio sancti spiritus, eos, qui in sacris ordinibus, presbiteratu, diaconatu, & subdiaconatu sunt positi: si caste non vixerint: excludendos ab omni graduum dignitate, & nemo ad sacrum ordinem accedere permittitur: nisi aut vigor, aut probatæ castitatis existat, & episcopus nullum debet præsumere facere subdiaconum: nisi qui caste se victurũ, promiserit, quia hodie subdiaconatus est sacer ordo, vt in c. a multis. eod. tit. debent ergo episcopi super pręmissis omnibus indetessiam adhibere diligentiam: ne propter negligentiam fiant in aliquo culpabiles. Proinde statuit Papa, quòd habentes plures dignitates, vel alia beneficia curam animarum habentia, per ordinarios compellantur ostendere infra tempus competens superioris arbitrio statuendum, dispositiones: quas si non ostenderint, perinde procedatur, ac si nullas haberent: & si ostenderint, & sufficienter, non amplius molestentur.

Hæretici sunt fugiendi.

MOneantur, ne credant, aut faueãt hæreticis, neque receptent eos, aut defendant: alias sunt excommunicati: & nisi infra annum ex tunc satisfecerint: efficiuntur infames, nec ad publica officia, seu consilia, nec ad eligendos aliquos ad huiusmodi, nec ad testimonium admittuntur, & efficiuntur intestabiles: & non possunt libere testari. nec ad hæreditatis successionem admitti, & nullus sibi super quocunque negotio, sed ipse alijs respondere cogitur. & si forte index extiterit, eius sententia annullatur, nec causæ aliquæ ad eius audientiam perferri possint. Si fuerit aduocatus, priuatur officio patrocinij

trocinijs. Si tabelio, instrumẽta cõtracta per ipsum nullius sunt momenti, & idem de similibus: sed cum auctore sunt damnati, vt in c. excommunicamus. §. credentes de hęreticis.

PRAECEPTA DECALOGI in duabus tabulis data sunt.

IN prima tabula sunt tria præcepta, quæ pertinent ad Deum: quæ, quia sunt tres personæ diuinæ, ideo tria præcepta, Primum: Vnum cole Deum: Secundum: Nec iures vana per ipsum. Tertium: Sabbata sanctifices. In secunda tabula sunt septem ad proximum pertinentia, quorum primum est de exhibendis bonis: vt est illud: Honora patrem. & quia corde, ore, & opere lędimus proximum, propter quod dantur tria præcepta. Primum opere: Non occides. Secundum: Non mœchaberis. Tertium: Non furtum facies. Ore lædimus proximum: & propter hoc est illud: Non dices falsum testimonium contra proximum tuum. Corde lædimus proximum dupliciter, respectu rei temporalis, & personę, & contra hæc duo dicitur: Non Concupisces rem, nec vxorem proximi tui. Iudicialia vero præcepta sunt de soluendis decimis &c.

Papa non dispensat contra Decalogi præcepta.

PApa non potest dispensare contra decem præcepta Decalogi, quia, si non sunt articuli: sunt tamen articularia fidei, & ita annexa articulis, ꝙ sine eis salutem præstare non possunt. c. sicut secundum Ioan. de Deo.

Inimicorum dilectio an sit de præcepto, vel de consilio.

QVantum vero ad dilectionem affectus est præceptorium, quia inimico uelle gratiam, & gloriam necessitatis est. Sed ostendere illi signa beneuolentiæ, est perfectionis consilij. negare tamen homini signa familiaritatis, quando petit veniam, vel necessitas exposcit, vindicta est, nisi subsit præsumptio quod simulat, vel irrisione faciat.

Christus quare sacramentum eucharistiæ instituit.

CHristus in cœna hoc sacramẽtum sanctissimum instituit, & sub duplici specie dedit, vt sub duplici specie in sui memoriam offerrent sacerdotes, in altari ad commemorandam suam spontaneam oblationem in cruce, & sanguinis effusionem, cum sanguis à corpore Christi fuerit effusus: ac ꝓ uiuis, & defunctis in purgatorio existentibus, offeratur. Laicis datur sancta eucharistia in modum vnionis, in vtilitatem recipientis bene dispositi.

Suffragia facta ab illis, qui non sunt in charitate, an prosint in purgatorio vexatis.

QVærit Altisiodorus, vtrum suffragia facta ab illis, qui non sunt in charitate prosint illis, qui sunt in purgatorio; Solutio: Si ille, qui facit suffragia, est publica persona, sicut sacerdos: valent auctoritate ecclesię, siue sit sacerdos in charitate, siue non: quia quod facit in celebranda missa, non est opus hominis, sed Dei, quia dominus dat per seruum suum eleemosinam, & meritum. Si autem à priuata persona fiant,

fiant,& in charitate, valent.

QVAE SINT PROHIBITA clericis.

ATtendant ſuperiores ad extirpandas conſuetudines, & corruptelas ludorum theatralium, & ludibriorum, ſpectaculorum & laruarum, quæ in eccleſiijs fiunt in certis feſtiuitatibus: & ne in ſacris conſtituti illa exerceant, ne per huiuſmodi turpitudinem eccleſiarum decor, & honeſtas inquinetur. c. cum decorem. non tamen prohibetur repræſentatio præſepe dominit, Herodis, Magorum, & quomodo Rachel plorabat filios ſuos &c. quæ tangunt feſtiuitates ſuas: de quibus ibi fit mentio: cum tales potius inducant vulgus ad compunctionem, quàm ad voluptatem. ſicut in paſchę ſepulcro, & alia repreſentantur ad deuotionem excitandam art. de conſecratio. diſt. 2. ſemel. & d. 4. quæris in fi. eſt nanque feſtum ſignum, & repræſentatio præteritarum rerum. 76. diſt. quod die dominico.

Vita clericalis, & conuerſatio ſecundum Iſidorum.

A vulgari vita ſecluſi a mundi voluptatibus ſe abſtineant ſacerdotes non ſpectaculis, non pompis interſint, conuiuia publica fugiant, priuata non tantum pudica, ſed ſobria colant. Vſuris nequaquam incumbant, nec turpium occupationibus lucrorum, nõ fraudibus uſum vel ſtudium cuiuſquã appetant, quaſi materiam cunctorum criminum, amorem pecunię fugiant, ſecularia que officia vel negocia abijciãt honoris gradum per ambitionem non ſuſcipiant. dolos & iurationes caueant, odium, emulationem obtrectationem atque inuidiam fugiant, non vagi oculis, non effreni lingua aut laſciuia, nec petulanti fluuidoque geſtu incedant, obſcenitatem ſeu turpitudinem membrorum ac verborum ſicut & operum exerceantur: viduarum & virginum frequentationes penitus fugiant, & contubernijs extranearum feminarum nullatenus appetant. Caſtimoniam quoq; inuiolati corporis perpetuam conſeruare ſtudeant. ſenioribus quoque debitam prebeant obedientiam, neque illo iactantię ſtudio ſemetipſos attollant, doctrinis, lectionibus, pſalmis, himnis, canticis iugiter inhęreant, tales enim debent eſſe qui diuinis cultibus ſe mancipare ſtudent, vt dum ſcientiæ operam dant, doctrine gratiam populis ad miniſtrent, hæc ſanctus Iſidorus de uita clericorum. 1. c. his igitur. 23. diſt.

ATtendant etiam, & prouideant, quòd clerici officia, uel commercia ſecularia, non exerceant: maxima inhoneſta, nimis ioculatoribus, & iſtrionibus non intendant: & tabernas prorſus euitent: niſi forte cauſa neceſſitatis in itinere conſtituti, & quod ad aleas & taxillos non ludant: nec huiuſmodi ludis interſint, in quibus blaſphematur Deus cum ſanctis ſuis. c. de aleatoribus. l. 1. quæ incipit: alearum vſus. in antiqua res eſt &c. alias ſi qui uicerint reſtituere compellantur. & quod anulos non ferant, niſi quibus cõpetat ex officio dignitatis.

QVinimo nec canes aut ancipitres ad uenandum eis licitum eſt habere. alias enim ſunt puniendi: vt in c. 1. de clerico ueneratore. omnibus enim ſeruis Dei, uenationes cum canibus,

acci-

accipitibus, aut falconibus sunt interdicti: ut in c.fi.eod.tit.

Curati omnino tenentur residere.

ET aduertendum, quòd omnes promoti ad parochiales ecclesias omnino tenentur in eisdem residere personaliter: vt regimen & curam gregis sibi traditi diligentius regere possint. c.licet.canon.uersi.is etiam. de elect. lib.6.præter quam in casu.c.extirpandæ.§.qui uero.de præben.ubi per uicarium residere potest. si uero dignitati, uel præbendæ parochialis ecclesia est annexa; tunc cõceditur, vt, qui habent talem præbendam, vel dignitatem, cũ oporteat eum maiori ecclesiæ deseruire, possit in ipsa parochiali ecclesia idoneum, & perpetuum habere vicarium canonicè institutũ: qui congruentem habeat de ipsius ecclesiæ, obuentionibus distributionem.

Ordines suscipere compelluntur clerici quandoque.

DEbent Episcopi, Clericos habentes, beneficia certos ordines requirentia compellere ad suscipiendos ordines eisdem dignitatibus, & beneficijs annexos. cap. quæris. de ætat. & quali. & habentes dignitates, & parochiales ecclesias (etiam ex causa studiorum.) compellere ad ordinem subdiaconatus suscipiendum infra annum, à tempore suæ promotionis: ne sicut à multis de Christi patrimonijs sublimitatis olim factum esse dignoscitur, à statu clericali valeant retrocedere. Interim tamen debent prouidere, quòd per bonos, & sufficientes vicarios ab eis in huiusmodi ecclesijs deputãdos, animarum cura diligenter exerceatur: & deseruiat laudabiliter in diuinis. illisque de ipsarum ecclesiarum prouentibus necessaria congrue ministrentur.

Archipresbiteri rurales quid facere debeant.

ARchipresbiteri rurales constituãtur in singulis plebibus, propter assiduam erga populum Dei curam: qui non solum periti vulgi sollicitudinem gerant: immo etiam presbiterorum, qui per minores titulos habitant vitam vigili circunspectione custodiant, & quanta unusquisque industria opus domini exerceat, vt ẽpo suo renunciet, quia & si etiam ualde idoneus sit episcopus: decens est, vt cum alijs sua onera partiatur: vt sine illo titubet ecclesiastica sollicitudo: dummodo contra decretum *episcopi aliquid* ordinare non præsumat. c.fi.eod.tit.

Carnes die mercurij non edentes laudandi sunt.

LAudentur ieiunantes semel in qualibet hebdomada, iuxta cursum dierum Annunciationis virginis. & nõ edentium carnes die mercurij: & aliæ omnes similes laudabiles deuotiones, & consuetudines: iuxta. not. in c.1.de pur. post partum & 4. distin. denique & c.fi.de bapptismo. & c.1.de celebra. missa.

Crux Christi est honoranda.

DEbemus festum sanctę crucis inuentionis celebrare. de *consec.* dist.3. Crucis. quam videmus in singulis parochialibus ecclesijs depictam in altum erigi, quia cum prius esset supplicium latronum, transiuit ad frõtes imperatorum. secundum August. & si tantum honorem Deus contulit supplicio: quãtum conferet seruo suo? & quadruplicem causam quare Christus crucis mortem eligit, ponit glo. in

ver-

verbo crucis.cle.de sum.trini.subdens etiam crucem quatuor lignorum genera habuisse, scilicet cedrum in stipite.palmam in pallio, perlongum, cipressum in ligno extrauerso, oliuam vero in tabula super crucem loco quarti brachij.

Sepultura multis denegatur.

DEnegatur ecclesiastica sepultura in casibus.

Primo, furibus, & latronibus.ca.de fur. item morientibus interniamentis.c.1. de torniamentis. item raptoribus.c.1. de raptoribus. item.qui seipsos interficiunt, uel suis sceleribus interficiuntur.23.q.5. placuit.item.his, qui constituunt presbyteros in suo testamento tutores. 88.di. neq; apud. & 1. q.3.Cyprianus. item in quolibet, quem, constat in mortali peccato decessisse. 13.q.3. non extimemus. &c. pro obeuntibus. itē his, qui post mortem conuincuntur de hæresi. 24. q. 2. sane profertur. prout de his omnibus no.per glo.in d.cap.ex parte.11. adde casum.de senten. excomm.is cui.lib.6. vin.in c. prohibemus. de decimis. notabat peruersos aliquos casus, in quibus denegatur sepultura.& hos casus no.scilicet, in omni pagano, & iudeo, & hæretico.de consec.di.1. ecclesiam. & c. se. in vsurario publico de vsuris. quia in omnibus in excommunicat. etiam minori. 14.q.2.sane quod super. talis enim est à sacramentis ecclesiæ separatus. de clerico excommu.cap.si celebrat. & per Ioan. And.1.c. sacris de sepult. item in blasphemo in pœnitente.de maledi.c.11.& c.super. Item in monaco habente proprium.2. & c. super.item in excom. & intedicto.d.c. sacris.

Sepultura est gratis concedenda.

SEpultura uel exequijs mortuorum nil exigi debet.cap. non satis.cap. suam.c. cum in ecclesijs. & c. audiuimus.de simo.de quo in c.fi. de sepultura. & quod sepulti, etiam iudei non exhumati.c.sicut de iudeis. item conceditur sepultura excommunicato, qui in morte pœnitens fuit per presbyterum absolutus.ca. in literis. de rapto.

Sepeliri quis debeat in cemeterio.

IN ciiniterio autem christianorum non nisi christianus baptizatus sepeliri debet.de hoc in c.ex parte.de sepulturis. nec tamen omnis, quoniam ex maleficio interfectus, in adulterio, vel latrocinio, vel in ludis gentilium. extra de tornia.c.& nullus,& laici summę sanctitatis 14. q. 2. & ideo ubi quī inuenitur mortuus, ibi sepeliatur propter dubium causæ mortis eius,si vero quis subito moriatur in ludis cōsuetis vt ludo pilę, potest in cemeterio sepeliri, quia neminem nocere intendebat sed quia in nundinalibus occupabatur aiunt quidam quod sepeliri debet,sine Psalmis,& sine ceteris mortuorum exequijs. Sed si quis in rixa vel tumultu impenitens moriatur,nec sacerdotem petijt, non debet sepeliri in cemeterio, ut quidam dicunt.Sicut nec.is qui manu propria mortem sibi consciuit. 24.q.5. si non licet. & c.cum homo de peniten.dist.3.iudas.Dei iudicio quis subito moritur potest in cemeterio sepeliri. iustus enim in quacūque hora moritur saluatur. præsertim si dabat operam alicui rei licitę,defensori iustitiæ, & pugnāti in prælio iusto occisis cemeterium & officium libere conceduntur. interfecti tamen, in ec-

cleſia non portantur ne pauimentum ſanguine polluatur. Sed ſi aliquis rediens de lupanari, vel de aliquo loco, vbi fornicatur & in uia occidatur uel aliquo caſu conſiſtens moriatur non ſepeliatur in communi cemeterio, & hoc ſi legitime probari poteſt eum fornicatum fuiſſe, de pœnit.diſt.5.c.1. alioquim ſepeliri debet.

Clerici an poſſint aduocare.

DEbet etiam tolerare clericos coram ſeculari iudice aduocare, etiam in negocijs ſecularibus, in propria cauſa, uel eccleſiæ ſuæ, aut pro miſerabilibus perſonis: quę proprias cauſas adminiſtrare non poſſunt.cap.1.de poſtulando.debet enim ſacerdos nulli velle nocere, omnibus autem prodeſſe, non autem contra eccleſiam ſuam: quoniam tanquam ingratus poſſet beneficio ſpoliari.c.fi.eod.tit.

Religioſus an poſſit eſſe executor Teſtamenti.

ATtende, quod ſi religioſus reputatur executor à teſtatore: non poteſt exequi, niſi petita, & obtenta à ſuo ſuperiore, licentia: cum non habeat velle, nec nolle: ſiue etiam ſit canonicus regularis, ſiue mendicans c. fina. & ibi not.de teſt.lib.6.

Hoſpitalia per quos ſint reformanda.

HOſpitalia debent reformari per collatores ipſorum: & cogi debent rectores eorum ad conſeruationem locorum, & ſuorum iurium: & hoſpitalitatem tenendam: iniunctum eſt ordinarijs locorum, vt ſuppleant defectum, & negligentiam collatorum. etiã circa exempta. & prohibentur hoſpitalia in beneficium concedi; niſi in duobus caſibus. ſublata omni contraria conſuetudine. & tenentur hoſpitalari iurare, & inſtar tutoris, & curatoris conficere inuentaria de bonis hoſpitalium: & annis ſingulis reddere rationem: alia eorum deputatio annullatur: exceptis tamen hoſpitalibus *ordinum militarium*, ſaluis etiam antiquis conſuetudinibus locorum circa diuina officia, & ſacramenta. de quo plene in cle.de reli.dom.treu dolens, timeo, ne per dictam clementin.multitudo damnetur prælatorum, Chriſtum pauperum negligentium, adde cle.1.in fi.de priui.& c.xenodoclijs de reli. dom.

LAICI DECIMAS, QVAS detinent, in alios laicos transferre non poſſunt.

INſuper attendendum circa decimarum alienationem, quòd laici decimas cum animarum ſuarum periculo detinentes: illas prohibentur in alios laicos aliquo modo transferre, & ſi quis eas receperit: & eccleſiæ non reddiderit: Chriſtiana ſepultura priuatur per Concilium Lateran.de quo c. prohibemus.de decimis. quod concilium fuit celebratum anno milleſimo centeſimo ſeptuageſimo nono. vt referunt Doctores, poſt Hoſt.in c. cum apoſtolica. de his, quæ fiunt à prelatis. ſub Alexandro 3. qui fuit Senenſis. & refert Cronica Martiniana, quòd Cremẽſes, & Placentini, & Mediolanenſes, tunc conſtruxerunt Alexandriam, contra Papiam, quam ab ipſo Alexandro ſic vocauerunt. poſſeſſores uero ante Concilium retinere poſſunt, & præſumitur titulus, ante Concilium habitus, ſi allegatur ex poſſeſſione memorabili ſubſecuta. per ea, quæ habentur in d. cap.

cum

cum apostolica. in dotem etiam dari possunt ad tempus. de quo in c. nuper, de don. inter virum, & in c. cum Bertholdus. De re iud.

Decimæ sunt integraliter soluendæ.

ITem mouendus, & informandus est populus ad integram solutionem decimarum, & aliarum rerum ecclesijs debitarum: tam uerbo, quàm opere: vt ad id sint promptæ volũtatis animo intenti, scilicet primitiarum, & oblationum: & omnium eorum, quæ debentur ecclesijs ex laudabili consuetudine, puta oleum lampadis &c. ad quod etiam prædicandum tenentur regulares prædicatores, & minores: quibus specialiter inhibetur, quòd tam in prædicationibus, quàm confessionibus, & collationibus, & disputationibus, non retrahant aliquos à præmissorum solutione. vt in cap. 1. de decimis lib. 6. & ibi plane not.

Decimæ quare sunt ministris Templi soluendæ.

SOlutio Decimæ omnium fructuum ministris ecclesiæ facienda, est morale præceptum: naturali ratione fundatum: utroque testamento roboratum. in sortem Dei electi ministrant in templo ad salutem totius populi & erant. ratio naturalis dictat, vt sicut principibus, & militibus, qui communi utilitati inuigilant, uictus debetur: quia nemo stipendijs suis militare tenetur. 1. ad Corint. 9. cap. ita ministris ecclesiæ uictus assignetur. in ueteri nanque testamento, ex duodecim tribubus Israel, una, scilicet Leuitica assumpta est, vt esset diuinis obsequijs mancipata, & hæ possessiones, sicut ceteræ tribus, non habebat: conuenienter institutum est, vt reliquæ 11. tribus partem suorum prouentuum Leuitis darent, vt honorabilius viuerent.

Decimæ de iure diuino sunt debitæ.

NVme. 18. c. Dixit dominus filijs Leui: Dedi decimas in possessione pro ministerio, qui seruiunt mihi in tabernaculo fœderis. Ad idem in Deutero. 14. c. Decimam partem separabis de cunctis frugibus tuis: qui nascuntur in terra per annos singulos: decimam frumenti, vini, & olei, & primogenita de armentis, & ouibus tuis.

Decimas non soluentes varias patiuntur miserias:

COntra facientes quauis corruptela, vel occasione decimas defraudantes: & maledicti sunt à domino maledictione culpæ, & pœnæ: Patiuntur famem, penuriam, siccitatem, eruginem, tineam, erucam: locustam, brucum ad destruendos fructus immaturos. Vnde Malachiæ. 3. c. & in c. Reuertimini. 16. q. 1. sic dicitur: Reuertimini ad me, & ego reuertar ad vos, dicit dominus exercituum. & dixistis: in quo reuertemur, si affiget homo Deum: quia vos configitis me, & dixistis, in quo cõfigimus te; in decimis, & primitijs, ideo in penuria vos maledicti estis: & me configitis gens tota. inferte omnem decimam in horreum meum, & sit cibus in domo mea. & probate me, si non aperuero uobis cataractas cœli: & effudero vobis benedictionem meam, vsque ad abundantiam, dicit dominus.

RELIGIOSI FALSI IN suis sæpe sermonibus prælatis detrahunt.

CAueant à nonnullis falsis religiosis, qui in sermonibus suis detra-

hunt ecclesiarum prælatis, & retrahũt laicos ab ecclesiarum suarum parochialium frequenti accessu: & indulgentias pronunciant indiscretas:& factionibus testamentorum dum interfunt à restitutionibus debitis,aut legatis, matricibus ecclesijs faciendis, retrahunt testatores,ac legata,vel debita,aut male ablata: in certa sibi; aut alijs singularibus sui ordinis fratribus & conuentibus in aliorum præiudiciũ fieri,seu erogari procurant: aut etiam in casibus sedi apostolicæ, aut locorum ordinarijs reseruatis, plures absoluunt:& personas ecclesiasticas,præsertim coram iudicibus apostolicis delegatis suam contra eos iustitiam prosequentes,vexant indebite :aut ad loca plura, & præsertim multum remota,conuenire præsumunt: quoniam tales puniri mandantur, vt in cle.1.§. quibus.de priuil.

Offeratur aliquid in missa.

MOneantur laici,quòd non ponãt se secus altare: dum sacra misteria celebrantur.ad standum vel sedendum inter clericos. quia ille locus solis clericis, psallentibus patere debet.ad orandum tamen,& communicandum, sicut mos est laicis, & feminis patere debent sancta sanctorum c.1.de vita,& honesta.cleri.intrando. non tamen stando.cap.sacerdotum.de consecra. dist.2. & moneantur etiam, vt in missa semper aliquid offerant, reducentes ad memoriam, quod Deus per Moysen dixit: Non apparebis in conspectu meo vacuus: & ad ipsum enim prius confugiendum est, qui nostræ possit curare animæ passiones: & non peruerso ordine, antea sibi opem ab hominibus accersiri, ubi humana subsidia defecerunt:& tunc opinari diuini postulandam fauoris gratiam. c. omnis Christianus.de conse. dist.1.

Sacerdotes multi sunt, & pauci.

DIcit Chrisostomus: Multi sacerdotes nomine: pauci vero in opere:nec cathedra facit sacerdotem, sed sacerdos cathedram: nec locus sanctificat hominem: sed homo sanctificat locum. ut hæc probantur in c. ante omnia.conse.40.dist.ex his patet sacerdotem oportere esse ornatum moribus: sed etiam præterea oportet, quòd sit ornatus in exterioribus,habitu videlicet, & incessu: nec sordidis, nec fulgidis se vestibus ornet. Hinc Hieronymus: Nec affectatæ sordes, nec exquisitæ deliciæ laudes pariunt: quod tam de vestibus. quàm de cibis intelligendum est. Vnde August. in libro de doctrina christiana scribit, ꝙ pro moribus eorum,cum quibus viuimus,alimentis vti debemus.cap. quisquis. 41. distin. vnde super epistolam Ioannis subdit,quòd nõ cibus,sed appetitus inculpa est.c.delitiæ.eod.dist. & in lib. de verbis domini subdit, ꝙ contra fuæ infirmitatis consuetudine aliquibus cibis non sunt cogendi diuites uti. & in libro quæstionum euangelij addidit, quòd æquaminitas tolerandi, non vsus, vel abstinentia cibi iustitiam facit. c. non cogantur. & c. quod dicit dominus. eod. distin. vnde concludendum, quòd temperantia ciborum,& vestimentorum, non dissolutio eorum laudatur.

Populus in ecclesia qualiter se habeat.

POpulus debet stare cum deuotione in ecclesijs,& audire integram

gram missam & quod diligenter dum legitur euangelium audiant, & non debeat sedere sed stare venerabiliter in conspectu euangelij, & verba dominica intenta audire, fideliter Deum adorare: & quando stant ad orationē debent *vigilare* & incumbere ad preces *totaliter* & toto corde, & omnis *cogitatio* carnalis & secularis debet *discedere*, nec quicquam animus quā ad solum cogitare quod peccamus.

Pectus baptizati ungitur cum invocatione Trinitatis.

VNctio fit in pectore cū inuocatione Trinitatis, ut nullæ reliquiæ latentis inimici in eo resideant: Sed in fide Sanctæ Trinitatis mens eius cōfortetur, & suscipiat, & habeat intelligentiam mandatorum Dei.

Hospitalis debet esse sacerdos.

OPortet similiter sacerdotem esse hospitalem: ne sit in numero eorum, quibus in iudicio dicetur: Hospes eram, & non collegistis me. qui enim Apostolum sequitur, alios ad Hospitalitatē debet inuitare: quomodo Hospitalitatis exhortator poterit esse: qui domum propriam hospitibus claudit? si enim sacerdos primum à seipso, & a domestica ecclesia sua debet exigere quod postea populum docet necesse est, quōd pauperes hospitio recipiat: ut ad Hospitalitatem facilius suo exēplo subditos attrahat: & ad memoriā reuocet, quomodo Abrahā, & Loth per Hospitalitatis opera Deo placere, & Angelos hospitio recipere meruerūt.

Adulatores sunt causa multorum malorum.

SVnt nonnulli, qui dum mala facta hominum laudibus efferunt; augēt, dum increpare debuerant: & sicut ad hoc sub cubito puluinus, & ceruical sub capite iacentis ponitur: ut melius quiescatur: ita qui male agentibus adulatur, eum qui corripi ex culpa debuerat, in ea furtum laudib. molliter quiescere facit: & ædificare contra se parietem dicit: cum peccati reprehenditur: liuore uero cum peccatoribus adulatur. Vnde sanctus uir ait: Absit hoc a me, ut vos iustos iudicem. 46. distin. in princ. & ca. hoc proprium. cum. seq. propterea in Cartaginen. Concilio: Clericus, qui adulationibus & proditioni uacare deprehenditur: degradari ab officio mandatur, sicut & maledicus. cap. cum. clericus. cum seq. c. dist.

Clerici proprio artificio victum sibi quærere possunt.

QVI autem turpi lucro, uel in honesto negocio victum sibi quęrere prohibetur: de oblationibus ecclesiæ stipendia sequatur: quòd si ecclesia ei sufficere non poterit: proprio artificio, aut agricultura exemplo apostoli sibi necessaria conquirat. ita tamen ut propterea uigilijs ecclesiæ non desit: quod absque infirmitate sui corpusculi nulli interponere cōceditur: & ideo qui non pro emendo aliquid in nundinis, uel in foro deambulant, ab officio sunt remouendi. cap. clericus. & per totum. 11. distin. & cum ad ecclesiam uenerint. magis corde, quàm ore meminerint esse cantandum: & officium cantādi non vsurpent sibi Diaconi.

CALIX EX QVA MATEria debeat esse.

CAlices, & patenæ debent esse ex auro, uel argento: non ex ære, uel auricalco, ne pro-

uocent

vocent nomitum propter rubiginem, quæ inde contrahitur. cap. & calix. & cap. uasa. cap. in sancta. & cap. uestimẽta. de consec. distin. 1. uasa pro sancta Eucharistia, sacris crismate, & oleis debent esse benedicta.

Pax non datur cum patena.

PAX detur in missa cum Cruce parua, uel tabula depicta, siue summitate manipuli; non cum patena, cum qua tangitur dominicum corpus, sicut multi ignari in his temporibus faciunt.

Ecclesiarum reparatio per quos fieri debeat.

SI sit, qui recipiat quartam partem pro fabrica sustinenda deputatam: uel beneficium sit ad hoc deputatum, sicut operaria: ille tenetur secundum possibilitatem. 12. q. 2. cap. uobis & cap. vlterane. 10. q. 1. cap. decernimus si non appareat: & reditus sint tenues ad sustentationem diuini cultus, & rectoris: tunc rector non compellitur, qa prius debet sustinere seipsum, q̃ fabricã, si tamen potest in aliquo cõmode, iuuare debet moderate, quãdo redditur in aliquo subuenire potest. & hoc sentit. ca. 1. de eccle. edi. & quando redditus non sufficiunt, tunc non cogitur de suo facere beneficium. 10. q. 2. cap. precatie, & sic non compellitur, si nullo modo potest. Sed parochiani ad reparationem ecclesiæ compelluntur, etiam si non sit consuetudo, quia ecclesia est communis Dy. 1. ius publicũ. ad hoc facit lex. cum glo. 16. q. 1. si monachus. ibi. cum dicit in quantum melius potest ad opera ecclesiastica, & ad restaurandam ecclesiam, adiutoriũ faciat. si consuetudo sit, quòd parochiani insolidum faciant illam reparationẽ & luminariorum, & ornatuum apparatum: illa consuetudo tanquam pia seruanda est. cap. ad Apostolicã, de simo. & illam consuetudinem seruare cogũtur: ita notat Hostien. in summa de eccles. edi. §. 2. & idem colloc. & Doct. in cap. 1. de ecclesia ædi. ut plurimum hodie est generalis consuetudo quòd parochiani subeunt talia onera, & merito laudanda, quod illam domum Dei sustineant vbi viui, & mortui quiescũt. audiunt diuina: & recipiunt salutis pabula maxime male soluunt decimas, uel iura ecclesiastica: & inde fit aliqua compẽsatio. ad hoc facit auct. de sanc. epiſcopi. §. pro consuetudinibus & de ecclesiasticis, titulus. §. ad hæc sancimus. coll. 9.

Cantores multi sunt grauiter arguendi.

REprehendere debent superiores eos, qui cum modulatis, & blandis uocibus, ut placeant laicis, uel mulieribus, cantant, notulas circa eleuationẽ corporis Christi, uel in missa: ubi sunt uerba, turpia seu corrupta attractiua ad uanitates mulierũ, uel in officijs, seu anni uersarijs defunctorũ fingũt cantus extraneos sonantes ad lasciuiã propter suauitatẽ modulationis: & ut magis audiantur ad attrahendum latiores pecunias à laicis: post eleuationem corporis Christi missa defunctorum incohata in altum: cum nota dicetur inbasso: & tunc eleuantur illæ modulationes fictæ. & curiositates, cerimoniæ propria temeritate inuentæ. ita quod solemnitas missæ propter illa nouiter ficta prætermittitur: & magis principale propter curiositatem, ac fictionem, & cupiditates, post ponitur: & hoc reprobatur. in capit. 1. & 2. 92. distin.

Boni-

Bonitas diuina quatuor principaliter facit.

DE bonitate uero oritur seu consideratur amor. & si referatur bonitas ad operationes, sortiuntur quatuor. primum gratuita beneficia, inquã eum gratis tribuit nobis dona sua. Secundum, misericordia, in quantum lenit, & minuit, per clementiam, pœnas, uel flagella. Tertium: iustitia in quantum vulciscitur mala. Quartum largitas in quantum remunerat obsequiã.

Ex bonitate Dei nominata considerantur quatuor partes diuini cultus ex radice unius uirtutis procedentes, quę est spes ueniæ & gloriæ, prima pars est ueniæ imploratio. Secunda pars est benedictio seu bonorum impetratio. Tertia, laudatio, Quarta, glorificatio.

Ex misericordia considerantur multæ uirtutes diuini cultus procedentes ex radice unius uirtutis, quæ est spes ueniæ, uel gratiæ. Prima pars est deprecatio pro malis tollendis. Secunda, *oratio* pro bonis obtinendis. Tertia, afflictio, ut ieiunia. Quarta eleemosina.

Ex iustitia, per donum timoris consideratur pœnitentia, seu cautela à malis, in quantum referuntur ad fugiendam diuinam vltionem.

Ex largitate, obsequia remunerante, oritur spes remunerationis: ex qua omnis diuinus cultus, in quantum est tiz ad mercedem æternam.

Sors est multiplex.

SOrs est multiplex, aliquando iudicio sortium quæritur, quid sit alicui exhibẽdum: siue sit res possessa, honor, dignitas, seu pœna, aut actio aliqua. & vocatur sors diuisoria. aut inquiritur iudicio sortium, quid agere oporteat. & vocatur sors consultoria, vel quid sit futurum, & vocatur sors diuinatoria. actus enim humani non subduntur necessario dispositioni stellarum, vt secundum dispositionem earum necessario eueniant & sortiantur effectum, immo est falsa opinio non carẽs demonum suggestione, & talis diuinatio, est superstitiosa & illicita.

Dierum obseruatio est superstitiosa.

OBseruatio calendarum mensis, dies ægiptia eorum, quo vulgus imperitus falso dicit dies ægros, seu maledictos, est superstitiosa, & reprobata curiositas. c. non obseruetis. 26. quæst. 7.

Vsura quare tam vehementer est prohibita.

SED quare vsura ita detestabilis, & prohibita vtraque lege noui, & veteris testamenti, & positiua? dicit Inno. super. ra. alias. in cap. 1. de vsu. quia est contra pietatem, & charitatem: quia teneor subuenire proximo. nec ita communiter sequuntur mala ex alijs contractibus, sicut ex vsuris. nam si vsuræ essent permissæ, homines non intenderent agriculturis: ex quibus principaliter sustentantur homines: & tanta esset charistia, quòd pauperes fame perirent. Si haberent possessiones ad colendum: non haberent animalia, cum quibus laborarẽt. diuitẽs enim sentientes securitatem magni lucri, & sine aliquo magno labore obtinentes, potius intenderent, detestabili vsurarum lucro, quàm in alijs minoribus & sic adeo rara esset agricultura, quòd perirent pauperes fame:

fame: & res publica læderetur. Item vt plurimum pauperes reciperent sub vsuris. & super omnes contractus ex isto subito depauperentur debitores. Ideo sanctum Nicenum Concilium de quo habetur.47.dist.c.quoniam multi.incepit apponere pœnam cõtra vsurarios: & gradatim fuerant per alios sanctos patres in diuersis constitutionibus pœnæ augumentatæ: & Imperator Iustinianus.in auten. de ecclesiasticis titulis.in prin.col.9. profitetur se obseruare quatuor generales sinodos: & sic vsuras prohibet in eadem Nicena sinodo condẽnantes:cum Nicena sinodus fuerit vna de quatuor principalibus: quæ ita obseruari debent, sicut quatuor euangelia.15.dist.c.sicut licet leges ciuiles antiquæ ad solum lucrũ, & ciuilem politiam præter salutem animæ intendentes, ipsas vsuras permitterent.ff.de vsuris.l.cum quidam.§. si pupillo. in fine.

Sabbatum colere est iudaizare.

SAnctus Gregorius prohibuit ciuibus Romæ, omnibusque christianis,ne sabbatum colerent: ne viderentur iudaizare. in c.peruenit.de consec.dist. 3. merito ergo hunc diem contemplandi spiritualia beneficia, constitutio militantis ecclesiæ transtulit in dominicam, in memoriam redẽptionis mũdi: quia Christus dei filius nasci voluit in valle lachrimarum pro nostra redemptione, & resurgere illa Die à morte in uitam. Item quia misit spiritum sanctum indiscipulos :ut sic illa die gratiam spiritus sancti nõ deberent à templo cordis sui eijcere,nec tanta beneficia obliuiscinec in die sabbati debemus esse in grati virgini, Dei genitrici: quia Christo manente in sepulcro in ea remansit diffidentibus apostolis firma, & intemerata fides & sic licet sabbatum non colatur ut festum, & ab operibus seruilibus prohibitum: tamen si sabbatum nonsit cum alijs festis occupatum illa die secundum morem ecclesiæ damus officium virgini glorioſæ.

Scandalosi sunt redarguendi, quia domini sex odit principaliter.

REdarguere debent superiores homines scandalosos, seminantes discordias,iurgia,insultus,& scandala contra quos Prouerb. 6. c. Sex sunt, quæ odit dominus, & septimum detestatur anima eius, oculos sublimes, linguam mendacem, manus effundentes innoxium sanguinem, cor machinans cogitationes pessimas, pedes veloces ad currendum in malum:proferentem mendacia: testem fallacem, & eum, qui seminat inter fratres discordias & talis dicitur esse susurro. infra eod. parte. c.13.

Parentes sunt honorandi.

HOnora patrem, & matrem,si uis esse longęuus super terram.ideo dicit Bonauentura super tertium sententiarum. distin.29. Longitudo vitæ promittitur, quia vita maxime amatur.illa igitur maximè promittitur: ut homo appetens vitæ longæ,vitam non abhorerat longam parentum. 1. Ad Thimo.4;c.Pietas ad omnia vtilis est: promissionem habens vitæ, quæ nunc est,& futuræ.42.dist.§.1.in fine.

FILII MALEDICVNTVR, qui parentes non venerantur.

MAledictionem diuinam incurrunt ingrati filij. eccleſiaſtici.3. c.quòd malę tamę eſt qui relinquit patrem,& eſt maledictus à domino,qui exaſperat matrem.Item Prouerb.19. *Qui affligit patrem, & fugit matrem, ignominioſus & infelix.* Exo.21.Qui *percuſſerit patrem, vel matrem,morte moriatur.*Leuitici.20.Qui maledixerit patri,vel matri morte moriatur. Deute.26.Maledictus homo,qui non honorat patrem ſuum, aut matrem. Prouerb. 20. Qui maledixerit patri, vel matri, extinguetur lumen eius in tenebris : ideſt morietur citius in ſuis peccatis. Item honorantes parentes conſequuntur benedictionem. eccleſiaſtici: Qui honorat patrem ſuum :iocundabitur in filijs,& in die orationes ſuæ exaudiẽtur. & ibidem:qui honorat patrem tuum vita viuet longiore. *Honora* patrem ſuum, ut ſuperueniat *tibi benedictio.* Benedictio patris confirmat domos filiorum. maledictio matris eradicat fundamenta.

Maledictiones ſunt ſummopere cauendæ & maxime parentum in filios.

MAledicere pueros vel alias creaturas Dei, interdicendum eſt popularibus, & maxime mulieribus hoc vitio aſſuetis. vnde Hieronym.in leuitico: Qui negligunt oris maledicti conſuetudinem reſecare, & ſi non corde maledicant, tamen in munditiam labiorum,& inquinamenta oris incurrunt, vnde in epiſtola Iudæ fratris Iacobi.1.c.dicitur cum Michael Arcangelus cum diabolo diſputans altercaretur de Moyſi corpore,non eſt auſus iudicium inferre blaſfemiæ, ſed dixit, imperet tibi Deus. vnde eccleſiaſticũ. 21. c. dũ maledicit impius diabolum, maledicit & ipſe animam ſuam, malo ſcilicet culpæ, quia creatura dei non eſt maledicenda. 24. q. 3. cum ſancti ad Corinthi. 12. benedicite, & nolite maledicere. exemplum habemus de domino Ieſu Chriſto.pri.petri.2.c.qui cum malediceretur non maledicebat pri.Corint.6.c.maledicti regnum Dei non poſsidebunt.item maledictio frequenter reflectitur ſuper caput maledicentis.11.q.3.cap.illud. & prouerb. 26.c. ſicut auis ad alta tranſuolans & paſer qualibet videns:ſic maledictum fruſtra prolatum in quempiam ſuper veniat,vnde eccleſiaſt.27. qui in altũ mittit lapidem cadit ſuper caput eius. & Geneſis.27.qui maledixerit tibi,ſit ille maledictus.

Corrigere volens alios ſeipſum primo corrigat.

CO rrigere qui vult alios, primũ ſe corrigat, quia alias amittit auctoritatem corrigendi. Glo. ſuper. Matth.7.non prius idoneus doctor,vt alijs poſsit mederi. qui nondum ſe ſanauit. Lucæ.4. Medice cura te ipſum. inſanus eſt enim, qui prius alios, quã ſe curat.Si te magis,quàm proximum diligis, quare ipſum procuras te ipſo ſpreto? item amittit efficaciam qui ſe prius non corrigit.eccleſiaſtici 34.Ab immundo quis mundabitur ? Gregorius:Sordes manus tergere non valent: quæ lutum tenent.in correctione debet adhiberi modus,vt fiat ex amore,ſicut Deus dicit Apochali.4.c.Ego quos amo, arguo,alias non reputatur correctio;ſed hoſtilis perſecutio.Item

correctio debet fieri in mansuetudine. Psal.89. Super venit mansuetudo, & corripiemur. Ambro. super Lucam: Plus proficit dulcis correctio, quàm accusatio turbulenta. illa pudorem incutit, hæc indignationem mouet.

Correctio paterna ad quos pertinet.

PAterna correctio, quæ est actus iustitiæ, per quem intenditur in bonum commune: non solum per admonitionem: sed etiam per punitionē publicam peccatoris; vt alij peccantes timeant, & à peccato desistant. talis publica correctio ad solos superiores pertinet: etiam si alias fiat occulte ad eum effectum. not. glo. in c. cum ex iniuncto de hęreticis, quę incipit: ad hāc.

Correctio fraterna ad quos pertinet, & an sit præcepti.

COrrectio fraterna, quę fit ex charitate ad emendationem fratris delinquentis per simplicem admonitionem, hæc pertinet ad omnes. & de ista correctione fraterna sequitur vlterius videndum, vtrum cadat sub prę cepto cuicunque: & quas cōditiones, seu circunstantias secundum iuristas habere debeat. Dic, quòd correctio fraterna cadit sub præcepto quatuor concurrentibus ex parte corripientis, & tribus ex parte peccantis.

Primum ex parte corripientis est certa peccati cognitio. & ideo legitur, Eccles. 11. Ne reprehendas ante, quàm scruteris. & habetur. 11. quęst. 3. eorum.

Secundum est mansuetudo in corripiendo. c. cum beatus. 43. dist.

Tertium est, quòd in alio non sit creata aptitudo ad corripiendum. nam scisio, quòd alij meliores, & peritiores, quàm ego, videant peccatorem ad corrigendum, omittere possum fraternam correctionem. ar. c. eccle. 95. dist. & in art. c. volentes. de offi. lega.

Quartum est, quòd opportunitas loci, & temporis, se offerat. ar. c. ab eo. de appella. lib. 6.

Ex parte peccatoris requiruntur alia tria.

Primum, quòd sit spes de correctione. nam alias frustra corrigeretur. & propter hoc dicitur Prouerb. 9. Nolite arguere derisorem.

Secundum est, quòd peccatum suū sit mortale, cū ex correctione debeat lucrari animam fratris *vt ibi Matt. 18. c. Lucratus es animam fratris. &c. &* alle. c. nouit.

Tertium, quòd habeat opportunitatem, & tempus congruum. ar. c. prędicto de appella. lib. 6. & sic consideratis istis etiam concurrentibus, est omnibus præceptum - nam correctio ista est opus charitatis: cum sit eleemosina spiritualis. 45. distin. tria sunt genera.

Corripere non debet alios: qui vitijs seruit.

IMprobum est enim arguere quem quam in aliquo, quod adhuc reprehenditur in semetipso: qui veraciter vult fraternitatem corripere, & sanare talem infirmitatem, se præstare fraternæ humilitati studeat: vt eum, quem corripere cupit, humili corde commoueat. & hoc faciat ex compassione, quasi communis periculi, ne forte & ipse subijciatur tentationi, sicut viri spirituales alieni peccati emendationem expectant: ita proterui delinquentibus deridendo insultant. & quā

cum

tum in ipsis est, eos insanabiles putãt, nec declinant cor ad compatiendum per misericordiam : sed superbientes detestantur, atque blasfemant. non vn quam accidit, vt inter amicos aliquan quando redargutiones enutrita discor dia maiorem postea charitatem parturiat. vt pote cum corrigantur ea, quę displicere in amico videntur. & hæc quidem primum non sine quadã emulatione admonitus suscipit: sed correctus post modum gratias agit, ac multi pro parua læsione uim charitatis rescindunt, & ab amore dilectionis sese perenniter retrahunt. plerique correctionem suam, officium charitatis existimant. pleriq; vero hoc ipsum, quòd ex charitate corripiuntur, ad iniuriæ contumeliam trahunt. unde euenit, vt ex eo deteriores efficiãtur, quàm emẽdari obediendo potuerunt.

Correctio libenter ab aliquibus suscipitur.

SAlubriter accipiunt iusti quoties de suis excessibus arguuntur, superflua autẽ est humilitas eorũ qui se egisse accusant quæ non commiserunt. 22.q.2.c.cum humilitatis, qui vero sine arrogantia bona facta sua proculdubio nequaquam peccant, est quorundam accusatio peruersorum dum pro suis facinoribus arguuntur: verba iustorum pro censura declinanda abijciunt : seruantes si diuino iudicio quo puniendi sunt durius: dum temporaliter contemnunt iudicari se ab hominibus, iniquis molesta est veritas. & amara disciplina iustitię nec delectantur nisi complacentia proprię imbecilitatis iniusta fecundi, & steriles veritate ceci ad contuendam lucem, & oculati ad tenebrarum conspiciendum errorem. Corda proborum lubrica sunt ad male consentiendum durissima, approbat Salomon & iusti correcti emendationem, & stulti ostinationem admoniti dicens, doce iustum, & festinabit accipere, de stulto autem ait : qui erudit derisorem ipse sibi facit iniuriam.

Lacrimæ extingunt ignem infernalem.

LAcrimę extinguũt ęterni ignis incendia. de pœniten. d. 1. porro. sub §. item. sicut. & qui pęnitentiam agit non solum lacrimis peccatum debet diluere: sed etiam multiplicibus planctibus, & gemitibus est pro peccatis interpellandum. de pœniten. dist. 1. sunt qui arbitrantur. & c. non sufficit. culpam ergo tuam lacrimis laua, vt ea. dist. fleat, quia lacrimæ lauant quod pudor est confiteri. c. dist. §. his auctoritatibus. &c. lacrimæ. in prin. dist. accelarata. vt præueniat diuinum iudicium: de pœnit. dist. c. quem pœnitet. circa principium. negligentes tardius reconciliantur. 26. q. ult. sacerdos. August. Nullus expectet quousque peccare non possit. de pęniten. dist. 7. c. 1. & c. nullus in principio. ℣. quẽ ergo sero.

Pœnitentia serotina multos decipit.

MVltos solet serotina pœnitentia decipere, quia tanta sunt grauiora peccata : quanto diutius infelicem animam detinent alligatam. c. cum de consuetudine. & diuturnitas temporis non minuit peccatum, sed auget. c. non satis de simon. cito enim quis pęnitere debet. de pęnit. d. 1. quis aliquando. sed licet dilata fuerit, non denegabitur. de pęn. dist. 1. sufficit. quia latro vnius momenti pęnitentia meruit paradisi gaudia. 26. q. 6. si presbiter.

Seruus Dei quibus virtutibus debet esse ornatus.

SErvus Dei debet esse singularis, & proprius, vt soli Deo seruiat: non communiter Deo, & diabolo. Deus enim medietatem con suo aduersario habere non vult: Matth. 5. Dominum deum tuum adorabis: & illi soli seruies. cum enim unum feudum quis tenet de vno domino, & aliud de alio, non potest vtrique bene simul seruire: & debita reddere. sed hoc totum, quod habet homo, à Deo tenet, & de diabolo nihil. ideo 1. Regum. 7. Præparate corda vestra domino, & seruite illi soli. Item fidelis, & rectus, ecclesiast. 33. Si est tibi seruus fidelis, sit tibi quasi anima tua: fidelis est, qui bona sibi commissa ad voluntatem domini sui, & honorem dispensat. Infidelis, qui superfluis, & nociuis expēdit, & vastat. quod vero facit, qui bona naturæ, fortunæ, & gratiæ, in luxurijs, & terrenis aggregandis & glorijs adipiscendis consumit. Matth. 25. Euge serue bone, & fidelis: quia in pauca &c.

Continentia est personis ecclesiasticis necessaria.

COntinentia religiosis, & quibuscunque ecclesiasticis necessaria est: quia ordinati sunt, vt Dei iracundiam placare possint. Eccle. 44. Et in tempore iracundiæ factus est reconciliatio, sed qui carnaliter viuūt, Deum placare non possunt. ad Roman. 8. cap. Angelicum enim habent consortium, & officium, & sic angelicam puritatem super omnes quantum possunt seruare debēt. Malach. 2. Angelus domini exercituum est. Item Eloquia domini, eloquia casta. Item sapientia, quę de sursum est, primum quidem pudica est. Iac. 3. in qua familiares altissimi deseruire, & ministrare debent. unde Isidorus de summo bono. lib. 2. c. de fornicatione.

An status coniugalis sit anteponendus statui virginitatis, vel celibatus.

REspōdetur negatiue: quod nec perferendus, nec æquandus est illis. & ita firma fide tenendum est, sic enim diffinitur ubi supra canone. 10. cuius verba sunt. Si quis dixerit statum coniugalem anteponendum esse statui virginitatis uel celibatus, & non esse melius ac beatius manere in virginitate, aut celibatu, quam iungi matrimonio, Anathema sit.

Castitas multum diabolo displicet.

DEmones scientes castitatem esse animæ pulcritudinem: & per hanc homines angelicis meritis, è quibus lapsi sunt, coæquari: liuore percussi inuidiæ injiciunt per sensus corporis desideriū libidinis. quatenus à cælestibus deorsum deiectum animam protrahant: secumque quos vicerint ad tartara perducant. nonnunquam electi lapsus carnis corruunt: vt à vitijs superbiæ, quæ de virtutibus timent, sanentur. & qui de virtutum effectibus existunt superbi: vt cadunt carnis uitio humiliantur, vt resurgant. vsus venereorum super omnia trahit intentionē à Deo, sicut dicit Augustinus, primo soli loquiorum: Nihil esse sentio, quod magis deprimat animum virilē, quàm fœminæ blandimenta. & ideo super omnia in uiris ecclesiasticis, & religiosis.

Religiosus est hortus conclusus.

HOrtus conclusus dicitur religiosus, vel religiosa. præcipue monialis. sic nihil terrenum debet intrare cor religiosum, sed celeste. vnde Cantica. 4. cap. Hortus conclusus, fons signatus:

gnatus:soror mea, sponsa mea. conclusus contra carnalia vitia per vitæ austeritatē. item signatus contra spiritualia peccata. Gregorius in Homilia: Fructus mundi ruina est, ad hoc crescit, vt cadat. ad hoc germinat, vt cui germinauerit cladibus consumat.

Religiosi in mundo sunt in magno periculo.

IOannes Chrisostomus super Matt. Sicut difficile est arborem iuxta viam positam fructus suos vsque ad maturitatem conseruare; sic difficile est religiosum iuxta mundi viuentem in actibus mundi, vsque ad finem in maculatam seruare iustitiam. recede igitur de via. planta in loco secreto, vt nec colludere mundus tecum habeat. nec tu cum mundo. August. in epistola: Vincula huius mundi habent asperitatem veram, iocunditatem falsam, certum dolorem, incertam voluptatem, durum laborem, timidam quietē, rem plenam miseriæ, spem beatitudinis inanem. Bernardus in epistola: Generositas sanguinis, proceritas corporis, forma elegans, iuuenilis decor, predia, palatia, supellex immensa, insulæ dignitatum, mundi sapientia, possessa onerant, amata inquinant, amissa cruciant. mundus si quidem hæc diu habere non potest.

Cantus dulcis facile ad compunctionem inducit:

MVlti nanque reperiuntur: qui cantus suauitate commoti, sua crimina plangunt: atque ex ea parte magis inflectuntur ad lacrimas: ex qua psallentis insonuerit dulcedo suauissima.

Oleum sanctum, quod crisma dicitur.

COnficitur per episcopum in die cœnæ, & non in alio die. cà. omni tempore. de consecr. dist. 4. fit ex oleo, & balsamo, cum quo benedicuntur fontes baptismalis, Calix, patena, ecclesia, altare, episcopi in manibus, in capite quando consecrantur, puer baptizatus in fronte, & uertice omnes fideles, quando crismantur; & est omni anno consecrandum, & innouandum. cap. Si quis de alio. de consecr. dist. 4. grauiter quoque punitur sacerdos vtens in baptismo de alio, quam de hoc nouo: per d.c. si quis de alio. Est oleum catechuminorum confectum per Episcopum, quo inunguntur baptizati inter scapulas, & in pectore, & manus sacerdotis, cum ordinatur, principes, & reges, in brachio, & humero, ecclesia, & altare ante chrismationem. Tertium oleum est sanctum, quo inunguntur infirmi in mortis articulo. infra, vnctio, per totum. & c. unico. de sacra. unct. de secundo, & tertio oleo, non inuenitur prohibitum, quin in alijs diebus possit confici, sicut de primo. vt in d.c. omni tempore. & c. quoniam. de sen. excom. in 6. oleum non sacratum additum sacrato, totum erit sacratum. sicut de aqua benedicta.

Mulier moriens in partu an sit in ecclesia sepelienda.

MVlier moriens in partu, non debet in ecclesia sepeliri, neque poni. ut quidam dicunt, ne pauimentum ecclesiæ sanguine polluatur: sed extra ecclesiam ei dicatur obsequium: & in cemeterio sepeliatur: quod non placet, alioquin pœna sibi verteretur in culpam. 5. dist. Baptizati. Vnde licite

re in ecclesiam fertur: ita tamen, quòd ecclesia à maculis corporis ne polluatur, diligenter lauetur; partus tamen de uentre ipsius extractus mortuus, & non baptizatus, extra cemeterium sepeliatur. Sunt tamen quidam, qui dicunt, quòd partus debet vna cum muliere in cemeterio sepeliri; eo quòd pars viscerum esse censetur. de consec. dist. 4. si quicquid.

Mulieres ad quid caput gerant uelatum in ecclesia.

MVlier quoque uelato capite esse debet in ecclesia. 33. quæst. 5. mulier. quia non imago Dei, & quia per illam prǫuaricatio incohata est, ideoque in ecclesia propter reuerentiam sacerdotis qui & Christi vicarius, coram eo tanquam coram iudice propter reatus originem, habeat velatum, nõ liberum. nec propter eandem reuerentiam habeat potestatem loquendi in ecclesia coram eo.

Vir & vxor an eodem sepulcro sint condendi.

SAne vir, & vxor in eodem sepulcro ponendi sunt. 13. q. 2. una quæque. extra de sepul. de uxore. exemplo Abrahæ. & Sarræ, vbi specialem non elegerint sepulturam. Vnde & Thobias præcepit filio: vt cum mater ipsius compleuisset dies suos, locaret eam in eodem sepulcro eum eod. 13. 4. q. 2. Ebron. item quilibet in sepulcro parentum tumulandus est, nisi ex deuotione alibi elegerit sepeliri. eadem. q. soror. 13. q. 2. c. fi. Cæterum in concilio Magunti. de consecr. dist. ult. c. fina. statutum est. quod suspensi, qui pro suis peccatis pǫnam extremam persoluunt: ex quo confessi sunt, uel confiteri desiderauerunt: & communicauerũt, in cemeterio sepeliri possunt: & oblationes, & missæ fieri pro eis. dist. ult. c. fina. qualiter non unum corpus sepeliendum sit, dicetur sub titulo de officio mortuorum.

Virginitas amatur à Christo.

CHristus de virgine nasci voluit, vt ostenderet virginitatis se esse amatorem, & semper Christus fuit virgo, matrem habuit virginem, & virginem præcursorem, in sponsum habere voluit Ioseph virginem & Ioanni virgini Euangelistæ, matrem virginẽ commendatam dedit, & virgo est electus, & ceteris magis dilectus.

Quomodo debe fieri signum Crucis.

PRimo debet signari à parte superiori, quę patrem significat, & descendere ad inferiorem, quæ mundum designat: deinde à sinistra parte, quæ significat infernum: postea ad dexteram, quæ cælum significat. nam Christus descendit de cælo in mundo ad infernum, ab inferno ascendit in cœlum, vbi sedet ad dexteram patris. Secũdo hoc facit ad insinuandum, quia de miseria transire debemus in gloriam, de vitijs, quæ per sinistram, ad virtutes, quæ per dexteram significantur.

Alio modo dicitur sic: In nomine Patris, in vertice frontis manu dextera, quia (vt aiunt Theologi) Pater est principium Trinitatis. Et filij, eodemque momento ad vmbilicum descendimus: quia, ut vaticinatus est Propheta Isaias, filius ęternaliter procedens à Patre, temporaliter descendit in ventrem Virginis. Et spiritus sancti, ad sinistrum: demum ad dexterum latus eodem actu, & momento descendimus, atq; eleuata manu subdimus dicentes: Amen. quia Spiritus

ſanctus procedit, ut amor, ac ab vtroque procedens Patris, & Filij nexus eſt. Hoc autem ſanctæ crucis ſignum Thaù ſignificauit, ut elicitur ex Ezechiele cap. 9. ¶ Amen in omni actione noſtra, poſt preces expanſas ad Dominum, dici conſuetum eſt ex ſacra ſcriptura, quia oratione perfecta, ſacrisque factis intendimus ſemper, ut effectus affectui correſpondeat.

Canonizat ſanctos ſolus Papa.

AD ſolum Romanum Pontificem pertineat Sanctos Canonizare & venerari mandare. ut ple. in glo. 1. cap. glorioſus. de reliquijs & veneratione ſanctorũ. lib. 6. qui docet canonizare:

Chriſtianis non licet gentilium traditiones tenere.

NON licet chriſtianis tenere traditiones gentilium & obſeruare vel colere elementa, aut lunę, aut ſtellarum curſus, aut inanem ſignorum fallaciam pro domo facienda, vel propter ſegetes, aut arbores plantandas, vel coniugia ſocianda. ſcriptum eſt enim: omnia quæ facitis; aut in verbo aut in opere omnia in nomine domini facite, gratias agentes Deo, nec incollectionibus herbarum quę ſunt medicinales aliquas obſeruationes aut incantationes liceat attendere. niſi tantum cum ſimbolo diuino, aut oratione dominica, aut tantum Deus creator omnium, & dominus honoretur.

Exemplum mirabile de ſimonia.

LEgitur, quòd Ildebrandus, prior Cluniacen. factus Papa Gregorius, dum in minoribus, agens legationis officio fungeretur; Archiepiſcopũ Ebedunen. de ſimonia accuſatum, & accuſatores omnes corrumpentem, ita, vt conuinci non poſſet, miraculoſe conuincit. Præcepit enim illi, ut diceret verſum: Gloria patri, & filio: Et ſpiritui ſancto, proferre non poterat: quippe quia in ſpiritum ſanctum peccauerat, reatum ergo ſuum confeſſus, & depoſitus, mox expeditè, Et ſpiritui ſancto, pronunciauit.

Exemplum de Vgone de ſancto victore de ſimplici hoſtia ſibi oblata.

LEgitur q̃ cũ Vgo de ſancto victore doctor excellentiſsimus vltima infirmitate laboraret, corpus domini inſtanter petijt ſibi dari. Cumq; nullum cibum retinere poſſet fratres eius turbationem timeas, ſimplicem ſibi hoſtiam attulerunt, quod ille per ſpiritum agnoſcens ait: Miſereatur veſtri Deus fratres, cur me deludere vultis, iſte enim, quem portatis, dominus meus non eſt, at illi attoniti mox corpus domini attulerunt: ſed ipſe ſe videns non poſſe recipere eleuatis in cęlum manibus ſic orauit: Aſcendat filius ad patrem, & ſpiritus ad eum, qui fecit illum. eccleſiæ. vlt. & inter hæc verba ſpiritum emiſit, & corpus domini inde diſparuit.

Aetates mundi.

SEptenarium præſentis vitæ, quæ ſeptem dierum circulo voluitur, vel potius ſeptem ætatibus, quibus mundus ipſe diſtinguitur, ſicut per dies. 70. ſic per ſeptem dominicas ſancta repræſentat eccleſia: Prima ætas eſt ab Adam vſque ad Noe: Secunda vero à Noe vſque ad Abraham, vel ſecundũ quoſdam ad Moyſem: Tertia à Moyſe vſque ad Dauid: Quarta à Dauid vſque ad tranſmigrationem Babilonis: Quinta à tranſmigratione Babilonis vſque ad aduentum domini: Sexta ab

ad-

aduentu domini vsq; ad finẽ sæculi. Septima similiter vsq; adeũdẽ finẽ simul concorrunt. Sed illa in vigilantibus, & laborantibus, ista in dormientibus, & quiescentibus. vbi requiescunt electorum animæ inter vbera lactantis matris suæ supernæ Hierusalem.

GREGORIVS PAPA

Orauit pro matrona ridenti.

QVædam matrona singulis diebus dominicis offerebat beato Gregorio panes, qui cum post missarum solemnia corpus domini illi offerret, & diceret corpus domini nostri Iesu Christi custodiat te in uitam æternam, illa lasciua subrisit. ipse vero mox dextram ab eius ore conuertens, partem illam dominici corporis super altare deposuit, deinde coram populo matronam interrogauit, ob quam causam ridere præsumpserit: at illa inquit: Quia panem, quem propriis manibus feceram, tu corpus domini appellabas, tunc Gregorius pro mulieris incredulitate se in orationem prostrauit, & surgens particulam illam panis instar digiti carnem factam reperit, & sic matronam ad fidem conuertit, orauit iterum, & carnem illam in panem conuersam vidit, & matronæ sumendam tradidit.

De oratione, & eius fructu secundum verba Isidori in libro de summo bono.

HOC est remedium eorum, qui vitiorum hostibus æstuant: vt quoties quibuslibet tanguntur vitijs, toties ad orationem se subdant; quia frequens oratio, vitiorum expugnationem extinguit, tam perseuerãter oportet animum nostrum orãdo, quàm pulsando intendere: quousque importunas desideriorum carnalium suggestiones, quæ nostris obrepunt sensibus, fortissima intentione superemus, ac tam diu insistere, quousque persistendo vincamus. nam negligentes orationes, nec ab ipso homine impetrare valent: quod volunt, quando quis orat, sanctũ ad se spiritum aduocat: at ubi uenerit, confestim tentamenta demoniorum, quæ se mentibus humanis immergunt præsentiam eius ferre non ualentia effugiunt. Oratio cordis est, non labiorũ.

Angeli orantibus præsunt.

PIE credendum est, & sacris auctoritabus comprobatur, quod Angeli Dei comites *assistunt orantibus*: iuxta illud propheticum: In cõspectu Angelorum Psalam tibi: & Angelus ad Thobiam: quando orabas cum lacrimis, ego obtuli orationẽ tuam dño, sed in canone missæ continẽt supplices te rogamus omnipotẽs Deus, iube hæc perferri per manus sancti Angeli tui in sublime Altare tuũ. propterea quilibet homo habet suum proprium Angelum ad custodiam, unde dominus in euangelio loquens de paruulis ait: Angeli eorum semper uident faciẽ patris.

Orantes corde, & non uerbis Deus aspicit.

NEque enim uerba deprecantis Deus intendit: sed orantem cor de aspicit, quia si tacite cor oret, & vox sileat, quamuis hominibus lateat, Deũ latere non potest, qui conscientiæ præsens est: melius est autem cũ silentio orare corde sine sono uocis, quàm sono uocis sine intuitu mentis.

Oratio semper fiat cum gemitu.

NVmquam est sine gemitu orandũ, nam peccatorum recordatio mę rorẽ gignit, dum enim oramus, ad memoriam culpas reducimus, & magis reos nos esse cognoscimus. ideoq; cũ Deo assistimus, gemere, & flere debemus, reminiscentes, quam grauia sunt, quæ commisimus, quamq; dira inferni supplicia, quæ timemus, mens qualem in oratione confert, talem se post orationem conseruet. nam nihil proficit oratio, si denuo committitur: unde iterum uenia postuletur, illius enim preces desideratum effectum sine dubio percipiũt, qui quod cupiendo abluit postulat, delinquendo non maculat mens nostra cælestis est: & tunc Deum contemplatur: quando nullis terrenis curis, aut erroribus impeditur, apta est enim ad bonum in sua natura, in aliena turbatur.

Oratio quando dicitur pura.

PVra est omnino oratio, cui in suo tempore seculi non interueniunt curæ. longe à Deo autem est animus, qui in oratione cogitationibus seculi fuerit occupatus. tunc ergo ueraciter oramus, quando aliunde non cogitamus: sed pauci sunt ualde, qui tales orationes habeant: & licet in quibusdam sint: difficile tamen est, vt semper sint: mens, quæ ante orationem uacans à Deo, illicitis cogitationibus occupatur, dum in orationem uenerit confestim illi imagines rerum, quas nuper cogitauit, occurrunt: purgandus est itaque animus & à temporalium rerũ cogitationibus segregandus: ut puta acies cordis ad Deum vere, & recte dirigatur. nam reuera tunc impetranda diuina munera credimus: quando simplici affectu assistimus, cum oramus.

Oratio per quod interrumpitur, & quot modis impeditur.

MVltis modis interrumpitur orationis intentio: dum se per incuriã uana mundi ingerunt, in cuiuscunq; orationis animo. tunc autem magis diabolus cogitationes curarum secularium humanis mẽtibus ingerit: quando orãtes aspexerit. Duobus modis oratio impeditur, ne impetrare ualeat postulata, hoc est, si aut quisque mala committit: aut si delinquenti sibi debita nõ dimittit: quod geminum malum dum quisquis à se ipso absterserit, protinus securus studio orationis incumbit: & ad ea, quæ impetrare precibus cupit, mentem libere erigit, qui læditur non desistat orare pro se lædentibus: alioquin iusta Dei sententiam peccat, qui pro inimicis nõ orat, sicut nullum proficit in vulnere medicamentũ, si adhuc ferrum in eo sit: ita nihil proficit oratio illius, cuius adhuc dolor, uel odiũ manet in pectore: tantus debet esse orantis erga Deum affectus: ut desperet precis effectus: inaniter autem oramus: si precis fiduciam non habemus. petat ergo, ut apostolus ait Iacob. 1. Vnusquisque in fide nihil hæsitans: nã qui dubitat, similis est undę maris, quæ à uento fertur, atque dispergitur: diffidentia. nascitur impetrandi oraturis: si se animus sentiat adhuc circa peccãdi affectionem uersari. si enim quod Deus præcipit, facimus, id quod petimus sine dubio obtinemus.

Oratio creat iactantiam.

CVlpabiliter ad Deum manus expandit: qui facta sua orando iactanter prodit: sicut Pharisęus, qui in templo iactanter orabat: seque magis

quàm Deum de operibus iuſtis lauda re uolebat: quorundam oratio in peccatum conuertitur, ſicut de Iuda prodi tore ſcriptum eſt. Qui enim iactanter orat appetendo humana, non ſolũ eius oratio non delet peccatum, ſed ip ſa uertitur in peccatum. ſic Iudei, uel hæretici, qui licet orare uideantur, eorum tamen oratio, non illis ad purgationis proficit meritum: ſed mutatur potius in peccatum.

Oratio ubi opportunius ſit.

ORatio priuatis locis opportunius funditur: maiusque obtentũ impetrat, dum Deum tantum teſtem alloquitur, proprium autem hipocritarũ eſt affere ſe in oratione uidẽtibus: quorum fructus eſt non Deo placere: ſed gloriam ab hominibus comparare. ſed in multiloquio non exaudiuntur homines à Deo, quia plurimis cum uerbis conantur inflectere: neque enim cõciliat eum multiplex orantis ſermo: ſed pura, ſinceraque orantis intentio: bonum eſt ſemper corde orare, bonũ etiam eſt ſono uocis Deum ſpiritualibus himnis glorificare. nihil eſt ſola uoce canere ſine cordis intentione, ſed ſicut ait Apoſtolus ad Epheſios. 5. Cantantes, & pſallentes in cordib. ueſtris, hoc eſt, non ſolum uoce: ſed corde pſallentes: Vnde & alibi: Pſallam ſpiritu, Pſallã & mente, ſicut orationibus tegimur: ita Pſalmorum ſtudijs delectamur: Pſallendi enim iocunditas triſtitiam cordis conſolatur: gratiores mentes facit, faſtidioſas oblectat, mærentes excitat peccatores, ad lamenta inuitat. nam quamuis dura ſint corda carnalia: ſtatim, ut carminis dulcedo inſonuerit, ad affectum pietatis animũ eorum inflectit, dum Chriſtianos non uocis modulatio, ſed tãtum uerba diuina, quo pacto modulatione canentis maior naſcatur compunctio cordis.

Oratio exaudietur, ſi quatuor habeat conditiones.

ORatio exaudibilis quatuor debet habere conditiones, ut pro ſe petat neceſſaria ad ſalutem, pie, & iuſte, & perſeueranter. Notat Pet. 1. q. 1. ca. dictum, & hæ conditiones alliciuntur ex parabola per Chriſtum dominum noſtrum tradita Lucæ. 15. Quis ueſtrũ habet amicum. Dicit Auguſt. Oratio eſt orantis præſidium, aduerſario incendium, Angelis, Deoque gratum ſacrificium. compendioſe autem traditur de orationis efficacia, & modo, per ſanctum Doctorem ſecunda ſecundæ. q. 83. recitat ad plenum. glo. in clem. ſi dominum. de reliqui. & vener. ſanct.

Oratio dominica cęteris præcellit, & in multis commendatur.

ORatio Dominica priuilegiata eſt ab auctore, quia à Chriſto facta, nullaq; magis oratio ſpecialis, q̃ illa, q̃ ex ore filij Dei: qui eſt veritas.

Proceſsit item in breuitate. breuis eſt enim, vt cito orationes noſtras exaudiri oſtendat. Matth. 6. Orantes nolite multum loqui, ſicut Ethnici faciũt: ſcit enim Pater veſter, quid opus ſit vobis ante, quàm petatis.

Item in fæcunditate. quia omne appetendum in genere appræhenditur. primo enim appræhenditur quomodo petendum, quia in charitate, ibi Pater, non domine: & ſic non in metu.

Item in humilitate, ibi: Noſter, glo. miſericordię Pater, non ſuperbiæ. vnus enim eſt pater omnium.

Item in fiducia, & ſpe, ibi: Quies in cœlis, qui ſolem ſuum oriri facit ſuper

bonos

bonos, & malos.

Petenda sunt autem duo, adeptio boni quadruplicitemporalis, vt in via sustentemur, ibi: Panem. Spiritualis triplicis gratiæ: vt mereamur, ibi: Adueniat. Præmij gloria, vt lætemur, ibi: Sanctificetur nomen tuum. Et a malis triplicis præsentis, ibi: Dimitte. Futuri, ibi: Sed libera nos a malo: Orationis formam nos docuit Christus, docuit enim quantum ad orandum. Lucæ. 6. Exijt in montem orare &c.

Orationes peccatorum non exaudiuntur.

ORationes peccatorum non exaudit Deus: si peccent in Deũ, siue in proximũ, vel ẽt quãtũ ad se ipsũ in Deũ, si p obedientiã respectu maiestatis. Zach. 8. Qui declinat aurem suam, ne audiat legem, oratio eius erit execrabilis. item si per diffidentiam diuinæ largitatis. Iacob. 1. Si quis vestrum indiget sapientia, postulet à Deo: qui *dat omnibus* affluenter, & non improperat, & dabitur ei. Postulet autem *in fide*, nihil hæsitans: qui enim hęsitat, similis est fluctui maris: qui à vento mouetur, & circumfertur. Item per contemptum diuinæ sapientiæ sine meritis, propter quod dicitur. Micheæ. 3. Clamabunt ad dominum, & non exaudiet eos. Item per incompassionem in proximum Prouerb. 21. Qui obturat aurem suam ad clamorem pauperis, clamabit ipse, & non exaudietur. Itẽ per dolosam machinationem. 2. Macha. 9. Orabat dominum, à quo non erat misericordiam consecuturus. dicitur enim de Antiocho, quòd locutus fuerat filijs Israel in dolo: vt occideret eos: Item per manifestam impugnationem. Psalm. psal. 17. Inimicos meos dedisti mihi dorsum, & odientes me disperdidisti: clamauerunt, nec erat, qui saluos faceret ad dominum: nec exaudiuit eos. Item quantum ad seipsum per sollicitudinem cupiditatis. Thob. 3. Operuisti nubem, ne per transeat oratio. ita enim exponit Gregorius dicens, Quod nubes est sollicitudo mundanarũ rerũ, quæ ita aĩam peccatricem capit, vt effectum in oratione habere non possit. Item per amorem voluptatis. Ezechiel. 8. Introduxit me per ostium, & ecce mulieres sedentes ibi: & plangentes: & ex alia parte viginti quinque viri dorsa habentes ad templum, & facies ad Orientem: & sequitur, quod dixit dominus: Non parcet oculus meus, & non miserebor: & etiam cum clamauerint ad aures meas voce magna, non exaudiam eos. Item per operationem iniquitatis. Esaia. 1. Cum multiplicaueritis orationes vestras, non exaudiam. manus & enim vestræ plenæ sunt sanguine. Per orationem pariter mens eleuatur in Deum, secundum Damascenum. Virtus veræ orationis est celsitudo charitatis, secundum Gregorium in moralibus. Sed quia multis fragilitatibus mens humana pulsatur, expectat pœnas gehennales in spiritu resolui, & ad memoriam reduci: ut caduca sensualitas timeat simulata dissolui.

Sermo in ecclesia qualis esse debeat.

QValis locutio in ecclesia habenda sit Apostolus ostendit dicens: Loquentes vobis metipsis in psalmis, & himnis, & canticis spiritualibus: vnde sibi ibi à verbis superfluis abstinendũ est extra de celebra. miss. c. colentes. iuxta illud Chrisostomi: In aulam regiam ingressurus: habitu &

inceſſu te componas: Angeli enim domini ad ſunt: quia domus Dei plena eſt virtutibus in corporeis, & dominus ad Moyſem, & Angelus ad Ioſue: Solue calciamentum de pedibus tuis: locus enim, in quo ſtas, ſanctus eſt.

CVI PRIMO INIVNcta fuit circunciſio, & quibus de cauſis.

SCiendum autem eſt, quòd circunciſio primo iiuncta eſt Abrahæ, & ſemini eius: ideſt hebreis. ex eo naſcituris: ut ſic probaret, an obediret vel non: ſicut & Adam ad probationem obedientiæ mandatum accepit, ne de ligno vetito manducaret. Fuit autem prçcepta circunciſio propter quinque cauſas.

Primo, vt per obedientiam mandati Abrahã placeret Deo: cui p præuaricationem Adam diſplicuerat.

Secundo data fuit in ſignum magnę fidei Abrahæ. Credidit enim ſe habiturum filium, in quo bene dicerentur omnes gentes per fidem, ideſt, perquã ſpiritualis circunciſio impleretur, ut ſic iuſtificaretur: & ipſe.

Tertio, vt in hoc ſigno diſcerneretur ab omni ratione populus ille.

Quarto, ut circũciſio facta in virili membro: per quod generatur creatura mortalis: & in quo libido ſolet dominari, caſtitatem corporis, & mentis ſeruandam, & impudicitiam reſecandam indicaret.

Quinto, quia non poſſet melius ſignificari per Chriſtum tolli originale peccatum: cum quippe omnis homo cum preputio naſcitur: quemadmodum, & cum originali peccato.

Quare in præputio fiat circunciſio.

IN carne præputij ideo eſt iuſſa fieri: quia in remedium inſtituta eſt: ideſt contra originale peccatum: quod à parentibus contraximus corrupti concupiſcentia: quæ in parte illa magis dominatur: & quia in membro illo culpam inobedientiæ homo prius cognouit, decuit, quod illo ſignum obedientiæ acciperet.

Quare Chriſtus voluit circuncidi.

SEd quare Chriſtus, qui fuit agnus immaculatus, non habens maculam, neque rugam: qui peccatum non fecit, nec inuentus eſt dolus in ore eius, voluit circuncidi? Reſpondeo: ſicut voluit in templo præſentari: ſicut & baptizari: ſicut; & de agno paſchali cum diſcipulis epulari: ſic voluit in corpore circuncidi propter nos, ne iudei dicerent eum non eſſe Meſsiam in lege promiſſum: quia non eſſet circunciſus: nec viueret ſecundum legem, cum de ſe ipſo dixerit: Non veni ſoluere legem, ſed adimplere: & etiam, ne demones circunciſionis miſterium agnoſcerent: cum enim illa contra originale peccatum fieret: credidit diabolus, & hunc, qui circuncidebatur, ſimiliter peccatorem eſſe propter quam etiam cauſam voluit, ut mater eius virgo ante partum, in partu, & poſt partum deſponſaretur, etiam propter perfectam humilitatẽ, tanquam eſſet peccator, voluit hoc fieri, licet non indigeret: ſicut & ex humilitate voluit baptizari ſubdendo ſe minori,

Quare mutata fuit circunciſio in baptiſmum.

FVit mutata circunciſio in baptiſmum, quia ſacramentum baptiſmatis eſt perfectius, & quia magis com-

commune, & magis gratia plenum. mulieres enim circuncidi non poterant, & etiam propter honestatem. honestius enim est aqua lauari, quàm corpore mutilari.

Fiebat autem circunciſio die octauo ex legis præcepto. Leui. 12. c. & fiebat *cum lapideo* cultello, ad ſignificandum, quòd poſt ſeptennarium huius *vitæ*: *in* octaua die: ideſt ætate, quæ *erit reſurgentium*, ab electis per petrã, ideſt, Chriſtum abſcindetur corruptio carnis, & ſpiritus: quando liberabimur à ſeruitute corruptionis, quando circuncidetur à peccatis anima cuiuſque credentis in eum. Duæ itaque res ſunt illius ſacramenti: ſcilicet circunciſio à peccatis in præſenti, & circunciſio ab omni corruptione in futuro. Chriſtus autem non indigebat circuncidi, vt iam dictum eſt. Conferebat circunciſio ſuo tempore remiſſionem peccatorum, ſicut, & nunc baptiſmus. Vnde Gregorius: de conſecr. diſtin. 4. quod *apud. extra.* de baptiſ. maiores. quod *apud nos* ualet aqua baptiſmi, hoc egit apud ueteres, vel pro paruulis ſola fides: vel pro maioribus virtus ſacrificij: uel pro his, qui de Abrahæ ſtirpe prodierunt, miſteriũ circunciſionis.

DE BONIS ATTRIBVTIS Eccleſiæ.

DE bonis Eccleſiæ attributis, ſcripſit ſanctus Vrbanus Papa, his verbis: Ipſæ res fidelium, quæ domino offeruntur, non debent in alijs vſibus, quàm eccleſiaſticis, & chriſtianorum fratrum, uel indigentium conuerti, quia vota ſunt fidelium, & pretia peccatorum, ac patrimonia pauperum.

Quatuor ſunt peccata clamantia in cælum.

HOmicidium voluntarium, peccatum ſodomiticum, oppreſsio pauperum, Merces operariorum.

Verba ſacra portare licet.

POrtare uerba ſacra in remedium humanæ infirmitatis, ſi reſpectus habeatur ad ſolam Dei reuerentiam, à qua expetitur effectus, licitum eſt, dum tamen non habeatur mixtura figurarum, vel ſuperſtitionis illicitæ.

DE IEIVNIIS Quatuor temporum.

IN primitiua quidem Eccleſia ſtatutum fuit, quod ieiunia quatuor temporum fierent ter in anno. Sed Calixtus Papa. 76. diſt. ieiunium conſtituit quater in anno fieri: nam & indei quater in anno ieiunabant ſcilicet ante paſcha: ante pentecoſtem, ante ſcenophegiam in Septembri, & ante encenia: Si enim tantum ter in anno: forte aliqui remanerent dies: de quibus primitias non redderemus. in iſtis enim ieiunijs primitias temporis exoluimus: vt iam dicetur. de quibus Zacharias ait: Ieiunium quarti, quinti, ſexti, & decimi, domui Iudæ: & Hieruſalem, dies feſtos uertet in gaudium. Quater ergo ieiunamus in anno. primo vt quatuor elementa in nobis vitiata. ideſt corpus noſtrum ex eis conſtans in quatuor anni temporibus caſtigetur.

Homo enim conſtat ex quatuor elementis, quantum ad corpus, & ex tribus potentijs quantum ad animam, ſcilicet rationali, concupiſcibili, & irascibili,

scibili, vt illa ergo moderetur in nobis, quater ieiunamus in anno per tres dies: vt quaternarius numerus ad corpus, & ternarius ad animam referatur. Si quidem annus diuiditur in quatuor tempora: quæ sunt: Ver, AEstas, Autūnus, & Hiems, quæ propter sua delectamenta à Dei amore nos auertere solent.

Ver, calidum, & humidum. tunc ergo ieiunamus: vt elementum amoris castigetur in nobis, ne consentiat falsæ pulcritudini veris. Ieiunamus itaque contra luxuriam, & humore & calore nascentem.

AEstas calida est, & ficca: tunc ergo ieiunamus, vt elementum caloris in nobis castigetur, ne consentiat incēdio carnali: vel tunc ieiunamus contra superbiam: quia tunc fructus terrarum, qui florent, & maturantur, superbiendi materiam præstant.

Autumnus est frigidus, & siccus: tunc ergo ieiunamus, ne aliquo lāguore animi, arescamus, & defluamur & sine pinguedine olei, in tabernaculo æterno inueniamur. uel tunc ieiunamus contra auaritiam: quia tunc messes colligimus, & habemus.

Hiems frigida, & humida est: vnde tunc ieiunamus, ne membra nostra fluxu, & luxu soluantur in cōmessationinibus, & potationibus. ac p hoc amor Dei negligatur: vel tunc ieiunamus contra pigritiam, quia torpemus frigore: Ieiunamus igitur in dictis quatuor temporibus anni, vt per ieiunia præseruemur à vitijs: & quæ deliquimus in illis purgentur.

Rursus, quoniam quodlibet tempus tres habet menses: ideo quater ieiunamus in anno tres dies: vnum diem ieiunantes pro mense: vt sic satisfaciamus in die, quod deliquimus in mēse.

Secundo etiam, ideo ieiunamus: nā primum ieiunium fit initio, scilicet in prima septimana quadragesimæ; vt in nobis virtutum germina oriantur: vt in nobis inarescant vitia, quæ nequeūt omnino extingui.

Secundum fit in æstate in septimana Pentecostes, quia tūc venit spiritus sanctus: & nos debemus esse feruentes in spiritu sancto.

Tertium fit in septembri ante festum sancti Michaelis: quando fructus colliguntur: & nos debemus Deo reddere fructum bonorum operum.

Quartum fit in Decembri: quando herbæ moriuntur: quia nos mortificare debemus.

Tertio ideo quia Ver refertur in pueritiam: AEstas ad adolescentiam: Autumnus ad maturitatem, siue virilitatem: Hiems ad senectutem. Ieiunamus ergo in vere: vt simus pueri per innocentiam: in æstate, vt efficiamur iuuenes per constantiam. in Autumno: vt maturi per modestiam. in Hieme, vt senes per prudentiam, & honestam vitam.

Quarto ideo in quatuor anni temporibus ieiunamus: vt Deus nobis conseruet omnia: quæ ad humanum vsum in illis temporibus, de terra nascuntur.

Quinto ad significandum quatuor, quæ fuerunt in illis temporibus, scilicet: Conceptio domini, in uere. Natiuitas in Hieme. Conceptio Ioannis baptistæ in autumno, & eius Natiuitas in æstate.

Sexto secundum Hieronymum: ob diuersas plagas, quæ in illis temporibus acciderunt.

Quia

De alijs ieiunijs.

QVia de ieiunijs quatuor temporum mentio facta est; consequēs est, vt de alijs ieiunijs hic aliqua perstringamus. est aūt ieiunium, cōis omnium membrorū satisfactio: vt scilicet membra satisfaciant fin peccatū, quod commiserunt, vel gesserunt: Vnde de oculo Hieronymus: Oculus meus depredatus est animam meam. Per fenestras oculorum meorū mors intrauit in animam. & Augustinus: Oculo nihil est nequius: & sic de alijs membris. vel ieiunium, est parsimonia victus, & abstinentia ciborum. Aug. dicit: Maximum, & perfectum ieiuniū est abstinere ab iniquitatibus, & à carnis voluptatibus, & delectationibus huius seculi. vnde Pius Papa, de conse. dist. 5. Nihil prodest orare, & ieiunare, nisi mēs ab iniquitate, & obtrectationibus lingua cohibeatur: & dicitur ieiunium à ieiuno, quod est quoddam intestinum in homine, quod semper est vacuum, & subtile: sic & nos ieiunantes debemus esse vacui à superfluis, & à vitijs tam in corpore, quàm in mente.

De Auctoritate ieiunij.

AVctoritas ieiunij est ex tribus: & persona, & loco, & ex tempore. Ex persona, quia præcepit Deus Adæ, & Euæ, vt abstinerent à fructu ligni scientiæ boni, & mali. Et loco, quia in Paradiso institutum fuit, & initium habuit. 36. dist. 6. Ex tempore: quia ab antiquo præceptum est celebrari. creato nanque homine, in primo mundi exordio dictum fuit ei: De ligno scientiæ boni, & mali, ne comedas. & quia fuit celebratum ante legem: à Moyse, & sub lege ab Helia: & in tempore gratiæ à Christo: Moyses enim non comedit, neque bibit. 40. diebus. Helias quoque ambulauit. 40. diebus, & 40. noctibus. in fortitudine subcineritij panis. & Christus. 40. diebus. & 40. noctibus ieiunauit. Fuit etiam celebratum in sex ætatibus. nam in ea ætate, quæ fuit ab Adam vsq; ad Noe, fuit abstinentia carnium, & vini. 30. dist. ab exordio. à Noè vero, in posterum fuit concessum uinum, & carnes, & sic de ceteris ætatibus. Commendatur autem ieiuniū exemplis, quoniam Eua, quamdiu ieiunauit, & abstinuit, in Paradiso permānsit: Adam, quia ieiunium violauit, à delicijs Paradisi in summam miseriam corruit. Helias, quia ieiunauit in cœlum curru igneo raptus est. Moyses per ieiunium cum Deo locutus est. Hierusalem per ieiunium liberatur à Sennecharib tempore regis Ezechiæ. & Isaiæ. Iona quoque prædicante, prestatur venia Niniuitis in sacco, & cinere, & ieiunio, pœnitentiam agentibus. Ieiunamus etiam exemplo Apostolorum.

Multiplicitas ieiuniorum.

POrro ieiuniū, aliud est corporis, & carnis, aliud gulosi, mentis, aliud auaritiæ, aliud fastus, aliud dispēsationis, aliud deuotionis, aliud uotiuę promissionis, aliud suppletionis, aliud cōpassionis, aliud inspirationis, aliud circunspectionis, aliud rationabile, aliud qualitatis; aliud quantitatis, aliud numeri, aliud summæ exactionis, aliud alternitatis, aliud zorophagiæ, aliud mæroris, aliud exultationis, aliud vanitatis, siue hipochrisis: aliud virtutis; siue charitatis, aliud indictionis, aliud necessitatis, aliud institutionis, aliud voluntatis, aliud prauitatis.

Sane ieiunium corporis, & carnis est, quando quis abstinet à cibis, ne nimis impinguescat: vel vt infirmitate liberetur: vel quia comedere non potest & hoc nullius est meriti.

Ieiunium gulosi est comedere immoderate ante ieiunium, ut nō esuriat in die Ieiunij. vel parum comedere vno die, vt immoderatius die sequenti ventri indulgeat, ipsumque nimis impleat.

Ieiunium mentis est, quando quis abstinet à vitijs, & etiam cibis, ne caro pinguescat lasciuijs.

Ieiunium auaritiæ, ut bursæ parcat.

Ieiunium fastus est, ut quod sit, ut appareat.

Ieiunium dispensationis est, quod celebratur in vigilijs solemnium dierum, & magnarum festiuitatum: ut natalis domini: quę ideo dicūtur vigilię, quoniam antiquitus in præcipuis ciuitatibus, duo nocturnalia agebantur officia: & populus, qui ad festa venerat, tota mente in Dei laudibus in ecclesia vigilabat.

Ieiunium deuotionis est, ad quod quis necessario non tenetur quod inferius voluntaria appellatur.

Ieiunium votuæ promissionis est: vt si quis vouet, quòd certa die ieiunabit, vel a carnibus abstinebit.

Ieiunium suppletionis est, ut siquis extra pœnitentiam sibi à sacerdote iunctam, aliquid suppleat de suo.

Ieiunium compassionis est, ut si sacerdos alicui dicat: Pro hoc peccato, fac cantare duas missas, & ieiuna, & ego prote cantabo, & tres dies ieiunabo: Propter hoc tamen debet aliquid recipere: quia sacerdos debet compati proximo suo, & orare pro eo, etiam ieiunare, potest dici compassio: vt si quis petit à sacerdote pœnitentiam patri suo iniunctam, vt pro patre peragat partem illius.

Ieiunium inspirationis est, vt in beato Nicolao, qui adhuc infans, & manēs in cunabulis tribus diebus in hebdomada à mamillis matris suæ abstinebat: vel, vt alij dicunt, quarta feria, & sexta, semel tantum sugebat mamillas.

Ieiunium circunspectionis est, quando pro aliqua imminente tempestate pro periculo hostium, vel pro casu cuiuslibet angustiæ ieiunamus.

Ieiunium rationabile est, quando cibum & potum moderate sumimus, ne naturam debilitemus. vnde Apostolus: Rationabile sit obsequium vestrum, non in comessationibus, & ebrietatibus:

Irrationabile est: si quis velit ieiunare per duos, uel per tres dies, vel per totam hebdomadam, quod non approbat Deus: vult enim hominem sic ieiunare, vt cogatur vitijs mori, non vt cogatur à natura dissolui. Vnde prohibetur ieiunium, quod quidam faciunt à Cœna domini, usque ad Pascha.

Ieiuinum qualitatis est, si quis vouet se vlterius non comesturū carnes.

Ieiunium quantitatis est, si quis comedat ad pondus, vel ad mensuram, plus vna die, quam altera: vel si quis veueat se non comesturum nisi tanti ponderis panem.

Ieiunium numeri, est quando quis vouet, quod de cætero non comedet: nisi vna vice in die cogitans, quòd comedere plures in die belluarum est, & comedere bis hominum, semel Angelorum.

Ie-

Ieiunium summæ exactionis est, in his, qui non comedunt, nisi olera, radices, & herbas: vt Ioannes baptista in deserto, & Maria ægiptiaca in eremo, qui cum duobus panibus tantum Iordanem transiens, austeram vitam in eremo 47. annis egit.

Ieiunium alternitatis est, cum quis vno die comedit, & alio die ieiunat.

Ieiuniũ Zorophagiæ, est sicca comestio, à zoros, quod est siccũ, & phagin, quod est comedere. Vnde Priscianus in Zorofago Bisantij: Sicca comestio est: vt in fructibus, pomis, piris, castaneis, & consimilibus: quidam tamen siccam comestionem appellant legumina, siue cruda, siue cocta, & si lixata comedantur cum cocleari.

Ieiunium mæroris, consistit in vno, scilicet in abstinentia ciborum: & fit propter duo: scilicet propter corporalem abstinentiam, & spiritualem Spõsi. Hoc repræsentat ecclesia in tribus quatuor temporibus.

Ieiunium exultationis consistit in *duobus*, scilicet in abstinentia ciborũ, & mundanarum rerum: & fit propter vnum, scilicet propter internæ dulcedinis prægustationem, iuxta illud: Gustate, & videte. hoc repræsentat Ecclesia in vigilia, & hebdomada post Pentecostem. vtrumque repræsentat in tempore aduentus prout ibi dictum est.

Est ergo duplex ieiunium, scilicet tribulationis, & gaudij, siue mæroris, & exultationis, sicut habetur in glosl. super illo loco. Matth. 9. c.

Nunquid possunt filij sponsi lugere, quam diu fuerit sponsus cum eis.

Ieiunium vanitatis, siue simulationis, vel fictionis est, in hipocritis.

Ieiunium virtutis, siue charitatis, est in sanctis, & perfectis.

Ieiunium indictionis est, ut in die Beati Marci.

Ieiunium necessitatis & institutionis ad idem feruntur.

Ieiunia, quæ ab Ecclesia instituta.

IEiunia necessaria, idest, per ecclesiam instituta, & indicta sunt ieiunia quatuor temporum, & vigiliarum Apostolorum, Natiuitatis domini: Beati Ioannis Baptistæ: Omnium sanctorum: Assumptionis: beatæ Mariæ: Beati Laurentij: Quadragesimæ, & sextæ feriæ præter illa, quæ sunt inter Pascha, & Pentecost. & præter quam si natiuitas domini uenerit in ea, nisi tunc aliquo uoto, uel religioni sint astricti. Dicunt tamen quidam, quòd ieiunium sextæ feriæ non est necessitatis, nisi quo ad carnes: alioquin non liceret Cisterciensibus illud mutare. sed secundum Leonem Papam licet non sit necessitatis sabbato abstinere: rationabilis tamen consuetudo, & canon Innocen. aliter interpretatur, eò quòd in illo triduo post passionem domini tota fides in sola beata Virgine Maria remansit: Generalia quoque, & specialia ieiunia per episcopos in sinodo, & Concilijs instituta, solui non debent.

Ieiunare qui teneantur.

AD necessaria ieiunia tenentur doli capaces: cum & ipsi delinquere possint: dispensari tamen potest circa hoc cum impuberibus, & etiam constitutis in maiori ætate: & cum senibus, & infirmis, ac debilibus: Mulieres uero licet propter uirorum prohibitionem ieiunia uotiua uoluntaria dimittere debeant, prout dictum

est; indicta tamen per ecclesiam non licet. Cæterum comedere ante horam comedendi, & ante missam in ieiunijs statutis, & necessarijs, mortale peccatum esse sacri canones affirmant: inuoluntarijs uerò ueniale.

Ieiunium non soluunt serui prægustantes cibos.

VIdetur enim inductum ex consuetudine ecclesiæ, ieiunantis, & hoc tolerantis, ut Senescalchi uel quilibet alij seruitores, uel portantes cibos ad mensam, non soluãt ieiunium si prægustant cibos ante dominos, forte de tosico dubitantes, quibus etiam casibus Monachi abbatibus seruientes, & alij seruitores possunt carnes prægustare, idemque de medicis prægustantibus medicinas tempore ieiuniorum.

Ieiunantes debent abstinere praua agere.

ISidorus de summo bono ait: Ieiunia cum operibus bonis Deo acceptabilia sunt, qui autem a cibis abstinent, & praue agunt, demones imitantur. quibus esca nunquam est, & nequitia semper adest. ieiunio adæquatur sobrietas in esu & potu.

Cæro piscis cur non interdicitur in ieiunio.

REspon. Deus non maledixit aquis: quoniam per aquam baptismi futura erat remissio peccatorum. hoc enim elementum dignissimũ est, quod sordes abluit: & super quod spiritus Domini ante mundi constitutionem ferebatur: terræ uero maledixit, in operibus hominis: inde est. quòd omne genus carnis, quod in terra uersatur, tam quadrupedia, quàm aues: in ieiunijs non licet comedere. Adhuc piscis usus secundum Gregorium, ita christiano relinquitur: vt hoc ei infirmitatis solatium, non luxuriæ pariat incẽtiuum. denique qui à carne abstinet, ne ita sumptuosa maritimarum bellua rum conuiuia præparet: vinumque in ieiunio sic bibat, vt ebrietatem incurramus, & ieiunium fugiamus. Vnde in pœnitentiali romano statutum est, vt pœnitens paruis pisciculis uescatur de homic. c. 2.

De vigilijs Apostolorum.

CIrca vigilias Apostolorum notandum est, quòd ieiunium paritatis, quando videlicet paria sunt sanctorũ merita: pariter ieiunamus. sicut patet in vigilijs beatorum Iacobi, & Bartholomæi, & aliorum apostolorum: qui non habent ieiunia institutionis: in quibus ieiunamus: pro eo quod fuerunt Apostoli, quoniam alij apostoli vigilias habent. cum enim sint meritis pares, decet, vt omnes habeãt ieiunia: vnde Concil. Bracharen. dicit, q̃ omnium apostolorum vigiliæ sunt ieiunandæ præter vigilias apostolorum Philippi, & Iacobi, & Ioannis euangelistæ. ecclesia tamen Gallicana non tenet, nisi de sex Apostolis: & de quatuor eorum ieiunijs. Petrus, & Paulus habent pariter unum, quia eadem die passi sunt. Simon & Iudas habẽt aliud Matthæus habet tertium. Andræas quartum. In vigilia istorum est ieiunandum: vt sicut illi passi sunt pro Christi nomine: sic & nos cum eis compatiamur, si cum eis regnare velimus.

De alijs vero Apostolis ieiunium institutum non est propter aliqua impedimenta: ecce enim festum Philippi & Iacobi est inter Pascha & pente. quod tempus gaudij est, & lætitiæ: ideoque

ideoque tunc non est ieiunium.

Si opponatur de ieiunijs litaniarū; Respondetur, quod necessitas interuenit, prout ibi dicetur: uel id non est ieiunium necessitatis: sed uoluntatis: & quidam propter expectationem spiritus sancti ieiunant ab Ascensione usq; ad Pentecostem, pro eo quòd Apostoli dicuntur hoc tpe ieiunasse. sed nulla scriptura autentica dicit Apostolos tunc ieiunasse. Vnde tunc ieiunandum non est: quia tempus illud est de tempore Paschali. In uigilia tamen Pentecostes bene ieiunandum est, ut per ieiunium mundati, & purificati spiritum sanctum digne suscipere mereamur.

Item Iacobus frater Ioan. Euangelistæ occisus est ab Herode in diebus ideſt calendis Aprilis azimorum: quare ieiunium non habet: nec etiam tūc de illo festum celebratur: sed eius festum celebratur die 25. Iulij & ibi habetur uigilia. prout septima parte sub *ipsius festo* dicetur.

De beato Bartholomæo, cuius festum celebratur nono Calendas Septembris: dicitur, quòd fuit excoriatus, & sequenti die obiit: & sic si haberet uigiliam, oporteret quod esset tertia die ante. quod esset contra normam aliorum festiuorum ieiuniorum. quidam autem celebrant festum excoriationis: alii obitum, & melius: Sed in Concilio Bracharen. habetur in hoc: consuetudo cuiuslibet ecclesiæ est obseruanda circa festum, ecclesia celebrat uigiliam. Barnabas autem non habet ieiunium: quia non est de numero duodecim Apostolorum, nec dicitur Apostolus, nisi quia cum, esset socius Pauli missus etiam fuit ad euangelizandū. Vnde spiritus S. in actibus Apostolorū dixit: Segregate mihi Barnabam, & Paulum.

De beato quoque Thoma non est ieiunium statutum: quia eius festum est in aduentu domini, ubi continuum est ieiunium. Sed tamen ab ecclesia Romana celebratur Vigilia, quia non omnes celebrant Aduētum. Ita etiam dicitur de vigilia B. Matthiæ circa septuagesimam.

Matthias etiam ieiunium institutionis non habet: quia frequenter festum illius solet contingere in quadresima, & semper est in septuagesima, & quia non fuit in primitiuis apostolis: sed post passionem domini, sorte est electus & per electionē aliorum loco Iudę cōstitutus. vnde Propheta: Episcopatum eius accipiat alter. Decretalis tamen dicit, quòd hic habet vigiliam, & ieiunium.

Ioannes Euangelista festum habet tertia die post natiuitatem domini: & tunc non est ieiunium: tum propter festa, tunc occurrentia: tum quia ipsa die illa non obijt: immo in die festi beati Ioannis Baptistæ. si tamen fieri posset, bonum esset in omnibus apostolorum vigilijs ieiunare.

Beatus Laurentius solus inter martires: & solus beatus Martinus inter confessores ieiunium habent.

De Sabbato sancto.

SEquitur videre de sabbato sancto Paschę, sicut enim Deus operibus creationis mundi, scilicet in sex diebus completis, in septima requieuit ab omni opere, quod patrarat, sic & in sexta ætate recreationis operibus consumatis: iuxta quod Dominus in cru-

cé pendens dixit: Consumatum est, in septima ætate requieuit. Cum enim anima eius passibilitatem corporis exiuit, quodammodo requieuit: Præterea in sepulcro dormiuit: ideoque dies ista sabbatum appellatur, quod requies interpretatur: significat etiam requiem Christi, in cuius morte sancti ficati sumus; dicitur etiam sanctum propter baptismũ, quod fit in die ista, in qua noua ecclesia proles sanctificatur. ideo fit hac die baptismus quia in eo consepulti sumus Christo. & propter hoc baptizandus ter immergitur, quia in baptismo à triplici peccato, scilicet cogitationis, locutionis, & operationis mundatur: & à triplici transgressione legis, scilicet legis Naturæ, legis Mosaicæ, & legis Euangelicæ; nõ igitur debet quis tantum semel immergi, pro eo, qđ Christus mortuus est semel. dist. presbyter. debet tamen semel baptizari: quia tantum semel Christus mortuus est, & sepultus, & resurrexit: quæ tria in baptismo significantur: & licet trina fiat immersio; tamen vnum est baptisma. immersio etiã fit in modum crucis: quia qui baptizatur, mundo crucifigitur, & Christi cruci affig tur.

De vigilia Pentecostes.

SEquitur de uigilia Pentecostes: in qua sicut in uigilia Paschæ celebratur baptisma. quia istæ duę festiuitates sunt maiores, & magis necessariæ inter omnes: in vigilia Paschæ celebratur baptismus: quia in Passione Christi omnes baptizamur: quia redimimur & iustificamur: nihil enim nasci nobis profuit, nisi redimi profuisset. Item redimi nihil profuisset, nisi paraclitus mitteretur. & ideo in uigilia Pentecostes celebratur baptismus: quia tunc per spiritum sanctum mundamur, quoniam dominus in cælum ascendens discipulis promisit dicens: Ioannes quidem batizauit aqua, uos autem baptizabimini Spiritu sancto non post multos dies, ideſt post decem dies, quod & factum est. Propter hoc ergo ecclesia in decima die post ascentionem celebrat baptismum ad notandum, quòd nostri neophiti baptizantur in spiritu sancto, quemadmodum & illic. Baptizantur etiam hodie solenniter, tum ad hoc, ut post Pascha nati, uel ut necessitatibus impediti baptizentur, tum quia Petrus hodie tria millia hominum batizauit, tum quia Dei filius in Dei digito fortem deuicit: ideoque, idem opus per fidei misterium repræsentatur digito uenienti, & filio resurgẽtium, quia baptismi regeneratio propria est Spiritus sancti operatio: tum quia sicut hodie descendit in Apostolos: quem descensum dominus Baptismum appellauerat dicens: Vos autem Baptizabimini Spiritu sancto, sic in Baptismate descendit, licet inuisibiliter, in baptizatos.

DE DIE SANCTAE Trinitatis.

IN octaua Pentecostes fit Festũ sanctę Trinitatis post quam celebrata est festiuitas patris, & post quam celebratum est festum filij in Pascha, & festum Spiritus sancti in emissione ipsius, merito in octaua Pentecostes fit festum eorum, scilicet trinitatis, ut ostẽdatur, quod tres personæ sunt unus Deus, & hæc est prima causa, quare celebra-

lebratur festum trium personarum diuinarum simul. secunda causa est, quia ad inuocationem sanctæ Trinitatis datur in baptismo Spiritus sanctus, ut p̃missum est. Tertia causa est, ut ostendat ecclesia filijs suis illum, a quo sunt omnia bona, cuius habet imaginem, & cuius debet habere similitudinem: uidelicet Dei, & sanctæ Trinitatis, quam semper laudare debemus.

DE FESTIVITATIBVS Sanctorum.

IN Ecclesia sanctorum festa multis de causis celebrat.

Primo, ut eius uicem rependamus, quia ipsi iam celebrant festum de nobis, quoniam gaudium est in cælo Angelis Dei, & animabus sanctis super uno peccatore, pœnitentiam agente, Lucæ. 15.

Secundo, quia eos honorando, rem nostram agimus: nam eorum festiuitas *nostra est*. Vnde Apostolus. 1. Cor. 3. *Omnia nostra sunt*: nos autem Christi. Charitas enim omnia communia facit.

Tertio, ut habeamus eos intercessores pro nobis: unde legitur in. 3. Regũ. 1. c. ℣ Bersabeæ, quæ interpretatur puteus satietatis: ideſt ecclesia triũphans impetrauit filio suo regnum.

Quarto, ut eos imitemur. Per eorum enim exempla ad eorum imitationem prouocamur.

Quinto, propter augumentum nostræ securitatis, & spei subleuationem. si enim homines mortales nobis similes potuerunt ita per sua merita sublimari, & nos similiter poterimus: quoniam manus domini non est abbreuiata.

Sexto, propter honorem diuinæ maiestatis, quam, illos honorando, in eis honoramus, & mirabilem prędicamus eum, qui ipsos sanctificauit.

Septimo, ut uisa eorũ pulcritudine, & munditia, cõfundatur homo de peccatis suis, & terrena contemnat: sicut & ipsi fecerunt.

Octaua, & principalis causa est, quia sanctorum dies, & anniuersaria in eorum honore nobis ad memoriam reducitur propter nostram utilitatem: quoniam in eis honoramus Deum: ipsi namque cum sint perfecte beati, orationibus nostris non indigent: quia omnia eis ad uotum succedunt: immo iniuriam facit martiri: qui pro martire orat: extra. de cele. missa. cum Marthę. §. pœne Ioan. etiam Damasc. in lib. 4. c. 7. ponit alias rationes, quare sancti, & pariter eorum corpora, siue reliquię debeant honorari, quarum quædã sumuntur, quantum ad eorum dignitatẽ, & quædam quantum ad corporũ ipsorum præciositatem. Dignitas quadruplex est, quoniam sunt amici Dei, & filij Dei: hęredes Dei: & Duces nostri. De primo, Ioan. 13. Iam non dicam vos seruos, &c. De secundo, Ioan. 1. Dedit eis potestatem filios Dei fieri. De tertio, Roma. 8. Si autem filij, & hęredes. De quarto, ita dicit: Si quis multum laborat ducem inuenire, qui eum alicui regi mortali adducat, & pro eo ad ipsum uerbum faciat: quãto magis duces generis humani, qui pro nobis ad Deum interpellationes faciunt, honorandi sunt, templa illis erigendo, & eorum memoriã uenerando.

Quantum uero ad corporum eorũ prætiositatem manifestandam, ponit

idem

idem etiam quatuor rationes. nam ipsa sanctorum corpora fuerunt promptuaria Dei, templum Christi, alabastrum spiritualis unguenti: fontes uiui Aug. addit, quintum, scilicet organum Spiritus sancti.

Circa primum dicit: Hi enim sunt promptuaria Dei, cænacula spiritus sancti. De secundo dicit, quoniam per intellectum in corporibus eorum habitauit Deus. Vnde apostolus. Nescitis, quoniam corpora vestra &c. Deus autem spiritus est. Honoranda ergo sunt animata Dei templa; homo quidem delectatur in ædificatione murorum: Deus vero in conuersione sanctorum. Vnde Psal. Domine dilexi decorem, &c.

Circa tertium dicit: Si enim ex rupe aqua manauit in eremo, & ex maxilla asini Sansoni sitienti: nequaquam incredibile est, ex martirum reliquijs vnguentum bene olens, emanare sitiẽtibus Dei, & sanctorum virtutem.

Circa quartum dicit: Isti enim viuentes in veritate cum libera præsentia Deo adsistunt, & fontes nobis salutares dominator Christus sanctorum suorum præbuit reliquias, multiformia beneficia irrigantes.

Circa quintum dicit Augustinus in libro de Ciuitate Dei: Non sunt contemnenda, sed plurimum veneranda sanctorum corpora, quibus, dum adhuc viuerent, spiritus sanctus quasi quibusdam organis ad omne bonum vsus est. Vnde Apostolus: An experimentum quæritis eius, qui in me loquitur Christus. Est autem quadruplex differentia sanctorũ noui testamenti, quos per anni circulum colimus. sunt enim Apostoli, Martires, Confessores, & Virgines, & hi secundum Rabanum per quatuor mundi partes significantur: per orientem Apostoli. per meridiem, Martires. per aquilonem, Confessores. per occidentem Virginem. licet autem festiuitates sanctorum celebrandæ sint: & in eorum memoriam altaria construenda, nulli tamen eorum, vel etiam Angelis: sed soli Deo sacrificare debemus. honorandi ergo sunt sancti propter imitationem: non adorandi propter religionem. honorandi sunt charitate, non seruitute.

Dierum alij profesti, alij festiui, siue solennes. profesti qui nulla speciali celebritate insigniti sunt, quasi procul a festo. solennes vero, siue festiui dies, sunt, in quibus à quolibet opere seruili in honorem Dei, & sanctorum abstinendum est, & diuinis laudibus insistendum. Notandum est autem, quòd solemnitas est communiter instituta: celebritas pro aliqua prærogatiua: et dicitur à Solon, quod est commune, vel à soluto, idest, firmo, atque solido: quia ob religionem mutari nõ debet: vel dicitur solemnitas ex eo quòd fieri solet in anno. Celebritas vero vocatur, quia ibi non terrena, sed solum cœlestia aguntur. Solemnitas autem festiuitatum, quę est mors sanctorum, pluribus nominibus designatur; vocatur enim festiuitas, festum, celebritas, natiuitas, natalis, vel natale, siue natalitium, transitus, seu exitus, obitus, passio, assumptio, depositio, & obdormitio. Festiuitas dicta est à festis diebus, quasi festiditas, eo quod in eis sola diuina res agitur, quibus contrarij sunt festi, in quibus ius fatur. dicitur quoque festiuitas, quasi facti natiuitas. Natiuitas proprie dicitur festum

illius

illius natiuitatis, quæ est in carne & in mundo: & secundum hoc dicitur tantum Christi natiuitas, & Beatę Marię, & Beati Ioánis Baptistæ. quorum tantum natiuitates in ecclesia celebrátur.

Quare sancti dicantur in morte nasci, iam sequitur & dicetur ubi de octaua agetur.

Natalis vero, vel natale, seu *natalicium* dicitur migratio sanctorum ab *hoc* seculo. quia tunc nascuntur Deo ea natiuitate, quæ tendit ad vitam æternam.

Transitus dicitur de morte sanctorum, quoniam animæ illorum a corporibus exeuntes per ignota sibi, & diuersa loca transeunt. 13.c.q.2. tempus per cęlũ aereum, & ethereum, & cristallinum, & tandem perueniunt ad empireum.

Passio dicitur, quia tunc maxime corpus patiatur: & etiam in anima quando per violentiam ab inuicem separantur, & obitus vniuscuiusque potest *passio* nominari, quia sine amaritudine, & sine violentia quadam nulla anima de corpore tolletur.

Assumptio proprie dicitur transitus Beatæ Mariæ.

Depositio proprie dicitur depositio sancti Ioannis Euangelistæ, qui, ut præmissum est, locum sepulturæ viuus intrauit, & ita se ipsum deposuit. Obdormitio vero dicitur mors sanctorũ, quasi quies: nam sicut qui post somnum integer, & validior fit, sic sancti sine difficultate resurgunt in corporibus glorificatis, quasi à somno euigilantes. Vnde dominus de Lazaro mortuo dixit: Lazarus amicus noster dormit. 13.q.2. tempus. vnde Apostolus: Nolumus vos ignorare de dormientibus &c.

Festiuitates celebrandæ.

QVæ autem festiuitates celebrandæ sint, patet ex Concilio Lugdunen. de consc. dist. 3. c. j. extra de fer. c. fi. in quo sic statutum est: Dies domini feriandi sunt à vespera in vesperam. Item festum natalis Domini sancti Stephani, sancti Ioann. Euangelistæ, Innocentium, sancti Siluestri, circuncisionis, Epiphaniæ. Pasca cũ duobus sequẽtibus diebus. Ascensio domini. Pentecostes cum duobus diebus sequentibus. sancti Ioannis Baptistæ, duodecim Apostolorum. sancti Laurentij. Festiuitates Beatę Mariæ, Omnes dies dominicæ. Dedicatio sancti Michaelis, Dedicatio cuiuslibet oratorij, Festum omnium sanctorum, & sancti Martini. & alia secundũ consuetudinẽ, vt illæ festiuitates, scilicet sanctorum canonizatorum, quas singuli episcopi in suis ecclesijs cum clero, & populo; decreuerunt celebrandas. Reliquis vero festiuitatibus, quę per annum sunt, populi non sunt cogendi ad celebrandum; siue feriandum; nec prohibendi.

Festa inter septuagesimam & quadragesimam.

CIrca festa, quæ in septuagesima, seu in tempore passionis, siue ante illud occurrunt, sicut est festum S. Agathæ, Catedra sancti Petri, S. Matthiæ, Annunciationis domini. Festum sancti Gregorij, festum etiam Patroni cuiuslibet ecclesiæ. si acciderit, vel anniuersariũ illius, uel pascha illius ius annotiuum generaliter dicimus, quod cantica laudis, scilicet, Te deum laudamus, Gloria in excelsis Deo, Ite

missa

missa est, in illis debent cantari, & omnia, quæ cantarentur in alijs, si in alijs temporibus contingerent, præter Alleluia; quoniam cantus huiusmodi ad tempus paschæ pertinere noscuntur.

Sed quare nō dicitur tunc alleluia, sicut alia cantica lætitiæ; Respon. quia illud est magis canticum lętitię, quam alia, quę sunt magis obsecrationes, seu gratiarum actiones: quam cantica lætitiæ. licet & in illis sit aliqua lætitia, præsertim in cantu.

Si vero opponatur: quod Gloria in excelsis, quod est proprium natalis domini, & Ite missa est: quod est canticum, seu laus resurrectionis: & Te Deum laudamus: quod significat lætitiam pro drachma inuenta, non debeant in festo Annunciationis domini cantari, pro eo quod præmissa in aduentu domini, nondum sua tempora habebant: quia dominus nondum ea in rebus humanis fuerat prosecutus. Respondeat, qui solennizare contendunt, quod hoc festum est omnium festorum Christi, quasi fons, & origo seu initium: quoniam & si natale domini, uel passio, uel inuentio drachmæ nondum erāt in re, uel in tempore, habebātur tamen in spe, quoniam in spe eorū prodigia præcedebant.

DE OCTAVIS.

OCtauæ sanctorum ideo celebrantur: quia sicut primus dies significat natiuitatē eorum, scilicet qualiter nascuntur cælo, & in societatem Angelorum & sanctorum patrum, quando animæ eorum à corporibus separantur: ita in octauis recolentes resurrectionem corporum, congratulamur resurrectioni eorum. Et attende, quòd quorundam sanctorum celebrantur octauæ, ne hoc mysterium lateat: non autem omnium, ne vilescat. si enim non valemus omnia festa celebrare sanctorum, quanto minus octauas eorum: si igitur aliorum sanctorum octauæ solemnes sunt, quāto magis sancti sanctorum, scilicet domini natiuitatis, octaua solemnis erit.

Videtur autem, quòd natiuitas domini non habeat octauam: quia tendebat ad mortem, obitus enim sanctorum, ideo habent octauas, quia tunc ipsi nascuntur ea natititate, quæ est ad vitam æternam. post illam enim natiuitatem, quæ est in morte speranda, est gloria resurrectionis: quæ datur in octaua: non post natiuitatem, quæ est ad mortem. Secundum hoc videtur, quòd natiuitas beatæ Mariæ, natiuitas beati Ioannis Baptistæ iam non habebant octauam. nec etiam resurrectio domini habet octauam, in qua dominus recepit stolam corporis: quæ generaliter omnibus fidelibus dabitur in octaua, iam enim ipsa resurrectio domini erat in re.

Octauarum ratio generalis est, quia scilicet, octaua redit ad caput: quod est de beatitudinibus. In libro de doctrina christiana asserit Augustinus: Idemque dies primus est, & octauus, scilicet dominicus: & ideo resurrectio domini dicitur facta in octaua, idest, in die dominica, idcirco igitur obseruatur celebritas octauarum, ut reuertamur ad primum innocentiæ statum: in cuius innocentiæ recordatione, in octauo die circuncisio agebatur, ut mens circuncisa fieret ab omni carnali cogitatione. Item nota, quòd tantum

tum beatus Stephanus,& Laurentius habent inter Martires octauas institutionis.

Calendarium de aliquibus anni festiuitatibus.

DE CONVERSIONE S. Pauli.

COnuersio sancti Pauli Apostoli facta est eodem anno, quo Christus passus est, & Stephanus lapidatus anno quidem non naturali, sed emergenti. nam Christus passus est octauo calendas Aprilis, Stephanus eodem anno, tertio die Augusti, lapidatus est. Paulus vero octauo calendas Februarij conuersus est, eius autem conuersio potius,quàm aliorum sanctorum celebratur triplici ratione.

Primo propter exemplum, ne quisquam *quantumcunque* peccator desperet de uenia,quando tantum in culpa conspicit postmodum talem fuisse in gratia.

Secundo propter gaudiũ.sicut enim ecclesia magna habuit tristitiã in eius persecutione,ita maximam habuit lætitiam de eius conuersione.

Tertio propter miraculum, .quod dominus in eo ostendit:dum de sæuissimo persecutore fecit fidelissimum prædicatorem.

DE BEATA AGATHA

BEata Agatha post multa tormenta in carcere mortuo est:ad cuius caput in Tumulo posita est visibiliter tabula per Angeli ministerium:in qua scriptum erat:Mentem sanctam spontaneam,honorem Deo,& patriæ liberationem. ideoque consuetudo inoleuit,cum tabula eius imaginem continente fieri processionem.

DE PVRIFICATIONE beatæ Mariæ.

INTER cunctos sanctos gloriosa dei genitrix virgo semper Maria primatum obtinet, vt pote quæ est sanctis dignior,& excellentior vniuersis: extra.de pœnit.& remissio.noua.in cuius honore in ecclesia in 4.anni temporibus, quatuor solemnes celebrat festiuitates,videlicet, Annũciationem,Assumptionem, Natiuitatem,& Purificationem. omni enim tempore ipsam in memoria habere debemus, quæ omni tẽpore ad filium suum pro nobis peccatoribus intercedit: quare duæ sunt sibi, & domino nostro communes,scilicet: Purificatio,& Annunciatio.

Quatuor festiuitates B. Mariæ quid significent.

HAE autem quatuor festiuitates fiunt secundum quatuor benedictiones, quæ ipsius virginis salutatione continentur.

Prima est: Aue maria gratia plena; quæ primæ festiuitati competit, scilicet Annunciationi, quando videlicet salutata fuit, de spiritu sancto concepit,facta gratia plena.

Secunda est: Dominus tecum, quæ competit Assumptioni.quando videlicet assumpta est in cœlum: quia tunc fuit cum domino suo,idest filio, vt est dominus. ante enim non viderat eum

dominum, ita manifeste in se.

Tertia benedictio est: Benedicta tu in mulieribus: quæ competit Natiuitati: quia tunc est nata mulier in vtero sanctificata: & ideo dicta est castrum propter singularitatē: quia nunquam demones castrum illud fregerunt.

Quarta benedictio est: Benedictus fructus ventris tui, quæ congruit quartæ festiuitati, scilicet Purificationi, quia tūc obtulit illum fructum in templo: primo, quo ad partum, quod dicitur obuiatio: quia in illa solemnitate Anna prophetissa, & Simeon obuiauerunt beatæ Mariæ venienti, filium suum offerre. Hunc aduentum prædixit dominus per Malachiam Prophetam. 3. Ecce ego mitto Angelum meū ante faciem tuam &c. Secundo quo ad parientem, & dicitur festum purificationis, quia licet beata Virgo non indigeret purificatione, nec legi purificationis obnoxia teneretur, quia nullo modo immunda fuit. nec peperit concepto semine: tamen voluit facere præceptum legis. Tertio ad insinuandum, quòd illi merentur cæleste templum ingredi, qui decem præcepta decalogi cum fide quatuor Euangeliorum obseruauerunt. Transactis ergo purificationis diebus, pariens ingrediebatur templum, offerens filium, vel filiam, & munera pro se, scilicet pro peccato pullum columbæ, siue turturem: Pro filio vero, uel filia, offerebat agnum anniculum in holocaustum. Qui vero agnum habere nequibat, offerebat duas turtures, aut duos pullos columbarum: & alterum in holocaustum pro partu, alterum vero pro se: scilicet p peccato suo. Vnde in Euangelio dicitur, vt offerrent par turturum, &c. secundum legis consuetudinem, scilicet, sicut lex exigere videbatur.

De processione.

FIT etiam hac die processio generalis, quæ significat processionem illam, scilicet, quam beata Virgo Maria, & Ioseph ad templum fecerunt, qui in processione cantant: Responsum accepit, &c.

Candela in manu accensa, est fides cum bona operatione: nam sicut candela sine lumine, mortua dicitur, & lumen per se absque candela non lucet, sed mortuum esse videtur: sic & operatio sine fide, & fides sine operatione mortua esse dicitur.

Lichnus sub cera occultatus, recta intentio est. Vnde Gregorius: Sic fiat opus in publico, vt tamen intentio maneat in occulto. Candelæ autem benedicuntur, vt eas digne ferant omnes, sunt enim multi habentes intus tenebras, licet extra luceant per lumē, quod ipsi ferunt in manibus: ita lucent interius per veram fidem: & in hoc sē stiuitas, & gaudium magnum. Portamus ergo candelas accensas, quasi ipso facto dicat ecclesia: Virgo beata purificatione non indiget: sed tota rutilans, tota splendens, & propter hoc cādelaria nuncupatur.

DE CATHEDRA sancti Petri.

CAthedram sancti Petri Ecclesia solemnizat, quando videlicet apud Antiochiam Cathedrali honore sublimatus esse perhibetur: qua sublimationem dicunt quidam factam esse à Teophilo Principe Antiocen. cuius

filium

filium defunctum, post annos quatuor decim, Petrus suscitauit: & ipsũ, & populum ciuitatis conuertit. Propter quod ibi ecclesiam constructerunt, in cuius medio excelsam Cathedram collocauerunt, & Petrum, vt ab omnibus audiri, & videri posset, exaltauerunt, in qua sedit annos septem. De hoc igitur honore solẽnizat ecclesia, quia tunc Prælati ecclesiæ cæperunt loco præstare, & honore sublimari.

DE SEPTEM DORmientibus.

DE festo septem dormiẽtium dicendum est. Sex eorum potentes fuerunt in Epheso, tempore, quo Decius Cæsar persecutus ecclesiam Dei, qui quàm cito audierunt persecutionem fugerunt in montem, & latuerunt in spelunca quadam, & secum portauerunt magnam pecuniam, sed parum cibi, quorum nomina sunt, Maximianus, Marcus, Martinianus, Dionisius, Ioannes, Serapion, & Constantinus. Hi cum essent in spelunca: prima die comederũt quicquid habuerunt comestioni aptum, & dixerunt seruienti suo: Cras emes nobis cibos: quia parum hodie comedimus: & postea dormierunt. tandem Decius quæsiuit eos, nam audiuit eos esse christianos, sed dictum est ei, eos aufugisse in alias regiones, vel in monte latuisse: quod audiens fecit ostia speluncæ lapidibus obstrui. Post multum vero temporis videlicet circiter trecentos annos, quidam voluit stabulum contra speluncam facere, & fecit magnum ignem, in quo soluti sunt lapides, qui erant in ostio speluncæ, & statim in spelunca refulsit splendor ignis, euigilati sunt septẽ dormientes, & sex qui potentes erant, dixerunt septimo, qui erat seruus eorum: dies est, vade nobis emere cibos, putabant enim se per vnã noctem tantum dormiuisse. Iuit ergo ille ad ciuitatem, & venit ad macellum miratus vltra modum: quia Cruces videbat per uicos & in triuijs, & in quadriuijs. cunque carnes emens obtulisset monetam, quam habebat, non cognouerunt eam carnifices, & dixerũt: vnde habes istos nummos? qui ait: ex meo proprio labore, & illi: Vnde es? Qui ait: De patria ista. Tunc illi: Qui sunt parentes tui? ille ait: Isti, & isti, & non cognouerunt carnifices aliquos eorum, quos ipse nominabat: à longo enim tempore eorum nomina cum illis erant sepulta. Iterum illi dixerunt: Sub quo Imperatore fuit illa moneta? Ait ille: Sub Decio. Tunc illi admirati sunt, tum propter monetam: tum propter ea, quæ referebat, æstimantes eum insanum esse: qui ligauerunt eum, & duxerunt ante Pontificem ciuitatis: cui diligenter inquirenti, quis ille esset & vnde, & vbi hanc monetam inuenisset, & de alijs, quæ ipse retulerat carnificibus, omnia prout contigerat reuelauit. tunc Episcopus veniens cum vniuerso populo ciuitatis ad speluncam, inuenit eos sex, qui ibi remanserant iterum dormientes, & euigilatos secum in ciuitate adduxit, & singula suscitatus ab eis, inuentũ est, eos in spelunca fuisse per annos fere trecentos: Præterea inuentæ sunt plumbeæ tabulæ, in ipsa spelunca: quas illi imposuerant ibi, qui mandato Decij obturauerant os speluncæ. Imperatores erant tũc Honorius, & Archadius,

qui cum prius de resurrectione, hoc viso, firmius crediderunt. Fuerunt autem cum Episcopo prædicti septem iuuenes per aliquot dies: & postea mortui sunt, libera morte, unde dicti sunt martires, qui tandiu in spelunca manserunt.

DE MACHABEIS.

MAchabei isti, sunt illi, de quibus fuit Iudas Machabeus. de quibus habetur in 2. Machabeorum. & cum ecclesia Occidentalis nullius alterius sancti veteris testamenti festum celebret: istorum tamen, & Innocentium, festum recolit: istorum quidem propter quatuor.

Primo, quia passi sunt propter legis obseruationem: quia videlicet carnes porcinas contra legem comedere noluerunt.

Secundo, propter martirij prærogatiuam, prout legitur in historia scolastica, quia inaudita supplicia, super sanctos veteris testamenti pertulerunt. Ideo in hoc priuilegiati sunt, vt eorum passio celebretur.

Tertio, quia ipsi fuerunt septem fratres, & numerus septenarius, est numerus vniuersitatis. Vnde in eis significantur omnes martires ueteris testamenti, celebritate digni, & omnibus illis in istis reuerentia exhibetur.

Quarto, quia ipsi ostenduntur in exemplum martiribus noui testamenti: vt sicut illi pro legis Mosaicæ obseruatione passi sunt: ita & nos, maxime si necesse fuerit, parati sumus pro euangelica: & secundum hoc magis celebratur hoc festum propter significationem, quàm propter significans.

DE INVENTIONE sancti Stephani.

INuentio sancti Stephani prothomartiris facta fuit die, qua celebratur eius passio, & passus est die illa, qua eius inuentio celebratur, scilicet in Augusto. Sed festa per ecclesiam quatuor de causis translata sunt.

Primo, quia cum beatus Stephanus fuerit prothomartir: & martirum sanctorum sit eorum Natale in cœlis, merito statim post Natalem Domini; natale prothomartiris Stephani celebratur.

Secundo, propter dignitatem. dignius nanque est festum, quod est de morte, quàm aliud: & ideo competenter tanquam dignius, statim post *natiuitatem* collocatum est.

Tertio, quia officium passionis eius concordat officio natalis Domini, vnde illud: Heri natus est Christus in terris, hodie Stephanus nascitur in cœlis.

Quarto, quia in eius inuentione maxima multitudo hominum venit: qui videntes miracula plurima, quæ fecit in illius inuentione, maiori cultu diem illum celebrauerunt annuatim: quàm etiam diem mortis illius: statuerunt ergo sancti patres, vt festum passionis eius transferretur ad hanc diem inuentionis, & ad festum inuentionis, festum passionis: quia festum passionis maiori cultu dignum est, vt populus hunc diem, qui natale Domini sequitur, & feruentiori cultu celebret, quàm diem eiusdem festi in Augusto.

DE

DE TRANSFIGVRATIONE Domini.

TRansfiguratio domini, quæ in die sancti Sixti, non quia tali die transfiguratio facta sit: sed quia tunc ab apostolis, qui secũ fuerunt in monte, fuit manifestata, & publicata, & prædicata. præceperat enim dominus, ne alicui dicerent: donec à mortuis resurrexisset. illi autem vsque ad hanc diem super hoc tacuérunt. Transfigurationem enim constat factã fuisse circa principium veris, eo scilicet die, quo dicitur euangeliũ de transfiguratione, scilicet secunda hebdomada quadragesimæ.

Et nota, quòd in quibusdam locis hac die conficitur sanguis Christi de nouo vino, si inueniri possit, & est ratio hæc: In die enim cœnæ dicit Iesus Discipulis suis: Amen, amen dico vobis: A modo nõ bibã, de hoc genimine vitis, donec bibam illud nouũ in regno patris mei: quia ergo hoc, quod dixit nouum, & etiam ad transfigurationem pertinet, ad illam gloriosam innouationem, quam Christus habuit post resurrectionem, & quam fideles post resurretionem sunt habituri; ideo in hac die nouæ vuæ benedicuntur. Euticianus Papa statuit, vt primæ fruges, & fabæ super altare benedicantur.

DE SANCTO LAVrentio.

BEatus Laurentius, quia post beatum Stephanum, inter alios Martires primatum obtinet: vigilium habet, non quia maiorem pœnam sustinuerit, quam alij, nam multi tantam pœnam sustinuérunt, sicut beatus Vincentius, & beatus Georgius, & alij quidam; sed propter officium prædicationis: & propter Martirij locum, quia Romæ, & propter bonam administrationem Thesaurorũ ecclesiæ, & fuit Archidiaconus Romæ, post quem nullus dicitur ibi Archidiaconus fuisse.

DE ASSVMPTIONE virginis Mariæ.

HIeronymus dicit: Quomodo Beata Maria assumptã fuerit siue in corpore, siue extra corpus, nescio: Deus scit. August. vero dicit, quod in corpore. veritas tamen est, quòd primo assumpta est anima. vtrum vero corpus in terra remansit, incertum habetur: & melius est piè dubitare, quàm aliquid circa hoc temere diffinire: pie tamen credendum est, eam totaliter fuisse assumptam.

Est nota, quòd hoc festum habet ieiunium & octauas, quod non habet aliud festum de illa, hoc enim festum maius est omnibus alijs, quæ fiunt de illa, & similiter de quolibet sancto maius festum est transitus, quàm aliud de illo quia de miseria transit ad vitam, excepto de Ioanne Baptista.

DE EXALTATIONE Sanctæ crucis.

EXaltatio sanctæ crucis dicitur: quia Cosdroes Rex persarum Hierosolymam venit: & lignum domini inde secum tulit: & facta domo cœli simili, & in eadem sedem sibi fecit: & lignum à dextrix posuit loco filij.

lij. Gallum vero à ſiniſtris, loco ſpiritus ſancti, & ipſe ſtans in medio ſe Deum vocari iuſsit. Quod audiens Eraclius Imperator Romanus aciem mouit iuxta Danubium, qui eſt fluuius Perſarum, non hunc, qui in Sueuia naſcitur, ſed alium eiuſdem nominis, inde filio Coſdroe victo ſingulari certamine crucem domini tulit: & cum appropinquaret in magna põpa Hieruſalem, portæ ciuitatis per angelum clauſæ ſunt, ne intraret: qui cũ vehementer admiraretur, audita eſt vox de cœlo dicens: Regem Regum non ſic phaleratum intraſſe Hieruſalem: quando pro omnibus pati uenit, ſed humilem, & ſuper aſinam ſedentẽ: & ſtatim recognoſcens elationem ſuam, de equo deſcendit, & humiliatus eſt valde, & portæ ei ſponte apertæ ſunt, & nudis pedibus ciuitatem intrauit; & in eius introitu multi diuerſorum morborum generibus detenti, curati ſunt per crucem: & Imperator ipſe in has deuotiſsimas crucis prorupit laudes dicens: O crux ſplendidior cunctis aſtris, mundo celebris hominibus &c. ille ergo crucem exaltauit, & exaltationis diem in futurum epiſcopis ſibi conſentientibus in ſuo imperio ſtatuit eſſe ſolemnem. Sergius Papa longis poſt temporibus in ſacrario beati Petri inuenit capſam argenteam, & in ea crucem ex ſalutiferi ligni magna portione cõpoſitam, lapidibus pretioſis adornatam. quæ poſita in Baſilica Saluatoris, adoratur a populo indie exaltationis.

DE SANCTO MAVRItio, & ſocijs.

CVM galli exercuiſſent exercitum in Romanes, Dux egipti collegit exercitum, in quo fuit beatus Mauritius, qui ſub ſe habebat legionẽ; in qua erant. 6666. cum ergo eſſent in exercitu, Tirannus voluit eos cogere adorare idola. qui noluerunt: & propterea decimam partem accepit Tirannus & interfecit: quod videns beatus Mauritius cõuertit ſermonem ad ſocios orans, ut viriliter ſtarent: & ſic ab eo confortati, ſunt paſsi Martirium: fuerant autem baptizati antequam Romam venirent.

DE VENERABILI Beda Presbytero.

BEda venerabilis presbyter, & monacus egregius, & expoſitor, claruit in Anglia circa annum domini. 666. qui licet in ſanctorum catalogo computetur, non tamen ab eccleſia ſanctus, ſed venerabilis appellatur. & ratio, qui cũ præ nimia ſenectute eius oculi caligarent, faciebat ſe duci per villas, & caſtra vbique verbum Dei prædicando. cunque quadam die per quandam vallem magnis lapidibus plenam tranſiſſet, quidam ex ductoribus deriſorie dixit ei: Hic eſt magnus populus congregatus expectãs tuam prædicationem auide, & ſilenter: & tunc incepit ille prædicare feruenter: & cum in fine concluſiſſet per omnia ſecula ſeculorum, mox omnes lapides alta voce clamaſſe dicuntur: Amẽ venerabilis pater. & ideo venerabilis pater appellatur.

Quolibet die anni, excepto Kalen. Ianuarij, ſemper occurrunt feſta pluſquam quinque millia ſanctorum martyrum.

CONſtantinus Imperator partes tranſmarinas præteriens, inuenit

Euſe-

Euſebium epiſcopum Ceſarienſem ui rum ſanctiſsimum, cui dixit: Pete à me. vnde eccleſia tua dicetur. ille vero reſpondit: Eccleſia mea ſatis abundat in diuitijs, Sed rogo te, ut mittas per partes mundi, & nomina ſanctorum, & tempora Paſsionũ, & ſub quibus, & qualiter, & in quibus locis paſſi ſunt reſcribas: quod factum eſt, & refert Euſebius, ꝙ quolibet anni die pluſquam quinque millia ſanctorum feſta concurrunt, excepta die calendarum Ianuarij, quo intendebant gentiles epulis, & ſolemnitatibus, non ad martirizandum Sanctos.

QVA AETATE MARIA virgo peperit Chriſtum, & qua ætate mortua fuit.

REfert Epherius, quòd beata virgo Maria, quando Chriſtum concepit, erat annorũ. 14. & in anno. 15. ipſum peperit, & cum eo manſit annis. 33. & poſt mortem Chriſti ſuperuixit annis. 24. & ſecundum hoc, tempore ſui obitus erat annorum. 72. probabilius, ut videtur, dicunt alij: quia duodecim annis filio ſuperuixit, & ſic ſexagenaria eſt aſſumpta, cum apoſtoli totidem annis prædicauerunt in Iudea, & circa partes illas.

Inſtitutio feſti Purificationis beatæ Mariæ.

SErgius Papa, ſtatuit feſtum purificationis in honorem matris domini ſecunda Februarij, & proceſsiones fieri, vt plebs vniuerſa portans cereos ardentes in manibus per eccleſiã, prõ bonorum actuum lampadibus obuiam ſponſo venientes, mox cum eo ad nuptias ſupernæ ciuitatis intrabunt.

Inſtitutio viſitationis virginis Mariæ.

VRbanus Papa ſextus, anxia ferẽs mente ſerpentinam materiam ſciſmatis in eccleſia antiquatam: & perpendens animo perſpicaci, quod beata Maria ſit pijſsima aduocata delinquentium, viatorum reparatrix ſagaciſsima, pro gratia extinctionis ſciſmatis impetranda: in remiſsionem omnium peccatorum, piè ſtatuit feſtũ viſitationis Mariæ ad Eliſabet ſexto nonas Iulij à cunctis fidelibus celebrari. ut autem omnis fidelium multitudo ad memoriam præfatæ viſitationis B. Mariæ arctius, & deuotius excitaretur: voluit idem Romanus põtifex, ut conformes indulgentiæ per omnia priuilegia, quæ in celebratione corporis Chriſti in eccleſijs cathedralibus, & alijs ſunt conceſſa, omnibus dictum feſtum viſitationis Mariæ celebrantibus, aut corde interreſſe volentibus, vbi alias fuerint legitime impediti, de plenitudine Theſauri ſpiritualis eccleſiæ futuris temporibus effectualiter largirentur.

Inſtitutio feſti ſancti Petri ad vincula.

FEſtum ſancti Petri ad vincula ita ſecũdum Bedam inſtitutum fuit: Theodoſia, vxor Theodoſij ſecundi Imperatoris. Hieroſolimam proficiſcens: vidit in Alexandria feſtum celebrari in calendas auguſti, ad honorem Cęſaris auguſti triumpho habito de Cleopatra Regina Aegipti, & Marco Antonio eius viro. Vnde vehementer doluit, quod dannato, & gentili tantus honor exhiberetur, veniens autem

tem Hierosolimam, cathenas, quibus Petrus sub Herode fuit alligatus, ac, quisiuit, & Romam rediens eas Pastori Apostolico præsentauit, qui alias cathenas, quibus sub Nerone fuerit alligatus, asportari præcepit, qui se tangentes vsque adeo sunt miraculose coniunctæ ac si semper fuissent eædem. Theodosius igitur ad honorem beati Petri ecclesiam ædificauit, & ibi cathenas imposuit, quæ dedicata est in Kalen. Augusti. ut solemnitas piscatoris obscuraret solemnitatem Imperatoris, & cathena Petri extingueret torquem Augusti.

Secunda causa institutionis huius festi est, propter memoriam liberationis beati Petri per Angelum factæ à carcere, siue à vinculis, quibus per Herodem Agrippam tenebatur, prout in epistola legitur hodierna. & secũdum hoc videtur, quòd debet vocari hoc festum, à vinculis.

Tertia causa est, quia cum Quirinus tribunus filiam haberet guttorosam, illa ad mandatum sancti Alexandri Papæ, qui sextus fuit a beato Petro, quæsiuit bogas, siue cathenas, aut vincula; quibus beatus Petrus fuit vinculatus Romæ sub Nerone: quibus osculatis liberata est, & Quirinus cũ tota familia baptizatus est. tunc dictus Alexander Papa hoc festum in Kalen. Augusti dedicauit, in qua festiuitate populus illic ipsa vincula hodie osculatur.

Quarta causa, quia dominus Petrũ à vinculis miraculose absoluit, & eidem ligandi, atque soluendi potestatem dedit: nos autem vincula peccatorum ligati tenemur, & absolui indigemus. igitur in solemnitate ipsa, quæ dicitur, Ad vincula, ipsum honoramus vt sicut ipse à vinculis absolui promeruit; & absoluendi potestatem accepit à domino, sic & ipse nos à peccatorum nexibus absolui obtineat.

Institutio, siue reuelatio Natiuitatis Beatæ Mariæ Virginis.

HOc festum olim non celebratur: sed quidam uir religiosus pluribus annis audiuit Angelos in hac nocte solemnizantes in cælis, cui causam quærenti reuelatum est, Angelos gaudere: quoniam beata virgo nata fuit in illa nocte, quod Apostolicus auctorizauit Pastor, & festum celebrari præcepit: ut in solemnizando cælesti curiæ conformemur.

Institutio Octauæ Natiuitatis Virginis Mariæ.

CArdinales sanctæ Romanæ Ecclesiæ super electionẽ Romani Pontificis grauiter discrepantes, propter præmissa Beatæ Mariæ priuilegia gratiarum decreuerunt, quod festum octauarum Natiuitatis Virginis Mariæ statueretur in ecclesia celebrari: si eos ad unitatem reduceret animorum, ac discrepantibus uocibus salubriter prouideret: emisso quidẽ Voto sancto, mox ad unitatem concorditer redierunt: & Cælestinum, uirum strenuum, atque sanctum in Romanum Pontificem elegerunt.

INSTITVTIONIS CAVsa ædificationis Pantheon Romæ.

QVM singula idola Romanorum Romæ templum habere non possent, Romani unum templum in honorem

rem Cybeles matris Deorum: & omnium Deorum ipsorum fecerunt, quod dictum Pantheon, à Pan, quod est totum, & Theos, Deus. Successione uero temporum, Bonifacius Papa petijt à Phoca Cæsare Imperatore Constantinopolitano, *qui* præerat Romanis, templum *illud* sibi donari, quo obtento, abiectis inde idolis, dedicauit illud *quarto* idus Maij ad honorem Beatæ Virginis & omnium Martyrum, & dictum est festum illud Beatæ Mariæ ad Martyres: nondum enim fiebant festa de confessoribus, sed solum de Martyribus, unde tunc institutum fuit festū Beat. Ioannis ante portam latinam occasione martyrij, quod quantum in se fuit, substinuit.

INSTITVTIO FESTI omnium sanctorum.

GRegorius quartus hoc festū martyrum transtulit ad Kalendas Nouembris, ut tunc collectis terræ frugibus conuenienter ad hoc festum possent copiosius uictualia inueniri, instituens tunc fieri festum, non solum Apostolorum, & martyrum, sed etiam Trinitatis, & Angelorum, & Confessorum generaliter omnium sanctorum, & sanctarum, & etiam electorum, ut patet in hymno, & illius officium ordinauit.

Institutum autem fuit hoc festum tribus de causis.

Primo, propter præmissam templi dedicationem.

Secundo, propter omissionem festorum suppletionem.

Tertio, propter faciliorem orationū nostrarum impetrationē. facilius enim quod petimus obtinemus, si simul omnes intercedant pro nobis: quia tunc impossibile est multitudinem nō exaudiri: unde in oratione hodierna dicitur: multiplicatis intercessoribus, largiaris. &c.

INSTITVTIONIS CAVsa officij mortuorum.

SIquidem cōmemoratio omnium fidelium defunctorū instituta est fieri ab ecclesia tali die, ut generalibus beneficijs adiuuentur: qui spiritualia habere non valent: de consec. distin. 1. visum. sicut & de festo omnium sanctorum præmissū est. sicut enim Petrus Damianus ait: Sanctus Odilio comperiēs quod apud Vulcanum Siciliæ crebræ uoces, & ululatus demonum audiebantur plangentium, pro eo quod animæ defunctorum per eleemosinas, & orationes de eorum manibus eripiebantur: ordinauit in suis monasterijs, ut post festū omnium sanctorum fieret commemoratio defunctorum: quod fuit post modum à tota ecclesia approbatum.

INSTITVTIO ADVENtus domini.

PRænotandum est, quòd Beatus Petrus Apostolus primo instituit tres septimanas integras ante natalem uenerari, in commemorationem aduentus Christi: & quartam, quæ tamen nunquam perficitur: quia Vigilia Natalis non est de aduentu. agitur ergo aduentus domini per quatuor septimanas, ad significandum, quod est quadruplex aduentus

filij Dei. scilicet ultima nunquam finitur: quia sanctorum gloria, quæ dabitur in ultimo aduentu, scilicet ad iudicium, nunquam terminabitur.

Primus aduentus est in carnem, scilicet in utero uirginis assumptam.

Secundus in mente, qui descensus fit quotidie in cordibus fidelium per Spiritum sanctum.

Tertius aduentus est in morte cuiuslibet: de quo dicit Beatus Iacobus: Patientes estote vsque ad aduentum domini.

Quartus erit in maiestate, qui erit in die iudicij, de illo legitur Esai. 3. c. Dominus ad iudicandum, ideſt, ad iudicium veniet, cum senioribus populi sui.

Et nota, quòd Primus aduentus liberauit animas à diaboli seruitute. Secundus, liberat eas à peccato. Tertius, à pœna. Quartus corpora liberat: veruntamen Ecclesia non celebrat nisi duos aduentus, scilicet, in carnem, & ad iudicium. nam primum & secundum reputat pro eodem: ideo enim uenit in carnem, vt ueniat in mentem. ideo quod dictum est: Veniens veniet & non tardabit. veniens. i. in carnem. veniet. i. in mentem.

INSTITVTIO OFFICII quotidiani virginis Mariæ.

VRbanus Papa secundus, qui fuit creatus. 1086. & sedit annos duodecim mensibus quatuor in Concilio apud claramon. celebrato. statuit vt officium beatæ Mariæ semper virginis quotidie diceretur, & in die sabbati solemniter fieret, in quo officio in matutino, illæ lectiones, ò Beata Maria, quas digne. ex sermone sancti Augustini. loquimur dilectissimi &c.

Institutio Antiph. Regina cæli. quando fuerit instituta.

NOtandum est, quod cum in vrbe Roma esset magna aeris pœstilentia: beatus Gregorius in tempore paschali ordinauit, vt imago beatæ virginis Mariæ, quæ in ecclesia sanctæ Mariæ in Ara cœli seruatur; quam beatus Lucas, pinxisse dicitur: & eidem virgini similis perhibet, processionaliter portaretur, & dum ante processionem reuerenter portaretur: Ecce tota aeris infectio, & turbulentia cedebat imagini fugiens: ac si eam ferre non posset, & sic post imaginem mira sanitas remanebat: tunc autem iuxta imaginem auditæ dicuntur tres voces Angelorum cantantium: Regina cœli lætare, Alleluia, quia quem meruisti portare &c. statim beatus Gregorius adiunxit: Ora pro nobis Deum, Alleluia. qua antiphona hoc tempore frequentatur, & tunc Gregorius vidit supra castrum Crescẽtij Angelum domini, qui gladium cruentatum tegens, in uaginam reponebat. Intellexit ergo Gregorius, quòd pestis illa cessasset: quod & factum est. Vnde Castrum illud ex inde castrũ sancti Angeli vocatum est. præmissa imago in ecclesia beatæ Mariæ in Ara cœli seruatur.

De rebus, quæ Deo potissimum debentur.

SVnt enim decimæ primitiæ, uota, sacrificia, oblationes, & donationes. Primitiæ à primis hominibus initium

tium habuerunt. Legimus enim Cain, & Abel, è frugibus suorum laborum primitias Deo obtulisse. Sed Abel agnos, & Cain segetum manipulos. Ille autem quia & iuste, & læta fronte optimum quodque obtulit; Dei gratiam abunde demeritus est, eiusque grex maxima fęcunditate abundauit. Ob quam rem innocens sub Christi figura primus martyr extitit. Cain vero primitias quia iuste non soluebat, cum pessima quæque daret, Deo displicuit. Primusque in peccatum Fratricidij; aut homicidij incurrit; quia laboris sui prouentum non habebat expectatum. Eodem modo, & populum Israeliticum ex omni suo labore Deo primitias dedisse, ex Dei præcepto accepimus. Quare ipsa ratio exigit, ut nos christiani similiter faciamus. Quid autem, & quomodo dandũ sit, satis cumulate docet nos euentus Abel & Cain. Profecto non possumus eius non meminisse, quod à Deo omnia accepimus, & quicquid habemus, quod ab ipso sit profectum, ita, ut uel ob id æquum sit; ei primitias offerre, & quodammodo de acceptis beneficijs referre gratias.

Sed si quæratur, cui dandæ sint primitiæ, & in qua etiam quantitate, facile respondetur; eas sacerdotibus esse largiendas. quod ita tamen accipiẽdum non est, quasi necesse sit, eas his solis dandas esse, ac etiam non alijs. nam Eremitis, & ijs, qui in terrarum abditis latent, & inclusi sunt, alijsque religiosis, si placuerit, dare possumus: nec vero certa, & determinata in his quantitas est, adeo, ut quantum visum fuerit, & non vltra largiri liceat. Si modo ex effectu charitatis proficiscatur. In veteri lege præceptum est, ut ex omnibus bonis darent decimas, quod ex omnibus Deus sibi decimam voluit, quam tribu leui in celebratione sui officij appropriauit. Sic nos vtique similiter facere debemus: si uero à Laicis iniuste possideantur, nihilominus minus eas tenentur soluere; nec sane licitum est ijs cõniuere, vt de his dispensare, sed illos tantisper reddere, donec Deus iniustam eorum possessionem in melius emendauerit. Proinde, si quis decimam retinere præsumpserit, certe ille trãsgressor, & præuaricator præcepti diuini iam factus est, & mortaliter peccauit, atque etiã qui hoc fecerit, sciat se non solum decimam retinere, sed quod, & nouem alias partes iniuste non dubitet possidere, tantum est non reddere, quod ad Deum pertinet.

De oblationibus, & donationibus templi.

NVnc de oblationibus, sicut in lege veteri populus Hierosolimã ad magnas quasdam solennitates conueniebat, nimirum ad Paschatis, Pentecostes, & scenophegiarum festa, ut orarent in templo, vbi etiam ex debito vniuersi offerri obligabantur, ita omnes christiani ex institutione sanctorum Patrum tenentur offerre iuxta modum suarum facultatum, in quatuor principalibus festiuitatibus nempe Natali domini, Paschate, Pentecostes, & in festo Omnium sanctorum, vt inde sibi victum habeant sacerdotes. Præterea offerre debent quo paschatis illa candela cerea ematur, & oleum, tum cera ad ecclesiæ illuminationem compareatur: alias autem nemo

ad oblationes compellendus est, si tamen fiant, spontaneę sint. quemadmodum & illæ, quæ post confessiones dari consueuerunt. Quod vero in quibusdam ecclesijs vendantur sepulturæ, & pro campanarum pulsatione donationes exigantur, per inde est, ac si sacramenta ecclesiæ venderentur.

DE SIMONIA.

SImonia secundum Thomam secunda secundæ. q. c. art. 1. est studiosa voluntas emendi, vel vendendi aliquod spirituale, vel spirituali annexũ. oportet ergo ad hoc, quod peccatum sit mortale, quod sit voluntas studiosa, idest, deliberata. Sola enim deliberatione potest committi, etiam actu exteriori non secuto, non tamen ab ecclesiæ iudicio punitur, quæ de occultis nõ iudicat.

Item nomine emptionis, vel venditionis intelligitur omnis contractus non gratuitus, vt transactionis, renunciationis, &c. huiusmodi.

Item spirituale dicitur tripliciter, vel essentialiter, vt dona gratuita, & virtutes, secundo causaliter, ut sacramenta, tertio effectualiter, ut prædicare, orare, & alia huiusmodi. Annexum autem spirituali dicitur, vel dependẽs ex spiritualibus, ut habere beneficium vel ad spirituale ordinatum, ut ius patronatus, quod ordinatur ad præsentandum clericos ad beneficium, & vasa sacra uel uestes benedictæ, quæ ordinantur ad vsum sacramentorum. Item nomine pretij continetur omne, quod peccunia extimari potest, ut munera, preces, laudatio, & alia huiusmodi sint ergo hæ regulæ.

Regulæ cognoscendi simoniam.

PRima regula: Res purè spiritualis, nullo modo potest emi, vel vendi.

Secunda regula, res composita ex spirituali, & corporali, potest emi, vel vendi, ex ea parte, qua corporalis est, non tamen pluris pretij ex eo, quod spiritualitatem habet annexam, ut calix consecratus non potest plus vendi, quàm si non esset consecratus: alioquin simonia incurritur.

Tertia: nulla res composita ex spirituali, & corporali, in qua principale sit spirituale, potest absolute emi, vel vendi, aliter intelligitur *vendi spirituale*, quod principale est: ideo non licet sacerdoti vendere missam, nec prędicatori, pacisci de pretio prædicationis, &c. huiusmodi; secus quando principale in ea est corporale, tunc potest absolute, vendi, & emi, nisi iure positiuo prohibeatur, tunc enim propter iuris prohibitionem esset simonia.

Quinta est, stipendium sustentationis exercentium spiritualia, licet uelle, & accipere, & in articulo necessitatis de eo pacisci liceret, sed quia prohibentur huiusmodi pactiones, ideo non sunt faciendæ. Debent ergo prius ista spiritualia gratis populo exhiberi, & post modum adseruandæ sunt consuetudines bonæ pro sustentatione ministrorum auctoritate superioris, & possunt cogi ad dãdum, siue promissis, siue pro officijs, siue pro consecratione ecclesiarum, uel benedictione uirginum, &c. huiusmodi.

Quinta est, locare operas in exercitationibus, quæ principaliter sunt spirituales,

rituales,ut dicere Missas, &c.huiusmodi pro se non licet,potest tamen licere per accidens, idest propter aliquod adiunctum, ut quia non locat operas ad celebrandum,sed locat libertatem suã quia dum obligat se ad hoc faciendũ, aliud facere non potest; & sic potest locare,& est consuetudo ecclesiæ, multi enim sacerdotes locãt operas suas ad officium per mẽsem uel annum,& alia huiusmodi,ut uidemus.

Sexta regula,locare operas in his q̃ principaliter sunt corporalia,ut est officium sacristæ, & alia huiusmodi,non habet scrupulum, quia possunt fieri pacta de certo stipendio, & hæc intellige ex parte operarij, qui potest locare operas suas, & ille, cuius est dare officium,& conducere sub pretio: Prælatus tamen non potest huiusmodi officia sub certo pretio locare.prohibitũ est enim, ne Prælati committant uices suas sub anno census. cap.2.ne prælati. sub anno cen. cum uic. supra locatio. §.6.ex doctrina Caieta. in summa ibid. uers. simonia.

Clericus an possit pacisci de vigilando defuncto.

POtest clericus pacisci de vigilando aliquo defuncto, quia vendit laborem, non autem pacisci de dicendo psalterio,quia esset simonia secundum Hostien. quia est res spiritualis, & etiam si maior crux nõ portetur nisi pro maiori pretio, est signum simoniæ. c.audiuimus. eod.tit.similiter cum taxatur pro quanta pecunia quis ponatur in tali sepulcro,in quo sunt plures; secundum Hostien.supra.§.36. vendere emolumenta oblationum presbyter potest, secundum Guliel. ut supra.§. 39. dare aliquid ex pacto pro aliqua benedictione, vel virginum velamine secundum Petrum de Palude.in 4.sen. & per.cap. sicut clem.3.de simon.est simonia.

Si Prælatus facit pactum de dando beneficio,& post modum ductus penitentia intentionem illam malam reuocauit,vel illius pacti oblitus, cõfert pure, non est simoniacus, neque recipiens, si eodem modo se habet secundum Ricard. & recipiens seruum sub annuo salario, donec ei prouideat de beneficio competenti non est illicitum secundum Hostiensem, etiam si recepto beneficio expiret salarium., quod promissum fuerat sub conditione, & seruitium non est causa principalis, sed impulsiua.secus si perpetuo,vel pure obligasset se seruitio, quia seruitiũ videretur principalis causa collationis beneficij. Vide Panor. in cap. non satis.quoniam.& c.veniens eo.dummodo propter seruitium principaliter,sed propter meritum ad hoc inducatur.

De conferente beneficio.

COnferens beneficium, si cum eo, cui confert,facit pactum,ut retineat aliquam partem, ex redditibus beneficij,simoniam incurrit secundum Panor.in c.vt ecclesiæ.Bene episcopus tamen ex iusta causa,& necessaria potest statuere, ut certi temporis redditus beneficij vacantis deputentur ad certum vsum laudabilem. facit. c.fi.de verbo. signifi. & pro solutione suorum debitorum. nomine ecclesiæ contractorum,non autem nomine priuato,ut glo. dicit.in c.1.de solutio. secundum Thomam.secunda secundæ.supra art. 4.ad 3. dicit, quòd si episcopus antequam cõferat beneficium ob aliquam

cau-

causam, ordinet, vt aliquid subtrahatur de fructibus beneficij conferendi ad pendendum in pios vsus, non est simonia; si vero post collationem requirit aliquid de fructibus sibi exhiberi, idem est ac si munus acciperet, & sic non careret vitio simoniæ.

Pro Missa nunquam licet aliquid accipere tanquam precium eius, cum sit res merè spiritualis, sed benè elemosinaliter, & ut stipendium sustentationis, secundum illud, ad Chorint. 9. Quis militat suis stipendijs vnquam. &cet.

Si tamen sacerdos teneatur celebrare, ut qui habet ecclesiam, uel beneficium, est simoniacus, si aliquid exigat. 1.q. 4.c. vendentes. secus quando non tenetur, & est indigens. si autem tenetur, vel non indiget, tamē recipit; quod offertur, non est simoniacus, dummodo non exigat. item dic de dantibus aliquid pro oratione fienda pro eis, nō tanquam pretium orationis, sed ut eos prouocent ad orandum, uel pro elemosina non est simonia.

Si clerici nolunt corpus sepelire, nisi fiat pactum, & cautio de redemptione eorum, quæ veniunt cum funere, est simonia. per c.q.13.q.2. si autem faciunt pactum de redimento lecto vel alia temporalia, dummodo non negetur sepultura, uel non immisceatur ius sepulturæ, est licitum, & post sepulturam, possunt compelli à clerico facere hæredes, quod promissum est, per d.c. ad apostolicam, eod.tit. quia hoc sunt temporalia solum.

Papa licet possit incurrere peccatum simoniæ, emendo, vel vendendo res spirituales, quia hoc est contra ius diuinum, non tamen potest cōmittere simoniam, quæ punitur ab ecclesia, sic non potest effici excommunicatus, cū sit supra ius positiuum. Similiter qui emit à Papa ordinem, uel beneficium; pœnam iuris non incurrit, licet simoniam committat secundum Petrum de Palude. in 4. sentent. ideo qui habuit beneficium de scientia Papæ cum simonia, licet mortaliter peccet, non tamē tenetur resignare, sed sufficit, quod pœniteat de peccato secundum eundem Petrum, quæ autem sunt simoniaca tantum, quia prohibita ab ecclesia, si Papa facit, uel aliquis cum eo vel de eius scientia tractat, neque peccat, neque simoniam incurrit, quia ex se peccata non sunt, & in hoc casu videtur Papa dispensare, cum contra eius uoluntatem non fiat, nec reclamet.

Episcopus potest dispensare cum simoniaco circa officia mortuorum, benedictiones nubentium, sepulturas, chrisma, benedictiones vasorum, & in similibus, post per actam pœnitentiam secundum Hostien. quia hæc non prohibentur, artic. in c. nuper. De sent. excomm. nec obstat. c. erga. 1. quia loquitur de simoniaco indignitate. no. quod istæ pœnæ non ligant simoniacos mentales, ut dicit Siluest. ibi. q. 19. §. 4. & nomine mentalis simoniæ, quò ad censuras venit non solum quæ in interiori actu consistit, sed etiam quæ est sine pactione, quæ cum pacto est, sed non consummata secundum Caietanum ibi circa finem: In simonia mentali, siue sit de iure diuino, siue positiuo, non cadit aliqua restitutio. secundum Thomam. supra. & Panor. in cap. fin. cod. & Ioan. And. ibi indistincte tenent, quāuis aliqui dicant, quod in ea, quæ est de iure diuino, teneatur quis ad restitutionem,

tutionem, sed non approbant efficaci ratione, sed cum debet fieri restitutio, cui sit fienda, supra. restitutio. §. 17. vide ibi diffuse quod diximus.

DE EXCOMMVNICAtione, eiusque institutione, ac auctoritate.

SI quis ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus, & publicanus: Matt. 18. & 34. q. 1. omnibus. quoniam ut ait Doctor subtilis in 4. senten. dist. 19. q. 1. arti. 5. in ecclesia est duplex forum, vnum secretissimum, in quo idem est accusator, & reus, & ad istud non pertinent claues ecclesiæ. aliud est forum publicum, in quo habet ecclesiæ auctoritatem corrigendi publica debita. & talis auctoritas cognoscendi in causa, & sententiandi publice, quodammodo potest etiam dici clauis. Prima dicitur clauis ordinis. Secunda clauis iurisdictionis ad quam quidem clauem iurisdictionis pertinere videtur dictũ Saluatoris nostri supra præmissum: Si quis ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus, ideſt excommunicatus, & gentilis, & publicanus scilicet, ut publicus peccator vitetur. per ecclesiam autem intelligitur Prælatus ecclesiæ. vt exponit Beda, & Hilarius, cuius scilicet prælati lata est sententia. sicut statim ibidem dicit Saluator: Amen dico vobis: Quodcunque ligaueritis super terram, erit ligatum & in cęlis. Secundum Hylarium talis sententia iudicio diuino approbatur. Conformiter autem istam iurisdictionẽ tam Christus, quam Apostoli exercuerunt. nam dominus mulierẽ deprehensam in adulterio per sententiam absoluit dicens: Nemo te condemnauit mulier. quæ ait: Nemo domine. & ipse subiunxit: Nec ego te condemnabo. Ioan. 8. Sicut autem tunc absoluit eam, ita potuisset condemnare eam. De Petro quoque legitur, quòd publice Ananiam, & Saphiram ad mortem sententiauit, ut dicitur actuum 5. De Paulo etiam legitur, quòd Corinthium fornicatorẽ publice excommunicauit. vt dicitur. 1. ad Corint. 5. item. 1. ad Thimo. 1. Himeneum, & Alex. tradidit Sathanæ, propter blasphemiam. item etiam prohibet communicare notorijs peccatoribus. 1. ad Corin. 5. & 2. ad Thessal. 3. & 2. ad Thimo. 4. facit vitare Alexandrũ erarium. Item ad Titum. 3. hæreticum post alteram monitionem fecit vitare. Idem quoque ad Galat. j. scribens ait: Si angelus vobis de cœlo aliud euangelizauerit prẽterquam quod euangelizauimus vobis, anathema sit. Sic ergo anathema tenet contra Angelum, & contra hominem. Denique Ioannes Corinthium hæreticum publice excõmunicauit, & vitari præcepit. quæ omnia arguunt hæreticorum modernorũ versutias, qui ecclesiæ detrahentes dicunt eam non habere auctoritatem excommunicandi, suspendendi, & interdicendi, & per consequens dogmatizant non esse curandas ecclesiasticas censuras. cum tamen dicat Chrisostomus 11. q. 3. c. Nemo contemnat vincula ecclesiæ, non enim homo est qui ligat, sed Christus, qui hanc potestatem dedit, & dominus fecit homines esse tanti honoris.

Circa igitur prosecutionem huius materiæ breuiter de tribus principaliter est considerandum, primo quidem de excommunicatione. Secundo de suspensione. Tertio, & vltimo de interdicto.

DIFFINITIO EXCOMmunicationis.

EXcommunicatio est à qualibet licita communione, & legitimo actu separatio. 11. quæstione tertia, euidenter alibi enim uocatur æternæ mortis damnatio. 11. q. 3. Nemo episcoporum. alibi dicitur animæ & corporis detrimentum. 2. q. 1. de manifesta. item deijcit de ecclesia, & tradit diabolo. 11. q. 3. audi. & breuiter excõmunicatio, quæ dicitur alio nomine anathema, non est nisi à Deo separatio. 24. q. 3. certum est. & hoc est magna pęna, nam quando quis excommonicatur, statim membrum Dei esse desinit. & incipit esse membrum diaboli. 11. q. 3. excellentissimus. moxque ut ab ecclesia repellitur, rapido ore demonum deuoratur. 11. q. 4. absit. sunt autẽ duę species excommunicationis: una, quæ separat à sacramentis ecclesiæ: & à participatione fidelium, & ab ingressu ecclesiæ: & hæc dicitur maior, seu anathema. alia est, quæ separat solum à sacramentis, ut est quodlibet peccatũ mortale, & hæc dicitur minor. de utraque dicitur. 3. q. 4. engeltrudam, à prima non absoluunt simplices sacerdotes, sed à secunda in casibus tantum ipsis præmissis à iure.

GENERA EXCOMmunicationum.

SCiendum, quòd quatuor sunt genera excommunicationũ, ut colligitur. 11. quæst. 3. ad mensam.

Primo quando quis peccat, & Deus recedit ab eo.

Secundo quando quis de consilio sacerdotis abstinet ab Eucharistia.

Tertio, quando est excommunicatur minori excommunicatione, ut quia communicauit excommunicato in locutione, uel commisit sacrilegium, uel est simoniacus.

Quarto, quando quis est excommunicatus, excommunicatione maiori, & tunc proprie dicitur excommunicatus & etiam uitandus, ut ita notatur in prędicto Canone, ad mensam. & Archid. ibidem.

Qui sunt casus, in quibus quis ipso facto incidit in sententiam excommunicationis à iure.

Secundo quis sit effectus excommunicationis.

Tertio in quibus casibus participans cũ excommunicatis incidit in eandẽ sententiam excommunicationis, & quibus permittitur quis participare, licet excommunicato.

Quarto de forma ferendi sententiam excommunicationis, & impendendæ absolutionis.

CASVS.

DE primo sciẽdum quod quinquaginta sunt casus in quibus ipsõ facto quis in sententiam excommunicationis incidit, quos bene enumerat Ioan. And. in cap. omnes qui sentem. excom. lib. 6. in glo. 3. & eod. tit. in cle. in 1. glo.

Primus casus est, quando quis incidit in hæresim damnatam, ut 4. q. 3. ca. 2. & 3. aut qui nouam hæresim fingit de hereticis, ad abolendam & similiter credens

credens hæreticis,uel eos recipiẽs,aut eis fauens, de hæret.sicut ait.

Secundus,cũ quis asserit Romanã ecclesiam non esse caput omnium, nec ei tanquam capiti obediendum.distin.19. nulli fas. unde hodie definitum habetur, & declaratum per Bonifacium octauum,quòd subesse Romano Pontifici,omni humanæ creaturæ est de necessitate salutis,ut patet in sua extrauaganti, quæ incipit: Vnam sanctam.

Tertius, quando Rectores ciuitatis faciunt exactiones indebitas in clericos, & admoniti non desistunt, ut de immunitate ecclesiarum.

Quartus est, cum quis non electus in duabus partibus Cardinalium gerit se pro Papa de electione.c. licet.

Quintus,cum quis magister scholariũ tractat,cũ aliquo ciue Bononiæ de cõductione hospicij irrequisitis inquilinis nisi tẽpus fuerit elapsum, ut de locato,& conducto. cap. ex rescripto.

Sextus,cum monachi,canonici,regulares,archidiaconi, præpositi,plebani, cantores,& alij clerici psonatus habẽtes, aut etiam quicunque presbyteri, audiunt leges, uel Phisicam ne clerici uel monachi &c. cap. magnopere.& c. super specula. secus si habent tantum ecclesiam parochialem & non sunt presbiteri,nec clerici uel monachi &c.ca. statum lib.6.

Septimus, cum quis participat cum excommunicato in crimine, propter quod excommunicatur, dando ei consilium,auxilium, uel fauorem de sent. excom. ũ concubinæ.

Octauus, statuentes statuta contra libertatem ecclesiæ,tam consules,tam eorum scriptores de sententia excom. nouerint & c.grauem.

Nonus,qui utuntur ordinationibus à schismaticis factis de schismaticis. cap. 1.

Decimus, quicunq; loquitur secrete,uel mittit scripturas, uel nunciũ alicui Cardinali,quando sunt recluſi occasione electionis Papæ,ut de elect. ubi periculum lib. 6. & idem de dominis rectoribus,& officialibus ciuitatis,qui imminente ipsa electione non seruauerint ipsam constitutionem.

Vndecimus, qui grauant aliquos, qui cum pro uno rogabantur eligere, noluerunt. de electione sciant cuncti. lib.6.

Duodecimus, de rectoribus ad regimen urbis Romæ electis, & de fautoribus, qui fecerunt contra constitutionem super hoc factam:ut de elect. fundamenta.lib.6.

Tertiusdecimus qui uocantur ad dirigendas moniales in electionibus.nisi abstineant ab his,per quæ possit in eis discordia oriri,uel nutriri, ut de elect. lib.sexto.

Decimusquartus, qui procurant cõseruatores dari, & intromittunt se. de his,quæ non liceat de officio delegati. c.hac constitutione lib.6.

Decimusquintus qui absolutionẽ de aliqua excommunicatione uel reuocatione eius, aut etiam suspensionis uel interdicti extorquent per uim, aut metum. nam hæc absolutio non ualet, & incurritur noua excommunicatio. ut de his, quæ ui aut metu fiunt.ca.unico.lib.6.

Decimussextus, qui fingit fraudulenter aliquem casum, per quem aliquis iudex uadat ad aliquã mulierẽ pro testimonio:ut de iudicijs.cap.mulieres: liber sextus.

Decimus ſeptimus, qui prælatos, uel capitula, uel alias perſonas eccleſiaſticas compellunt ad ſummittendũ laicis, uel alienanda bona immobilia eccleſiarum. & ſimiliter laici, qui vſurpant ſibi huiuſmodi illicite. cap. conſultiſsimo. lib. 6.

Decimus octauus, quicunq; à pſonis eccleſiaſticis, vel eccleſijs per ſe, vel p alium, ſuo nomine, vel alieno, pro perſonis, vel rebus, quas non cauſa negociationis deferunt, ſeu tranſmittunt, exigunt aliquod pedagium. de cenſibus. liber ſextus.

Decimus nonus, qui impediunt iudicium delegati, vel cuiuſcunque iudicis eccleſiaſtici. de immun. eccleſ. quoniam. liber ſextus.

Vigeſimus, qui iubent ſubditis ſuis, ne perſonis eccleſiaſticis vendant aliquod bladum, vel ſimilia. de immu. eccleſia. c. fi. lib. 6.

Vigeſimus primus, de religioſis; qui dimittit vel qui accedunt ad ſtudium ſine licentia ſui Prælati, vel conuentus vel qui coram talibus legit ſcienter, qui dimiſerunt habitum. ne clerici vel monachi &c. ut periculoſa lib. 6. & ſicut recitat Ioan. And. in nouella ſuper regula. lib. 6. referens Gulielm. delata Petri diſputaſſe de monaco, qui defert habitum monachalem, ſed opertum habitu clericali, quod ſit apoſtata. qd hodie videtur approbatum de vita, & honeſtate clericorum. cap. quoniam. in princ. in clem. in verb. à religioſis. quæ omnia vera ſunt, ſecundum Ioan. Andream. quando monacus iuſtam cauſam transformationis non allegat.

Vigeſimus ſecundus, qui hæreticos, ſeu fautores, credentes, receptatores, vel defenſores eorum ſcienter tradiderunt eccleſiaſticæ ſepulturæ. de hæreticis. c. quicunque. li. 6. nec tales debent abſolui, niſi prius talem ſepultũ proprijs manibus extumulent. idem de illis laicis, qui publice, uel priuatim diſputant de fide catholica. vt dicitur ibidem. dicit tamen Ioan. And. quod in iſtis caſibus eſt canon ferendæ, & non latæ ſententiæ. & hoc eſt tenendum.

Vigeſimus tertius, quicunq; rector ſecularis, vel quicunque officialis eius cognoſceret de crimine hæreſis, aut captiuos liberaret, vel dioceſanorum inquiſitorum officium impediret. de hæret. lib. 6. c. ut inquiſitionis.

Vigeſimus quartus, qui per aſſaſsinos aliquem chriſtianum interfecerit; dicuntur autem aſſaſsini, quidam infideles, qui ex quibuſdam falſis opinionibus, in quibus fuerunt *enutriti, facile* mittebantur *ad occidendum* quemcunque chriſtianum, non curantes, niſi ob hoc ipſi occidendi eſſent, de hoſt. libro ſexto.

Vigeſimus quintus, clerici qui vſurarijs ad fœnus exercendum domos locant, vel alijs titulis concedunt. de vſur. vſurarium. lib. 6.

Vigeſimus ſextus, qui concedunt repreſalias contra perſonas eccleſiaſticas, ſpecialiter, ſiue generaliter: ut de iniurijs. & ſi pignorationes. lib. 6. dicuntur autem repreſaliæ, quando vnus oriundus de vna terra, ſpoliatur ab alio de alia terra oriundo: ita videlicet, quod ſi debitum non ſoluitur ei, tunc datur poteſtas ipſi ſpoliato, quod ſatisfaciat ſibi contra quemlibet de terra illa, unus eſt debitor, uel ſpoliator.

Vigeſimus ſeptimus, *ſi dominus* vel rector temporalis non fecerit ea ob-

obseruari, quæ statuuntur contra insecutores cardinalium, seu alicuius de familia eorum. vel Papæ. de pœn. c. felici. lib. sextus.

Vigesimus octauus, quicunque dat licentiam occidendi, vel accipiendi, vel alias in personis vel in bonis suis, vel suorum, grauandi eos, qui contra reges, barones nobiles, vel quoscunq; tulerunt excommunicationis, suspensionis, vel interdicti, sententias, siue istos, quorum occasiones sunt prolatæ vel eos, qui eos obseruant, aut eos, qui taliter excommunicatis communicare volunt, nisi licentiam ipsam reitegraliter reuocet. & si qua sunt ablata restituant, siue pro illa satisfaciant. & similiter qui dicta licentia vsi fuerint, vel etiam sine licentia suo motu hoc fecerint, excommunicationem incurrunt, in qua si permanserint per duos menses, non nisi per Papam absoluuntur. de sent. excommunicationis quicunque. lib. 6.

Vigesimus nonus, quando quis ab excommunicatione fuit absolutus in mortis articulo, vel alio impedimento si cessante articulo, vel alio impedimento, non præsentet se: quam totius poterit illi, à quo absolui debuerat: re incidit ipso facto in eandem sententiam, de sen. excom. eos. lib. 6.

Trigesimus, quando aliqui absoluũtur à sede apostolica vel à legatis, & iniungitur eis, quòd se repræsentent ordinarijs, vel alijs suscepturi pœnitentiam, & pacis iniuriam: seu ut eis, quibus obligati sunt, satisfaciant: si hoc non faciant, cum primum poterunt, re incidunt in eandem sententiam. ut in d. c. eos, qui. lib. 6.

Trigesimus primus, qui in cemeterijs sepeliunt corpora tempore interdicti, vel vsurarios manifestos scienter sepeliunt: à qua excommunicatione non debent absolui, nisi prius ad arbitrium diocesani satisfecerint. quibus promissa iniuria fuerit irrogata. de sepult. eos in clem.

Trigesimus secundus, religiosi, qui decimas ecclesiæ debitas, sibi appropriant, vel vsurpant, siue qui non permittunt solui ecclesijs decimas, quibus tenẽtur iuxta tenorem Clementinę de deci. religiosi.

Trigesimus tertius, de monachis siue canonicis regularibus, qui non habent administrationem, & conferunt se ad curias Principum sine licentia prælatorum, vel damnum inferant aliquod prælatis suis, aut monasterio: ut de statu mon. ne in agro. in clemen.

Trigesimus quartus, Monachi, qui arma intra septa monasterij tenent. & c. vt interdicto. c. ne in agro.

Trigesimus quintus, qui impediunt visitatores monialium, vel canonicorum. nisi moniti destiterint, ut de statu. monac. accedentes. in Clem.

Trigesimus sextus, de quibusdam mulieribus, quæ dicuntur Beghinę: similiter & religiosi, qui eas in tali statu fouent. de religiosis domibus. cum de quibusdam. in clem.

Trigesimus septimus, qui scienter contrahunt matrimonium in gradu cõsanguinitatis, vel affinitatis prohibitis, vel cum monialibus: vel contrahentes qui sunt religiosi, vel moniales, siue etiam clerici in sacris: vt de cõsanguinitate, & affinitate: eos in Clem.

Trigesimus octauus, de inquisitoribus hæreticorum, qui prætextu inquisitionis officij, quibus uis modis illici-

communicationem: vt in d.c.vniuersitatis. nisi clericus esset adeo, idest in tantum, incorrigibilis, quòd aliter capi, & corrigi non potest, de sent.excō. vt famæ.

Duodecimo, in turbante diuina officia, quem presbiter, uel alius, ad quem spectat, potest eijcere de ecclesia. de sent.excom.veniens.

Similiter cum quis ratione officij, quod in ecclesia obtinet, percutit Clericum: aut etiam cum senior causa de uotionis hoc facit: aut dominus, & pater siue propinquus familiariter corrigit. Hæc omnia intellige, cum sunt in minoribus ordinibus constituti, vt in d.c.cum voluntate.

Tertiodecimo, si clericus sit depositus, siue degradatus: vt de iudicijs. cū non ab homine, & de pęnis. de gradatio. in fin. lib.6. & hoc intellige si talis clericus depositus est incorrigibilis, & nolit viuere sub regula clericali: vt notatur in cap.contingit. 1. de sentent. excommun. & nouellator super regula, delictum lib.6. & Io. Andreas. 17.q. 4.si quis deinceps. & 23.q.5.excommunicatorum, alias autem si est corrigibilis, non licet eum percutere, licet esset excommunicatus. vt in illis prædictis, & ratio: quia adhuc excommunicatus: si dummodo sit, corrigibilis & nondum de gradatus; retinet priuilegium Canonis, si quis suadente Diabolo, quod est concessum in fauorem ordinis, & non personarum. vt in d.cap. contingit. verumtamen. Innoc.5.credit, quòd verberans hęreticum Clericum, non incidit in canonem, & hoc ipse notauit. de sent.excom. si vero quod tamē intelligendum de hæretico deposito per sententiam, quod etiam sentiunt. Gotfredus, Vincentius, & Bernar. Dicit tamen Archid. 17.q.3. si quis quod laicus iudex potest expellere, percutere, capere, & occidere Clericū, si enim est incorrigibilis, & aliter corrigi non potest. recepta tamen licentia ab ecclesia, alias non licet. 17. q. 1. si quis. 23. q.5. ubi de liguribus. c. circūcelliones.

Quarto decimo, quando clericus transfert se ad actum prorsus ordini contrarium, vt puta erat in minoribus, & factus est miles, uel bigamus 84. d. c.quisquis &c.

De effectu excommunicationis.

DE secundo, scilicet de effectu excommunicationis, sciendum est q̄ excommunicatus maiori excommunicatione, non potest eligere, neq; eligi, neque beneficium ecclesiasticum acquirere, nec de beneficijs *suis aliquid* percipere, vt de appellat. *Pastoralis*. in fi. & hoc quando est in mora petendæ absolutionis: de cōcessione præbendarum. quia diuersitatem. item nemo debet sibi participare, loquendo, orando, salutando, bibendo, comedendo. 11.q.3. sicut Apostoli.

Item non potest constitui procurator, neque procuratorem constituere ad agendum, nec ferre aliquam sententiam.

Item, si impetrat aliud rescriptum præterquam super articulo excommu. non valet, de rescrip. ipso iure. lib.6.

Item si confert aliquod sacramentum cum solēnitate, aut se ingerat diuinis, irregularis est. vt de elect. excō. ministrante. cap. apostolicę, nec potest cum eo dispensari nisi per Papam, de sent. & re iud. cum æterni. lib.6.

Item excommunicatus est suspensus tam ex officio, quàm ex beneficio,

vt in gloſſ.ult.c. cum bone.de ætate & qualit. 11.q.3.rurſus: vbi dicit Archidiaconus.quod etiam ſolus lapſus anni abſque ſententia canonis a beneficijs,ſufficit,vt ulterius non audiatur,ſuper beneficijs. & ita uidetur loqui iſtud capitul. rurſus. ſecundum Innocen.qui hoc notat.in d. c. Cum bonæ.omnibus enim beneficijs tam habitis ante excommunicationem, quàm poſtea acquiſitis, debet ſpoliari per ſententiam.Si per annum in excommunicatione, uel interdicto permanſerit', & poſt talem ſententiam latam poſt annum ſuper amiſsione beneficiorum agere uelit, non audiatur ulterius ſuper eis;vt dicit cap. rurſus. quæ autem dicuntur in excõmunicatione eadem, intellige in ſuſpenſione. Ar. pre.c.cum bonæ.ubi ſic notauit. Innoc. & etiam intellige de illo,qui excommunicatur pro contumacia, & qui citatur ſuper crimine, non comparuit. talis enim pro conuicto vel pro confeſſo. & priuatur beneficijs poſt annum, & ut hæreticus condemnatur.ut de hæreticis.cum contumacia.lib. 6.

Item effectus excommunicationis eſt,quòd licet ſit iniuſta ex ordine,uel cauſa,tamen ligat.11.q.3.c. 1. de officio legati.cum contingat. de ſent. excommun.cum per tuas.& cap. ſecrete. ubi de hoc.ſed diceres,nõ ne iudicium eccleſiæ debet ſe conformare iudicio Dei? 11.q.3.tunc uera.2.q.1.Deus omnipotens.de ſent.excommun. a nobis ſed Deus nullum ligat iniuſte.de pœni. diſt.4.ſi ex bonæ. ergo eccleſia nullum debet ligare iniuſte.

Item deficiente cauſa propter,quâ aliquid debet fieri iuſte, deficit & effectus.61. diſt. his omnibus. de bigamis. debitum. de app. cauſa ceſſante. Sed cauſa excommunicationis debet eſſe peccatum mortale. 11. q.3.nemo epiſcoporum. hoc autem ceſſat in excommunicatione iniuſta,ergo non debet ligare.dicendum eſt ad hoc, quòd licet nullus debet excommunicare iniuſte,tamen ſi excommunicetur, tenet excommunicatio apud eccleſiam militantem,licet non apud Deum. & hoc fit, ut eccleſiaſtica cenſura eo plus timeatur,& ut homo creſcat per obediẽtiæ meritum,iniuſtæ ſententiæ patens. unde dicit glo.11.q.3.nihil.quòd licet iniuſta ſententia timenda ſit,& tenenda quantum ad militantis Eccleſiæ iuſtitiam,nec mirum,quòd apud Deum non teneat,qui non fallitur, ſed apud eccleſiam tenet, quæ fallitur, & quæ fallit.de ſent.excom.a nobis, non eſt tamen intentio eccleſiæ aliquem iniuſte excommunicare, immo punit acriter iniuſte excommunicantes,vt patet. 11.q.3.iſtud.& de ſent.excommu. c.1. cum medicinalis.lib. 6.

Quando dicitur ergo,quòd excommunicatio eſt æternę mortis dãnatio, intelligitur in contemnentes cenſurã; alias, & ita ſolus contemptus inducit damnationem.24.q.3.notãdum.& habetur in glo.nemo Epiſcopo.10.q.3.

De pærticipatione cum excommunicatis.

COnſequenter de tertio, ſcilicet de participatione cum excommunicatis,eſt ſciendum,quod quædam participatio eſt illicita, ſcilicet cum quis participat cũ excõmunicato,in crimine, propter quod excõmunicatus eſt, ſcilicet dando ei conſilium, auxilium, uel fauorem, & ita talis incurrit eandem ſententiam. de ſentent. excom.

si concubinæ. & capit. nuper.

Secundo quando participiat in crimine mortali, sed non in illo, propter quod excõmunicatus est, & talis mortaliter peccat, sed nõ incurrit eandem sententiam excommunicationis.

Tertio, quando participat ei in diuinis, scilicet recipiendo eum in diuina officia uel ad sacramenta, uel ad sepultu ram. & licet talis non sit irregularis prima uice: tamen propinquus est irregularitati. & si celebrauerit in tali peccato, erit irregularis, de sent. excõ. qui lib. 6.

Quarto quando quis participat nõ crimine, sed in loquendo, orando, uel bibendo secum. & de tali participante dicit Thomas, probabiliter posse dici, quod non peccat mortaliter: nisi ex contemptu. uel contra prohibitionem superioris. unde regula est, quòd participans pertinaciter cum excommunicatis, peccat mortaliter, & potest excommunicari maiori excommunicatione. non sic autem de participante quadam leuitate, in uerbo, uel in cibo, aut potu, &c. cum ualde graue esset, quòd quis pro uno leui uerbo incideret in excommunicationem, vel mortale peccatum. Vnde dicitur, quòd tunc peccat mortaliter, quando hoc facit pertinaciter, in contemptum, & cõtra prohibitionem superioris specialiter vel generaliter factam.

Nam in hoc casu est excommunicandus participans alij, secundum ipsum, ut de cle. excom. mini. si celebret. in fi. & de senten. excom. statuimus, in fin. & eod. tit. constitutionem. lib. 6. ex quibus infertur hoc salubre documentum, & salutare consilium ex quo ante ad monitionem factam participans excommunicati non potest, ut dicit Archi. ubi supra.

Restat quòd uenialiter peccat: ex quo autem post admonitionem factã, & spretam excommunicari potest: planum est, quòd tunc peccat mortaliter, nam excommunicationis sententia non est ferenda. nisi pro mortali peccato, sic ergo secundum Archidiaconum pertinacia est causa, pro qua sola fertur hæc sententia, sic intelligit Host. c. sacris. de his, quæ ui, metus ue causa. fi. & ex his patet, quòd si quis excommunicatus est pro contumacia, uel alio crimine, uel ut satisfaciat, & in processu, non est prohibitio generalis uel specialis participantibus facta, participãs cum tali in locutione, comestione, & hoc non peccat mortaliter, ratio, quia non facit contra prohibitionem superioris, cum adhuc non *sit prohibitum*: ideo dicendum est, secundum Archidiaconum, ubi supra: si quis communicat, cũ excõmunicato contra prohibitionem canonũ, peccat uenialiter, nisi forte nimis frequenter, uel in contemptum canonum; quia tunc esset mortale. sic potest intelligi. 11. q. 3. excellẽtissimus. & 25. dist. c. alias. sed contra prohibitionẽ hominis mortaliter peccat. ut consueuit dici quòd mitius agitur cum lege, quam cũ ministro legis. ff. de arbitri. l. celsus. ita notauit Host. in c. quod in dubijs. de sent. excommu. & hoc teneas, nec aduertas illum monachum Raimundum cum lata cappa, & stricta conscientia. qui in summa sua dicit, quòd si aliquis communicat cũ excõmunicato, in casu non concesso scienter, si nouit ius uel si est clericus, semper peccat mortaliter. quem secutus Inno. quartus. ut ipse notauit de

dolo,

dolo,& contemptu veritatis.in glo.vlt. iuxta fin. & in c.sacris. quod mer. cau: applicando.contra quos est hodie tota schola iuristarum. & Theologorum, qui sequentes Beatum Thomam. in 4. sen.dicunt pro conclusione, quod quãuis quis scienter excommunicato communicauit,non peccat mortaliter, nisi *in tribus casibus*. scilicet quando communicat in crimine vel in contemptu superioris, aut in contemptui clauiũ. vel si communicat in diuinis. quod tenet secundum Archidiaconum. Vbicunque ergo in venias in iure quod cõmunicare excommunicato est peccatum mortale;intellige, cum hoc ex studio fit, & in contemptum ita intelligitur.c. excellentissimus.11.q.3.ut Hugo ibidem notauit, similiter in diuinis communicare est mortale. vt dicit Hugo.11.q.3.rogo.similiter in crimine est mortale.vt de sen. excom.nuper.

Præterea sciendum,quòd non dicor communicare excommunicato, licet ego,& ipse simus in eadem domo: ego pro meis negoeijs, excommunicatus autem pro suis.Sed ego,& excommunicatus si iremus ad Papã, vel ad aliũ dominum, ut pro eodem rogaremus, bene inciderem in excommunicationem,& c.item,si ego,& excommunicatus habemus vnam cameram communem,bene licet mihi cum excommunicato esse in eadem camera,& iacere & comedere,sed non in eadem mensa;vel in eodem lecto, quia hoc non potest esse sine voluntaria communione secũdum Arch.qui ita notauit.11.q.3.Apostoli.sed quod dicit sanctus Ioan. Euangelista: Exi balneum propter Corinthium excommunicatum.24.q.1. omnes qui. dicendum, quòd illud fuit ex super abundantia iustitiæ,& cum hoc, quia aliud est dimittere delicias propter præsentiam excommunicati,quod est bonum, sicut fecit beatus Ioannes. aliud,ius suum dimittere,quod non est bonum, secundum Inn.qui ita notauit. de sen. excom. nuper.

Præterea sciendum,quòd si excommunicatus intrat ecclesiam,omnes exibunt ecclesiam, secundum glo.11.q.3. sicut apostolis.sacerdos tamen si incepit missam, non exibit, quia non reliquit officium inexpletum. 7.q.1.nihil. Hugo autem notauit in c.cum excommunicato.ibidem.11.q.3. quod sacerdos remanebit cum duobus.Hosti.vero in summa. de sen. excom.c.fin.dicit, quòd si excommunicatus eijci non potest de ecclesia, & presbyter nondum incepit canonem,vestes exuat,& recedat.Si vero incepit,perficiat missam, & ab ipso excommunicato oculos auertat:& tutius, ut statim sumpta communione sacramenti uadat ad sacristiam, & ibi missam compleat.de consec.dist. 2.relatum.concordat Host. & Gotfredus.dicit tamen Inno.de sen.excomm. nuper. quòd si in ecclesia esset excommunicatus,nõ tamen causa orandi,sed pro alio suo negocio, non videt ipse Innoc. quare in eadem ecclesia orare non possem.cum non participem sibi in oratione.ex quo non orat. licet alij contradicant.dicit etiam si excommunicatus esset extra ecclesiam, & audeat missam, statim sacerdos debet cessare, & alij orantes recedere,nisi forte incepisset canonem missæ. vt dictum est. & in hoc non relinquat officium inexpletũ.

Sciat autem excommunicatus;quòd non licet sibi ingredi ecclesiam aliqua hora, & ad hoc facit.25. dist.c.1.post

principium. 24.q.3. clericus. & 1.q.1. non licet nisi causa audiendi verbum Dei, de sen.excom.responsio. de consc. dist.1.episcopus.35.q.4.de his. secundum Hosti. qui ita notauit de clerico excomm.illud.vnde dicit Egidius cardinalis ord.erem.S.Augustini, quòd si excommunicatus, sicut priuata persona, vult dicere horas canonicas, debet hoc facere extra ecclesiã, & non intra, ex causa supradicta, quia separatus est ingressu ecclesiæ.

Quando excommunicatus sit vitandus.

SED circa præmissa est sciendum, quod quia multi ex leuitate & ex causis, uel ex signis leuibus, vitãt alias tanquam excommunicatos, ideo expedit scire, quando quis est vitandus. pro quo sciendum secundum Host. de sent. excomm.cum non ab homine, quod à communione illius, qui pro sacrilega manuum iniectione in clericum, in edictum seu in canonem excommunicationis incidit, licet denunciatus non sit, debet abstinere dummodo in iudicio sit, vel hoc scias, scilicet quia vidisti quando clericum percussit, & publica super hoc laborat infamia, donec se purgauerit, pro quo allegat.c.cum desideras.de sen.excom. & vult etiam.gl. 1.prædicto c. cum non ab homine. quæ dicit, quòd quam cito scio vnum excommunicatum, debeo ipsum statim vitare, quamuis nõ sit denunciatus. nisi solus hoc sciam, & hoc est contra Ioannem Fauẽtinum. secundum Hosti. & gl. supradicti cap. qui dicunt, quòd excommunicatus non est vitandus, quousque denunciatus sit. quod omnino falsum est. Denunciatio autem non fit, nisi propter ignorantes. arg. de iudicijs. ita quorundam. & eum, qui certus est. de regulis iuris lib.6. Deus enim ligat in hac sententia, & non homo. 11.q.3. Nemo. vnde & secum trahit executionem, nec amplius ligatur per denunciationem. de appell. pastoralis. debet vnusquisque ergo vitare excommunicatum, & si denunciatus non sit, dummodo sciat hoc taliter, quod ipsum conuincere possit, vel etiam si famosum sit, vt dictum est, secus vbi occultum est. & hoc est verum de excommunicato in specie, idest nominatim non in genere, & etiam vbi tibi constat, tanquam homini, uel si sit infamatus de hoc publice. secus si tibi constaret tanquam Deo, puta in confessione, quia tunc nec in publico, nec in priuato ipsum uitare debes.

Item si audis hoc ab alijs, non sis facilis ad credendum, nisi præfatus hoc tibi nunciet, quia tunc omnino credendum est. q.11.q.3.cure. scire tamen debet, quòd aliquis propter famam publicam vitatur tanquam excommunicatus; licet excommunicatus non sit, secundum Hosti. in c. cum desideras. de sent.excom. vt etiam dicit Glo. quod si fama est, aliquem esse excommunicatum, vitandus est. & ita fama facit probationem. & ista omnia intellige quo ad publicam vitationem. nam si quis solus nouit aliquem excommunicatum. ad hoc probare nõ potest de facili, ipse solus vitabit. alioquin, si nec per aliquem probare poterit, nec ipse eum vitabit publice, sed tamen occulte, & vbi poterit facere sine scandalo.

Vnde tene pro regula secundum Raimund. quòd si manifestum est, esse aliquem excommunicatum, alij tenentur,

tur, exire de ecclesia, uel procurare, q̃ excat. si vero non est manifestum, tũc illi, qui sciunt exibunt caute, & secrete: ita tamen quòd non sequatur manifestatio illius, si cõmode possunt, alias si timetur manifestatio eius, non exibunt. 6. q. 2. *Si tantum Episcopus.* Occulte tamen excommunicatus debet occulte moneri, vt excat, concordat *Gotfredus* per statutum Constant. *bene prouisum est, quod nullus aliquem vitare debet, vel pro excommunicato habere, nisi denunciatus sit, & declaratus; & intellige quantum ad publicam vitationem.* Alias si tibi constat aliquẽ incidisse in canonem latæ sententiæ, debes eum vitare, non aspectando aliquã denunciationem. per iuria superius dicta; eo tamen modo, quo dictum est supra, idem dicendum est: fama publica est, uel audio à fide dignis, aliquem excommunicatum, secundum Raymũdũ teneor vitare, & vt melius ista facias, ponuntur quinque regulæ.

Regula cognoscendi excommun.

PRima est talis: excõmunicato participans in crimine, incurrit eandem sententiam excommunicationis. vt de sent. excommun. si concubinæ. & c. nuper. quod intellige, sic, qui dat consilium, auxilium, & fauorem, sine quibus ille non fecisset.

Secunda Regula: participans excõmunicato non in crimine, in contemptum tamen clauium, incurrit mortale peccatum.

Tertia regula: participans excommunicato, in diuinis scilicet admittendo eum ad diuina, vel ecclesiastica sacramenta, uel ad sepulturam: peccat mortaliter, & licet prima vice non sit irregularis: vt de sent. excommun. is qui. lib. 6. tamen ingressus ecclesiæ est ei interdictus, vnde ingerens se secundo ad diuina, fit irregularis. de sent. excommun. is qui lib. 6. & si sic decedit, non debent in cemeterio sepeliri. vt dicit ibidem Inn. in vltimo casu sepeliens excommunicatum in casu non non concesso excommunicatus est: vt de sepulturis, eos qui in Clementina.

Quarta Regula: participans excõmunicato in cõtemptum superiorum, peccat mortaliter. 11. q. 3. nemo.

Quinta regula, participans excommunicato, bibendo, comedendo, loquendo, semel tantum, vel ex casu necessariò: non tamen in contemptum, peccat venialiter. sed patet, quia veniale fit mortale, dum placet, & frequentiam delicti facit contemptus, vt dicit Aug. de funde Christiana, tunc enim dicitur quis ex contemptu facere, quando voluntas eius ordinatur ad obuiandum legi.

Sciendum tamen circa præmissa, q̃ in omnibus casibus præter quam in primo, talis parricipans potest absolui à proprio sacerdote, sed in primo casu, quando communicat in crimine, nõ potest absolui ab alio nisi ab illo, qui excommunicauit principalem, tamen si ille communicans commode non potest accedere ad illũ excõmunicatorem, potest absolui a proprio sacerdote. vt dicitur. c. nuper de senten. excõmu. in articulo tamen mortis potest ab omni excommunicatione maiori per simplicem sacerdotem absolui, seruata tamen forma, de qua habes circa sacramentum confessionis, siue pẽnitentiæ.

Præterea sciendum, quod quinque personæ excusantur, à peccato participationis cũ excommunicato. Primo si

quis causa vtilitatis participat: vt si loquitur de his, quæ sunt de salute excommunicati, uel ad salutem propriã, si alium non habet, vt loquatur pro debitis, ad quæ tenetur excõmunicatus.

Secundo excusatur vxor participãs cum viro excommunicato, uel è conuerso, tamen quantum ad redditionem debiti non excusatur, quia non tenetur viro excommunicato reddere debitũ. ille tamen excommunicatus tenetur vxori petẽti reddere. 11.q.3. quoniam multos. in gloss. super uerb. vxores. & cap. final.

Tertio excusantur serui, ancillę, filij, rustici, seruientes, & omnes familiares, qui non dederunt causam domino, propter quam excommunicatur, & intelli ge de seruis, qui ante excommunicationem domini seruire cæperunt, & filijs non mancipatis, idest, non diuisis à patre, qui sunt adhuc in paterna potestate. rusticos intellige colonos agrorum suorum dominorum, & alios, qui tamen in his laboribus, ad quos de iure tenentur, possunt participare domino. patres tamen non excusantur participantes cum filijs excommunicatis, nec domini cum seruis, secundum Raimundum, qui tenentur suos minores corrigere: tamẽ dicit Hostiensis, quod domini seruis, mercenarijs, quos sine magno incommodo uitare nõ possunt, possunt cõmunicare, similiter socij habentes aliquid in communi.

Quarto, excusantur illi, qui ignorãter communicant excommunicatis.

Quinto, excusantur illi, qui in necessitate eis communicant, vt si quis communicans, iret per terram excommunicatorum, & non haberet alibi emere uictualia potest in tali necessitate ab excommunicatis emere, & cum illis etiam comedere.

Vltimo sciendum, quod sæpe Episcopi, uel eorum officiales committũt plebanis absoluere aliquos excommunicatos, ideo de modo, & forma absoluendi est videndum, ubi est notãdum, quòd in absolutione, à maiori excommunicatione, quatuor sunt seruanda.

De modo, aut forma absoluendi ab excommunicatione.

PRimum, vt excommunicatus prius iuret stare mandatis ecclesiæ: licet hoc non sit de substantia absolutionis.

Secundum, si quis *pro manifesta* offensa excommunicatur, *non absoluatur*, nisi prius satisfaciat, si autem esset occulta, sufficit iuratoria cautio.

Tertium est, vt absoluatur per eũ, qui tulit sententiam, cum psalmis, & orationibus, circa hoc consuetis. Primo præmittendo: Deus misereatur nostri, usque in finem, uel secundum aliquos: Miserere mei Deus. Deinde Kirie eleison. Pater noster. Saluum fac seruum tuum: Deus meus sperantem in te. Mitte ei auxilium de sancto: De sion tuere eum. Esto ei turris fortitudinis: A facie inimici: Domine exaudi orationem meam: Et clamor &c. Oremus: Præsta quæsumus omnipotens Deus huic famulo tuo dignum pœnitentiæ fructum, vt ecclesiæ tuæ, à cuius veritate deuiauerat peccando, admissorum reddatur innoxius, veniam consequendo, per Christum dominum nostrum.

Forma absolutionis.

DEI omnipotentis gratia, & misericordia confisus, auctoritate do-

domini nostri Iesu Christi, & beatorũ Apostolorum Petri, & Pauli, nec non auctoritate ordinaria mihi in hac parte concessa, à sententia excommunicationis, quã incidisti pp iniectionẽ manuum in clericum ordinatum, ego te absoluo, & restituo te in sinum matris ecclesiæ, & participationi sacramentorum, & communioni fidelium, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus S. Amen.

Et idem modus seruandus est circa mortuum excommunicatum, absoluendum. sed addendo versiculos, & Psalmos, qui sunt circa commendationem mortuorum, addendo collectam: Inclina domine aurem tuam. cũ illa: Da quæsumus domine animæ famuli tui refrigerij sedem, quietis beatitudinem, ueri luminis claritatem, per Christum dominum nostrum.

Quartum est, vt præcipiat illi sic absoluto, si erit absolutus a sententia canonis, vt nunquam contra illum canonem faciat, scilicet, vt nõ percutiat clericum aliquem, vel consimile.

DE SVSPENSIONIS sententia.

CIrca suspensionis sententiam est sciendum, quòd suspensio est prohibitio, qua quis adstringitur abstinere ab aliquo certo actu legitimo, & est multiplex. Nam sunt tot singulares suspensiones, quot sunt actus legitimi. unde potest quis suspendi à beneficio, & officio, & iurisdictione ab ingressu ecclesiæ, & c. Pro quo sciendum, q̃ Ioannes Andreas in Clemen. cupientes, de pœnis, in glo. magna enumerat. 25. suspensionis species.

Est autem suspensio à canone fratrum simplex. 18. distin. si quis autem alia Determinata per duos menses, ea, d.c.fi. est autem suspensio à communione eucaristiæ, donec pœniteat, de his, quæ fiunt à maiori par. cap. 1. in fi. item ad oblationes altaris. 17.q.4. miror. Item à perceptione sacramentorum. 11.q.3. sicut Apostoli. & c. seq. de clerici excommun. in c. fina. item à consecratione episcoporum simpliciter, de Translatione. c. 2. & determinate ad annum. de elect. prouida lib. 6.

Item à collectione ordinum omniũ, & simpliciter, de temp. ord. c. uel non est & c. dilectus. & cum determinatione anni. eo. tit. eos qui. lib. 6. & ad triennium, de simonia. c. pen. quando cæterorum ordinum tantum de temp. ord. ç. literas quandoque clericalis tonsuræ tantum eod. titul. nullus, lib. 6.

Quãdoque certi ordinis tantum simpliciter. eod. tit. literas, uel ad tempus. eod. titul. c. uel non est. de simon. c. penul.

Quandoque à pontificalibus tantum. de transla. c. 2. quandoque ab officio sacerdotali. de offi. deleg. sane. 2. & eod. tit. c. 2. lib. 6. quandoque in toto sacerdotali officio, sed solum à celebratione missarum. quandoq; tantum per duos menses. de cler. percuss. præterea. quandoque per annum. 55. dist. nullus. de conse. dist. 2. relatum. quandoque per duos annos. de cler. percus. præsentium.

Item est suspensio ab ingressu ecclesiæ, quando simpliciter. 16.q.6. nullus. & c. si quis deinceps de pœnit. & remiss. omnes de offi. deleg. c. 2. lib. 6. quandoque determinate ad mensem. de sentent. excom. sacro. quandoque quousq;

satisfecerit.de censi.exigit.lib.6.quandoque suspenditur quis ab ingressu ecclesiæ,& diuinis per mensem, de sent. excommun. c. 1. lib.6.& quid importet suspensio ab ingressu ecclesiæ, habetur,de sent.excom.cui.lib. 6.

Item est suspensio ab officio,quandoque simpliciter.de usur.quia in omnibus.in fi.clem.de rebus ecclesiæ. nõ aliæ.c.1.quandoque per annum.de offic.de leg.c.ult.§.vt aũt.li.6. de re iud. cum ęterni.eo.lib.quandoq; per triennium.de clãd.desponſ.c.fi.in cle.ad fi.

Item est suspensio à uoce capituli, donec quis ordinetur, super ea constitutio.de ætate,& qualit.ord.vt hi,qui. 2.responsio.

Item à beneficio simpliciter. de election.nihil est,& determinate, puta ad sex menses & annum in Clem.de vita, & honest.Clem.cap. 2. ad triennium. de rebus ecclesiæ non alienandæ. c. 2. lib.6.de elect.cum in cunctis. eod.tit. c.1.& c.cupientes.§.ceterum. lib.6.ad tempus incertum. scilicet quandiu tacuerit,de elect.generali. lib. 6. determinate, etiam quò ad partem distribu tionum,vt in prædicta decretali, vt hi, qui.2.respon.suspenditur etiam,quis à beneficio obtinendo per sex menses, & per annum,& biẽnium. de statu monachi.ne in agro.§. si quis. suspenditur etiam quis à beneficio obtinendo per septem menses,& per annum.ut in prędicta decreta.2.

Item est suspensio ab officio, & beneficio simpliciter, de testam.tam literis.in fin.de secundis nuptijs.c. 1.de priuilegijs.c.tuarum. quandoque determinate ad tempus satisfactionis uel restitutionis.de election.quia sententiæ.de censi.exigit.lib.6. & quandoque hæc suspensio dicitur ab ordine & dignitate,de schisma.c.1.in fi.& quandoque sumitur alternatiue, puta aut ob officio suspendatur, aut beneficio. de uita,& honest.cler.à crapula.

Item suspenditur quis ab administratione simpliciter, ut de solu.c.2.& cum determinatione triennij de rebus ecclesiæ non alienan. c. 2.

Interdum suspenditur ab officio ad ministrationis,& a beneficio vsque ad satisfactionem.in clem.de deci. cap.1. item suspenditur qui a priuilegio Clericali,quandoque in persona, quando in rebus.de uita & honest.cler.c.ult.& in clem.eod.tit. c. 1.

Item suspenditur *quis à collatione* beneficiorum. simpliciter. *de præb. c.* graue.ne sede uacante.c. unico. *lib. 6.* etiam cum determinatione anni. *uel* biennij.in clem.de statu monachi,ne in agro.§.si quis.

Item suspenditur quis à confirmatione episcoporũ simpliciter. de trãsla. c.2.quandoque per annum de electio. proui. lib. 6.& quandoque à confirmatione inferiorum.de elect. nihil est.

Item suspenditur prælatus regularis à perceptione professionis. de reg. iur.non solum in fi.lib.6. item suspenditur officium legati minoris præsente legato maiore de latere de officio legati uolentes.

Item suspenditur status canonicorum Alemaniæ.de elect. indemnitatibus.§.pen.lib.6.& in clem.de statu regul.attendentes illos quoque.

Item suspenditur quis ab officio ad uocationis, & notariæ. de hæretic. si aduersus.

Item à collatione magisterij.in clẽ. de magist.cum sit.Item ab officio prædicandi,

dicandi,ut in clem. cupientes.de pæn.

Regulæ circa suspensionem.

PRima regula, suspensus ab officio, & iurisdictione siue ab homine,siue à canone, nec excommunicat, nec beneficia confert, de concessione præbend.quia aduersitatem. ex quo enim talis caret iurisdictione excommunicare non potest de excess. prælato tanta.

Secunda regula,suspẽsus ab ingressu ecclesiæ tantum, talis excommunicat,& absoluit, ratio quia adhuc retinet iurisdictionem, ut in cap.sacro.de sent.excom.& c.ex iniuncto. & cap.ab excommunicato.de rescript.ubi ad talem suspensum, qui incidit in suspensionem ab ingressu ecclesiæ, quia excommunicatus contra nullum casum. cap.sacro. fieret remissio pro absolutione.

Tertia regula, suspensus à beneficio potest bene eligere,ut in cap. cum in cunctis de elect.

Quarta regula,suspensus ab officio; si talis est suspensus, quo ad se,& quo ad alios,nec eligit,nec eligitur,ut in c. cum electus.de consue. de elect. cum vint.& hoc est uerum quando eligit ratione priuati officij,si autem elegit ratione publici,potest eligere, dummodo sit occultus. facit de reg. iur. approbandi.

Quinta regula, suspensus quo ad se tantum,ut ille, qui est suspensus propter participationem excommunicati talis elegit, sed non eligitur de clem. excom.mini.si celebret.

Sexta regula, suspensus ab ingressu ecclesiæ,in ea celelebrans, irregularis est. De senten.excom. cui lib. 6.

Septima regula: suspensus ab officio tam à celebratione missæ, quam à collatione sacramentorum,& à quolibet actu sacerdotali puta à baptizando solemniter, intelligitur suspensus, & contrafaciens, fit irregularis.

Octaua regula, sacerdos suspensus à sacerdotalibus officijs ministrans in inferriori ordine ,non est irregulis,quãdo uero est suspensus à collatione sacrãmẽtorum,conferens aliquod sacramentum solemniter, fit irregularis.

Nona regula,licet suspensus nõ perdat spiritualem possessionem beneficij, tamen fructus beneficij sui perdit, secundum Inn. de appel. pastoralis.& hoc si est suspensus ab officio,&ex graui causa puta propter scandalum populi, uel infamiam solam, secundum Host.de quo plene per Ioannem. And. cap.cupientes, de pęnis in gloss. mag. ad fin.

Decima regula,suspensus à canone propter participationem excommunicati.potest eligere,& alia facere, quæ sunt iurisdictionis: sed si ab homine, uel à iure,uel alias ex alia causa, tunc non potest secundum Ioan. And.in gl. magna.ubi supra.

DE FORMA FERENDAE excommunicationis.

REstat nunc uidere de quarto scilicet de forma ferendæ excõmunicationis, pro quo sciendum quod ad ferendã sententiam excommunicationis non debet festinare iudex sed maturè procedere, nec pro quolibet delicto debet eam ferre, iuxta illud poeticum: Si quoties peccant homines, sua fulmina mittat Iuppiter,exiguo tempore inermis erit.

Debet

Debet igitur præmitti triplex monitio, uel una pro tribus alias iniusta est excommunicatio, & iudex est suspensus per mensem. qui si ingerat se in officio sub, scilicet in diuinis agens, sicut prius irregularis efficitur, & per solũ Papam est absoluendus & idem est de sententia suspensionis, & interdicti de sent.excom.cum medicinalis.li.6. Hęc tamen pęna non tangit episcopos, cum de his non loquatur expresse.

Præterea est sciendum, quòd sentẽtia excommunicationis ferẽda est, ex tribus causis, prima est contumacia, quando quis fuerit admonitus, uel citatus per iudicem tribus uicibus, siue edictis, uel una pro tribus & ipse fuit inobediens, uel contumax.

Secunda causa, quando pro aliquo certo damno, uel offensa, aliquis non vult satisfacere, tunc enim potest licite excommunicari, & ratio est secundũ Thomam in 4.senten.distin.18. quia talis peccat in proximum, cui facit iniuriam, & ideo merito est excommunicandus.

Tertia causa, quando persona ignoratur sic excõmunicatur in generali, ut quicunque furtum fecerit, restituat, uel quiscit, & non reuelat, de sentent. excom.à nobis. nemo autem debet excommunicari pro peccato alterius. 24. q. 3. si ab his licet, bene potest interdici.

Casus, in quibus excomm. nulla est.

SVnt autem quinque casus, in quibus sententia excommunicationis nulla est ipso iure.

Primus est, si ille, qui tulit eam non habuerit potestatem ferendi sententiam: vt quia non erat eius iudex, vel quia erat excommunicatus.

Secundus, quia est lata post appellationem legitimam: in quo casu etiã, vt notat Archidiaconus. 11.q.3. Curæ. dicendum, quòd licet sit ordinario credendum denuncianti aliquem excommunicatum, tamen si scit pro certo denunciatum excommunicationem appellasse, secure illi potest communicare: vt de appel.ad nostram. secundum Gotfredum, qui ita notauit in prędicto cap. dilectus. istud vltimum dictum intellige, ut notatur, de sent.excomm. solet. lib.6.§.vlt. concordat ad hoc. glo. antiqua. Ber. de app. pastoralis. dicens, quod si quis excommunicatus est post appellationem probabilem licet excommunicatus sit: non tamen est, pro excommunicato habendus, quamuis liceat ei communicare in omnibus sacramentis. hoc idem sentit Glo. fi. in c. dilectus. ibidem dicens, quod licet pro sententia sit præsumendum in dubio: magis tamen standum est appellationi, quàm denunciationi excommunicationis.

Tertius casus est, quando sententia continet intollerabilem errorem: ut de sen.excom. per tuas, ut si excommunicatur quis ideo, quia non furatur: vel quia non ducit episcopo aliquam meretricem, & sic de alijs, prout exemplificat. glo. ibidem.

Quartus casus, quando aliquis excommunicat maiori excommunicatione illos, qui excommunicato participant, non in crimine, sed in locutione. nam talis sententia non tenet nisi pręmissa trina monitione, vel vna pro tribus, & cum hoc, nisi nominatim exprimantur participantes. de sent. excom. statuimus. & c. constitutionem. & c. statutum. lib.6.

Quintus

Quartus casus, quando prælatus interdicit suis subditis, ne exponant suis superioribus, ac inquisitoribus statum ecclesiarum suarum, sub pœna excommunicationis. nam talis excommunicatio nulla est: vt de offi. ord. quia plerique. lib. 6.

Vltimo sciendum, quòd secundum Emericum in summa sua, regulariter *Episcopus*, & quilibet inferior parochialis presbyter potest absoluere à sententia excommunicationis, etiam maioris, lata à iure. ubi sibi superior absolutionem non reseruat. nec obstat dictum Ioan. And. in c. si Episcopus. de pœn. & rem. lib. 6. vbi ipse dicit, quòd absoluere excommunicatos à maiori excommunicatione, non competit simplici sacerdoti, sed episcopo. ut de sen. excom. nuper. Sed tu dic audacter, q̃ verum est, quòd non competit hoc simplici sacerdoti simpliciter, etiam vbi prohibetur specialiter, secus autẽ, vbi non prohibetur. sic etiã dicimus de *episcopo*, quod non competit sibi absoluere à sententia excommunicationis maioris: vbi scilicet Papa specialiter resurrexit: in ceteris non prohibetur. similiter dicitur de episcopo, & simplici sacerdote. istud tamen indigeret meliori declaratione per Papã, propter simplices. Scias etiam, quòd absens potest absolui ab excommunicatione per procuratorem secundum Gulielmum nazonem: tamen solemnis reconciliatio in introductione in ecclesiam non post fieri eo absente. & ita intelligitur dictum Inno. qui prolixe in hoc scripsit. de senten. excommu. cum desideras.

DE IRREGVLARITATE.

AD habendam aliquam notitiam de irregularitate, notandæ sint aliquæ regulæ, prius prẽmissa breui descriptione irregularitatis. Sciendum igitur, quòd irregularitas est nota, idest infamia, vel impedimentum canonicum ex vitio, seu defectu proueniens, qua quis prohibetur ad ecclesiasticos ordines promoueri, & in eisdem ministrare. ita diffinit Guliel. Durandus in specu. tit. de dispensationibus. §. iuxta propositionis. dicitur autem canonicum impedimentum, quia ortum habet à iure canonico, licet inceperit à veteri testamento, quo ad aliqua, quia dictum est Dauid: Non ædificabis mihi templũ, quia vir sanguinis es. 1. Parali. 28. c. & in cano. 49. distinct. hinc & enim, vbi habetur in Leuitico. c. 21. etiam multi à sacerdotio repellebantur propter defectus naturales extra ecclesiam positas; dicẽte voce superna ad Moysem: Loquere ad Aaron; Homo de semine tuo, per familias, qui habuerit maculam, non offerat panes Deo suo, nec accedat ad ministerium eius, si cæcus fuerit, si claudus, si paruo, uel grandi, vel torto naso, si fracto pede, si mãcus, si gibbus, si lippus, si albuginem habẽs in oculo: si iugem scabiem, si impetiginem in corporis, si hermiosus, si languidus: quia indignum est dare Deo, quod dedignatur homo. 71. dist. hinc. & enim. &c. Sumitur autem tripliciter. primo pro defectibus, qui sunt in homine sine peccato, puta qui est bigamus, vel maritus viduæ, vel illegitimus, & huiusmodi, vt de renunciatione, nisi cum pridem. § personæ.

Secundo dicitur irregularitas personæ, vbi generaliter prohibetur quilibet ordinari, vel celebrare in ordine noniam susceptο, sine dispensatione domini Papæ,ne patiatur defectum & c.de quibus.vt supra, & infra patebit.

Tertio dicuntur irregulares omnes illi, qui non possunt remanere in susceptis ordinibus,nec ad maiores promoueri, etiam post actam pœnitentiã sine dispensatione domini Papæ, & aliorum prælatorum, de quo dantur regulæ.

Regulæ circa irregularitatem.

PRima regula, omnis furiosus, hebriosus,illiteratus,impudicus,percussor,litigiosus,neophitus.& generaliter quilibet in membris naturalibus defectuosus, irregularis est ad sacros ordines susci piendos.patet hoc indecreto late incipiendo a.26. dist. vsque ad 49. vbi ista singulatim probatur.

Secunda regula, accusans vel deferens aliquem de crimine coram iudice,pro quo pœna capitis debetur, vel truncatio membri, irregularis est.5.q. 6.delatori & 6.q.1.in summa de accusa.accusasti.

Tertia regula percutiens aliquem siue in propria psona, siue per alium, eius mandato, si sequatur inde homicidium,vel membri mutilatio, si hoc absque inuitabili necessitate, irregularis est, de homi. presbyteri & c.petrus.l.dist. miror.

Quarta regula: percutiens absque mortis periculo; vel sanguinis effusione, vel truncatione habens ad hoc potestatem, nõ est irregularis,ut de rap. in archiepiscopatu.& 23.q.8.sæpe.

Quinta regula, Iudex, actor, vel procurator,notarius, siue dictator,vel promulgator,si in membris secuta est mutilatio,irregularis est.l.dist.siquis. ne cleri,vel mona.sententiam de hom. postulastis.l.dist.cap.1.& generaliter purgationem vulgarem,quę fit in tormentis, vel alio modo, & quicunque vindictę sanguinis auctoritatem;benedictionem, seu patientiam sui exhibentes,irregulares sunt. de excess.prela. ex literis.

Sexta regula; licet clericus non habeat interesse vindictæ sanguinis,si tamen ex sola curiositate,vel leuitate interfuerit, vbi latro suspẽditur,vel vbi quis in duello occiditur: licet peccet grauiter, non tamen fit irregularis, si nec auxilium, nec consilium,vel auctoritatem præstiterit, secundum Gulielmum in spe.tit.dispen.§.iuxta propositionis.

Septima regula: iudex,vel officialis,seu aduocatus,qui tentauerunt causam crimiminis,dantes operam,ut sanguis effunderetur: licet nec mors,nec sanguinis effusio fuerit subsecuta, irregulares sunt. potest tamen in talibus per Episcopum dispensari: secundum Gulielmum.similiter cum illo,qui non ex officio suo, sed ex odio dedit operam: & fecit quod potuit, ut occideretur: non tamen occiditur, vel mutilatur.indiget enim talis dispensatione, secundum Gulielmum.

Octaua regula:exercens artem chirurgiæ,si per imperitiam, & negligentiam eius sit mors subsecuta ab incisione,adustione,vel potione,quam dedit infirmo,irregularis est,ut de homic.c. tua.§.1. Si tamen peritus existens phlebotomat sanguinem,vel secat,adhibens omnem diligentiam, non est irregularis, etiam si mors fuerit subsecuta,

cuta ,quia potius præsumitur casu, & culpa patientis euenisse. 23. quæst. 5. de occidendis. secus si per eius negligentiam,secundum Gulielmum.

Nona regula; licet laicus exercens artem chirurgiæ,non sit irregularis, si propter eius incunam multi obierunt, clericus tamen, si sub eius cura aliqui etiam præter eius culpam obierunt, ir regularis est.secundum Inno. qui hoc notauit,in c.tua.de hom. ne cleric. uel mon.sententia.

Decima Regula: extrahens sagittam, vel telum, uel gladium infixum corpori alicuius:si propter hoc vulneratus citius moritur, irregularis est. de homi.tua.

Vndecima Regula: custodiens infirmum,& dans ei bibere imperite,vel aliquid aliud contra consilia medicorum faciens, propter quod mors sit subsecuta,irregularis fit, propter imperitiam, & negligentiam dissolutam, si tamẽ quis facit bona fide circa ægrotum, non debet esse facilis ad faciendam conscientiam scrupulosam, quamuis in aliquo sit erratum,si ibi non sit lata culpa, cum negligentia dissoluta, quæ propè dolum est, & huiusmodi scrupulum de facili deponere debet ad consilium sapientis. Si tamen tanta culpa fuerit, vel negligentia dissoluta,& certum est, quòd mors fuit inde subsecuta, irregularitas contrahitur. si vero non sit certum,tunc distinguendum est. aut enim dubitatur probabiliter secundum iudicium medicorum, & tunc abstinendum est ab officio,si autem non dubitatur:tunc deposita erronea conscientia, poterit administrare,& etiam promoueri: aliàs nõ, secundum Raim.l.dist.hi,qui arborem & c.sæpe.& secundum quosdam solus Papa cum talibus dispensat.

Duodecima Regula:consulens aliquid,vnde sequitur homicidium. irregularis est, vt si suasit iactum balistæ, machinæ,uel lapidis, uel quòd iret ad capiendum castrum, quod capi non potest sine hominis morte, sed inde sequitur mors ex illo consilio,irregularis est,secundum Gul. item si facit uel consulit furtiue,uel proditionaliter capi castrum,si mors inde sequatur irregularis est. quia debuit uerisimiliter præsumere hoc uenire posse. in talibus enim punitur, qui remotam causam homicidio dedit,sicut propinquam,ut notatur de homi.c.presbiteris.

Tertiadecima regula:mandans aliquem uerberari, si uerberans occidit uerberatum,irregularis est, quòd mandauit,nisi expræxisset, ne occideretur. de homic.significasti.hodie.de homin. is,qui mandauit.lib.6.in fin.ult.glo.secus tamen de illo, qui consulit aliquem capi: ut puta malefactorem. quia tunc non fit consulens irregularis,etiam si capiens occidit illum,quia hoc non consulit, argum. de homicid. cap.final. Absit enim, ut ea, quæ propter bonum facimus, si propter uoluntatem nostram:quicquam mali accidit,nobis debeat imputari. 23. q. 6. de occidendis. semper tamen fit irregularis.dans directe consilium in mortem alterius, vt ne cler.uel mona. sententiam.nec interest siue is, cui datum est consilium, statim fecerit homicidium, uel etiam diu post,nisi prius consilium reuocauerit, & contrarium suaserit,ut de homi. Petrus immo si firmiter, & probabiliter credat,quòd post reuocationem cõsilij non reuocetur,is,cui da-

tum est cõsilium à proposito occidendi necesse est, ut denuncietur illi, de cuius morte tractatum est, quòd caueat sibi. in eo autem, qui mandauit per se fieri homicidium, uidetur sufficere, si consilium mandat tãtum de reg. iur. omnis res, uel si sciente eo, is, cui mandatum est, iuit ad eum occidendum. ut 22. q. 1. omne quod, uel p parentelã, uel amicitiam cum eo contrahitur, licet ei hoc non significauerit: quia qui est certus certiori non debet. de electio. inter uniuer.

Quarta decima regula: consulens alicui, ut occidat aliquẽ, si ipse, cui consultum est occidere, occidatur ab illo occidendo, secundum opinionem mitiorem non iudicatur ille consulens irregularis. Ratio: quia fines consilij excessit, & ex quo egressus est ad occidendum, nec sibi bene cauit, nisi excitaret eum ad occidendum alium, forte in tali casu, ubi periculum esse posset, tunc esset irregularis, etiam si is, cui consuluit, occidatur, secũdum Guliel. ubi supra. secundum rigorem tamen iuris hodie talis consulens irregularis est per Ioan. Andream. in nouella de homicidis qui emendauit lib. 6.

Quindecima Regula: si quis suadet alicui, pro patria, uel pro proximo suo uel pro iure suo, uel pro iure ecclesiæ suæ periculo se exponat, non ab hoc fit irregularis, etiam si moriatur. 23. q. 3. pro membris. & ca. seq. si tamen sciret, uel crederet ibi moriturum, tunc uidetur quod fiat irregularis, secundum Guliel. si autem consulat, quòd indubitate morti se exponat pro honore Christi, uel fide, uel statu ecclesiæ non fit irregularis, etiã si mors inde sequatur. 21. q. 1. sunt quidam. 11. q. 3. non solum hac ratione excusantur inquisitores hæreticæ prauitatis, scientes, & statim post quam aliquem pronunciauerint hæreticum esse: ille mortitur: hoc etiam alias multipliciter procurando: ad hoc etiam accidit. 23. q. 8. legi. & q. 1. si audieritis, illi tamen clerici, q portauerũt ligna, causa indulgẽtiarum ad hæreticos conburendos, irregulares sunt, nec cum eis dispensatur nisi per Papam.

Sextadecima regula: Dans operam rei licitæ, vt puta ædificãdo ecclesiam, vel domum, adhibita omni diligentia, quam potuit habere, si occidit aliquẽ casualiter, non efficitur irregularis. Si tamen dat operam rei illicitæ, nec adhibuit omnem diligentiam, quam debuit, fit irregularis. ut de hom. lator. & c. ex literis. & c. sicut dignum. & cap. Presbyterum. & c. continebatur. & c. ad audientiam. hinc est, quòd medico operanti secundum regulas artis suæ, non imputatur, si quis sub eo moritur. sed si negligentiam commisit, consulitur sibi, vt non promoueatur ad ordines, de qualit. or. ad aures. sed quid de illo medico, qui vertit infirmum ad aliud latus, vt citius moriatur: Respondeo quod irregularis est. tam ipse, qui fecit, quam ipse, qui cõsuluit, si ex hoc mors fuerit subsecuta, quia forte via anelithus præcluditur, uel apostema rumpitur ex violentia motus: vel suffocatur. Si autem citius non moritur, ex hac causa non fit irregularis, sed pœnitere debet de facto.

Decimaseptima regula: non solum est irregularis quis, si eius percussione est mortuus aliquis, sed etiã si ex hac percussione infirmitatem contraxit, vnde mortuus est, vt de homi. presbyterum.

terum.& c.in audientia, & 51.distin. studeat.

Decimaoctaua regula: Defendens se in casu euitabili, & occidens aliquē irregularis est.l. dist.si quis viduam.& talis ad superiora non ascendat, & in susceptis non facile dispensatur. sed si necessitas fuit ineuitabilis, datur consilium ei, vt non ministret.l.de his clericis. non tamen propter hoc deponitur:immo suo ordine administrans toleratur de iure communi absque dispensatione. Secundum Laurentium.l. dist.quia tua.sic loquitur de homic.c. 2.prout prosequitur ibi Hosti. & quidam dicunt episcopum posse in tali casu dispensare, licet hoc non possit. secundum.Ioan.de Deo, qui dicit solum Papam hoc posse, hodie dicitur simpliciter irregularitatem nullam incurrere ille, qui personam suam defendendo in casu ineuitabili occidit. de homicid.si furiosus.in clemen.

Decimanona regula: infans furiosus committens homicidium, non est irregularis. vt in clem. furiosus.de homic.idem est de dormiente. si aliquem occidat, qui tamen non habuit intentionem, seu propositum occidendi eum.

Vigesima regula: potens hominem liberare à morte, & non faciens, irregularis est,quia qui potest defendere, & non defendit, occidit.de homi.c.sicut dignum. quod intellige secundum glo.c.4.de sentent. excommun.de illo, ad quem ex potestate, ex officio, vel dignitate pertinitet realiter defendere, & non simpliciter de quocunque, vnde dicit ibidem glo.quod si ego non habeo aliquam potestatem, & video quod aliquis vult verberare clericum sine auxilio meo,aut consilio:non credo,quòd sim excommunicatus, si non prohibeo illum, licet alias forte peccem, quia non defendo, cum possem.

Vigesimaprima regula: retrahens à proposito liberandi hominem à morte; irregularis est,quia quodammodo, in directe homicidium commisit. l. distin. si quis viduam.& de pœn. dist.1. pericolose.

Vigesimasecunda regula:percutiēs animo occidendi latronem, si ex vulneribus latro obijt, irregularis est, vt colligitur de homicid. significasti.1.c. idem etiam si nō percussit,sed aliquid operis impendit in mortem eius,puta quia latronem detinuit,vel cōtra eum clamauit. alias autem si clamasset contra eum,non in mortem eius,sed quòd caperetur, vel detinuit eum, vel se leuem ostendit, irregularis non est, de morte eius, vel etiam fit in neglectu. alias si malitia eius perpetretur tū homicidium, & idem si negligentia eius committatur.l.distinct.hi, qui.& ideo si clamat contra latronem, siue eum capiat, si alias quocunque modo potuit intelligere:& ex clamore suo, vel alio actu homicidium sequitur,irregularis est, nisi forte faciat propter periculum corporis sui: ut si uidet quòd aliquis eum occidere vult, tunc enim potest bene inuocare,& clamare pro auxilio. quia non intendit in aliorum mortem, sed in suam liberationem:secus, si hoc faciat propter periculum rerum suarum, si fugæ præsidio euadere potest. de homi.suscepimus.

Vigesimatertia regula: Clericus ligans cū socio latronem. Se postea timens,ne occidatur à latrone, ipse potius occidit, est irregularis de homicidio.vbi supra. Vi-

Vigesimaquarta regula: si clericus non valens aliter recuperare res suas, tenet furem, ne cum rebus fugiat: donec eum exhibeat iudici, vel eius auxilium inuocet ad res suas recuperandas, non est irregularis, licet postea fur à iudice puniatur, dúmodo intẽtio eius non sit corrupta, intendendo ad furis mortem, vel mutilationem, & c. idem dicendum est, si clericus credit, vel tradit seculari potestatem latronem, petens, quòd eum puniat citra sanguinis effusionem, vel petens rem subtractam sibi restitui, si potestas in latronem animaduertat, idest puniat eum morte, non propter hoc clericus erit irregularis, ut de homicid. prælatis. lib. 6. nec etiam nocet illi, si ad conuincendum latronem tradidit inter signia. est idem, si simpliciter deponit querelam de iniuriantibus sibi, & ecclesiæ suæ, quamuis tales vix absque sanguinis effusione valeant coarctari: de homic. tua nos. §. vlt. & c. postulasti. 23. q. 4. Maximianus. & q. 5. c. 5. & cap. vnum. & cap. pœna. & hęc omnia vera sunt, quando non intendit ad mortem, nec hoc in animo gerit, sed protestatur publice, quòd citra sanguinis effusionem, castigetur; non est ergo irregularis curialiter agens contra furem non criminaliter ad mortem, vel sanguinem. licet enim iudex causa probabili suspendat ex officio suo ut de homi. postulasti. ex quo vlterius patet, quòd nullus notam irregularitatis incurrit, qui per ex tortores, siue ex acto res alicuius curiæ curauit aliquem capi propter delictum tale, propter qđ nec mori, nec mutilari posset. licet iudex inueniens eum alia commisisse: propterea suspendit eum; si tamen ille crediderit, nec cogitauit illud contingere posse.

Vigesimaquinta regula: Si iudex officialis insequitur furem fugientem, & quærit à me, vtrum viderim illum, & ego sciens, quòd fur ille ad mortem quæritur, instruo eum, si per meam responsionem fur inuentus est, & occisus, sum irregularis; secus, si nec sciui, nec suspicatus sum, quòd ad mortem vel pœnam sanguinis quæritur. vnde consulitur in casu hoc, cum aliquis scit aliquem ad mortem quæsitum, fugere non posse, nisi per alteram de duabus vijs; non debet dicere per hanc non fugit, quia sic proderit eũ p alterã fugiẽtem, sed aut taceat, *aut quærentem curialiter euadat dicendo: nunquid custos ego illius sum: vel alio modo.*

Vigesimasexta regula: si *clericus*, qui egit ad res suas recuperandas, ex post facto ratum habet, quod suspensus latro est, & hoc sibi placet, si talis nullum consensum habuit in mortem illius, nec quicquam cooperatus est, non est irregularis, secundum Guliel. & hoc si gaudet, quòd maleficium est punitum, non autem persona: cum secundum ipsum irregularitas ex homicidio solo non contrahitur, nisi culpa, vel voluntas, procedat, vt scandalum sequatur, vt notatur. 50. dist. hi, qui. & de homicid. ex literis. & c. veruntamen hodie vero iure cautum est, quàm si quis absque mandato meo manus violentas iniecit in clericum meo nomine, si hoc ratum habeo, excommunicationis canonem in curro, & hoc propter ratibitionem, quæ retrotrahitur, & mandato comparatur; si autem hoc meo nomine non est factum, licet ratum haberem, peccarem, sed non incurrerem

currerem excommunicationem, vt dicitur expresse in cap. cum quis. de sentent. excommun. lib. 6. Vt hoc intelligas: Pono tibi casum: Aliquis amicus, vel seruitor tuus sciens aliquem clericum tibi fecisse iniuriam verbalem, vel realem, percusit eum, quem tu postea receptando magis amicum habuisti, vel gauisus es, & hoc factum commendasti, uel laudasti, tu es excommunicatus propter ratibitionem, ac si mãdasses. sed si unus extraneus percusit clericum, & tu audiés, gratum habes, & gratularis de hoc, licet non excommunicatus, tamen peccas ad minus venialiter, secundum Io. And. in nouella supra dicti cap. cum quis lib. 6.

Vigesima septima regula: si quis mandat capi unum clericum de tribus simul incedentibus, & alios duos non grauari: sed mandatarius excedit fines mandati, alios duos capiendo, iste mandans non erit excommunicatus secundum Io. de Deo. lib. 3. suarum quæstionum. q. 14. & ratio est, quia captio contra voluntatem eius est facta. Petrus tamen de Samprana, alias Sansona, puta quòd de dáno tenetur, quod illi passi sunt de iniurijs. c. fi. 23. q. 8. propterea. ex hoc infertur per simile de irregularitate, ꝙ irregularitas ratione homicidij non contrahitur sola voluntate, nisi homo actu occidatur, de homic. sicut dignum. §. 1. vbi de hoc in glo. ex corde. 15. q. 1. si quis non iratus. sed nec fit irregularis propter solum homicidium, nisi culpa, vel voluntas præcedat, uel alias sequatur scãdalum, vt notatur. l. dist. his, qui prioris de homicid. ex literis. de clerico ægrot. tua. ex hoc dicto soluitur quæstio. qua quæritur, an clericus, qui volebat interficere hominem, sed non potuit, quia inuenit eum iam mortuum, sed volens nihilominus satisfacere iræ suæ amputauit caput mortui, fit irregularis; dicendum, quòd licet voluntas occidendi fuit, tamen non est irregularis. secũdum Arch. 15. q. 1. si quis. Ratio, quia ad hoc, quòd homicidium committatur, requiritur, quòd homo animatus occidatur. de homic. sicut dignum. 32. q. 2. Moyses. ubi abortus fętus inanimati non imputatur ad homicidium. sicut etiam notant. Inn. Ber. de homic. si aliquis.

Vigesima octaua regula: si quis in rixa mortuus est, nesciturtamen; quis illum interfecit. licet secundum quosdam scilicet Io. omnes irregulares sint quo ad promotionem ad ordines propter incertitudinem. vt 23. q. ult. cap. fi. tamen probabilius est, ꝙ in tali casu quilibet suæ conscientiæ est relinquendus, secundum Gul. in speculo, & Hostien. in summa. de homi. §. qua pœna.

Vigesima nona regula: si amici mei occidunt aliquem mihi iniuriantem, me inuito, & contra meam prohibitionem, mihi non nocet, vt de homic. Petrus. 3. q. 3. quia prælulatus. idem est, si me ignorante de simonia. nobis & c. de regularibus, sed si turbata conscientia sit, puta quia non expresse consensi, non contradixi, imputabitur, argumentum de simonia. Matthæus. immo etiã dicunt quidam, quòd si sciens contractum de morte habita non reuelaui: non sum irregularis, quia homicidium non commisi facto, mandato, consilio, uel defensione. l. dist. si quis viduam, & de homic. Petrus. alij dicunt contra, si credidi, quòd non obstante mea prohibitione, vel intuitu interficeretur, &

hoc

hoc est tenendum. nam in tali casu tenebar reuelare illi, contra quem contractum est.

Trigesima regula: si aliquis vadit ad interficiendum aliquem, & tu ei scienter consentias, non tamen eum incitas ad homicidium perpetrãdum, nec cum eo super hos aliqua verba habuisti, uel si habuisti, semper ex animo hoc ei dissuasisti, sed cum nollet tibi acquiescere, timens de ipso, eum associas eo proposito, vt si forte eum quis inquireret, defendas, & tunc homicidium perpetrat. vere irregularis es, secundum Host. ad quod faciat de homic. sicut dignum. §. illi qui.

Trigesima prima regula: Clericus ministrans arma pugnantibus, si aliquis interficitur, irregularis est arg. 23.q.1. nisi bella. c. fi. nomine autem armorum intelligantur, fustæ, lapides, ligna. &c.

Trigesima secunda regula: iudex ecclesiasticus potest hortari brachium seculare contra violentos, & hæreticos, uel paganos, non vt occidat, vel mutilet, sed vt de terris fidelium expellantur, nec etiam est irregularis, si aliquis hinc inde sint occisi 23.q.5. de occidendis. & 23.q.3. Maximianus. immo secundum Innoc. de homic. petitio licet aliquis in bello iusto aliquos percusserit, si tamen inde nullus est mortuus, non fit ex hoc irregularis: idem si quis accedit ad bellum iustum causa pacificandi, uel ex alia iusta causa, licet ex eius præsentia aliquod robur accrescit suis, vel timor incutiatur aduersarijs, non est sibi imputandum, dummodo dolus, & etiam lata negligentia absit omnino. secundum Guliel.

Trigesimatertia regula: Clericus, qui interest iusto, uel iniusto bello, in armis, vel sine armis, si aliqui sunt hinc inde interfecti, irregularis est, licet ipse nõ occidat. 51.d. si quis. 13.q.3. porro. 23.q.ult. quicunque 1.q.1.c. si.

Trigesima quarta regula: Clericus defendens se, uel suos, licet tunc ex defendentibus aliquis interfectus est; ex aliqua parte, non est irregularis, vt illi, qui non interfecerunt, nec interfecto res adiuuabant: non sunt irregulares, licet voluntatem occidẽdi habuissent: quia lex promotionis factum requirit, 15.q.1. si quis non iratur.

Trigesima quinta regula: Clericus imbelo iusto, quod non ad occidendũ, sed ad defendendum geritur, ministrãs sagittam balistario suo ad sui defensionem: si ille balistarius aliquem interfecerit, & ille clericus non intendebat, quòd ille aliquem interficeret, sed q̃ illos detinuisset, & sua defendisset, aut recuperasset, non est irregularis secundum Guliel. idem dicit de illo, qui in bello iusto præpositus fuit exercitui, & sumptus facit, & cuncta disponit; si forte eum contigant lanceas, uel sagittas emere & ministrare ad exercitium, vel ad custodiam castri mittere, uel si hortatur ad currendum per hostes, vt eis præda hominum, vel animalium auferatur, & tunc forte aliquis interficeretur, dummodo solum intendat ad recuperationem. prædæ, non ad vindictam, talis causa remota non nocet.

Trigesima sexta regula: qui mulieri facit, ne concipere, vel generare, vel post conceptum parere non possit, & qui prægnantem mulierem percutit: ita quód faciat abortiuum: si fœtus iã fuit viuificatus, irregularis est. sed si nõ dum fuit viuificatus, solum mortaliter pec-

peccat.de homic.c.si aliquis.2.q.5.con suluit. uel si probabiliter dubitat, vel credit, an sit mortuus; uel uiuus fœtus ex illa percussione, vel utrum conceptus fuit animatus, uel non, in tali dubio debet à promotione, & à ministerio abstinere, nec periculo se cõmittere. si vero leuem, uel temerariam habet opinionem, deponat eam, si potest, & sic poterit promoueri, & administrare, alias non. arg. de sent. excommun. in quisitio. & de simo. per tuas. 2.

Trigesima septima regula: licet clericus aliquem occidens pro defensione rerum suarũ, irregularis tñ est. de homicid. suscepimus, ubi dicitur post tunicam relinquẽdum est pallium: & est melius rerum iacturam pati, quàm pro seruandis uilibus rebus, ac transitorijs acriter in alios ex ardescere: clericus tamen personam propriam defendendo necessitate ineuitabili repellens vim vi, cum moderamine, inculpatæ tutelæ percutiens aliquem, si inde mors sequitur, nõ imputat ei, vt notatur de homici. significasti. 2. & 3. & c. interfecisti. unde dicit Arch. 23. q. 3. c. 1. quod clericus etiam interficere potest, vt non interficiatur. arg. de furt. c. 3. dum tamen hoc faciat pro persona propria. hodie expresse in clemen. si furiosus. de hom. & dico personam propriam. nã secus est secundum Io. And. in nouella super clem. si furiosus. de homic. si non ualens euitare mutilationẽ, licet mortem possit euitare, mutilauit; uel occidit aliquem in uasorem. & idem, si aliter non ualens saluare res suas, eum occiderit, qui deportare volebat. secus etiam secundum glo. dictæ clem. super uerbo suo de illo, qui occidit illum, qui occidere volebat patrem, filium, coniugem, uel personam coniunctam, quem aliter iuuare non potuit. quod putat Io. And. quasi casus ille non includat sub necessitate ineuitabili. intelligitur autem necessitas ineuitabilis secundum Ioan. And. ibidem super uer. non valens, vt quia angustiatus erat, uel sic arctatus quòd fugere non poterat, nec clamore iuuari, intelligitur autem eũ moderamine inculpatę tutelę. si fiat ex incontinenti, non ex interuallo, & causa defensionis, non vltionis: & si æqualiter se defendat: sicut infestatur: vt si gladio percutitur, & ipse gladio percutit: uel si ligneo baculo, & ipse è conuerso, baculo ligneo, aut ferreo baculo percutitur, & ipse è conuerso, ne amplius percutiatur ad mortem. Si autem percutiatur paruo ligneo baculo, à quo non timeatur mors, uel depilet, vel per uestem trahitur, & ipse repercutiẽs ferro occidit suum inuasorem, irregularis est, quia non est moderamen inculpatæ tutelæ. debuit enim se moderate tueri, & non excessiue vltra uiolentiam sibi illatam, aut si percussus est semel, & sic dimissus est nec ulterius se credit percuti; si incontinenti repercutit, & occidit: irregularis est. nam non debet occidere inuasorem, a quo non credebat se occidi. unde excessit in moderamine, quia pro una percussione, non lethali occidit. hæc omnia colliguntur in glo. c. significasti. 11. de homicidijs.

Trigesima octaua regula: Prælatus spiritualis habens iurisdictionem temporalem in suo dominio, si fur, vel latro deprehensus in furto vel maleficijs adducitur ad præsentiam eius, & petitur puniri iuxta condignum sui excessus, non debet ipse personaliter de

hoc cognoſcere,iudicare,aut ſententia re,ſed debet hoc committere ſuo procuratori, dicendo iſta uerba:Fiat iuſtitia, ſed non deſcendo ſpecialiter,qua morte ſit moriturus. ne cler. uel mon. c.ult.lib.6. nec per hoc etiam irregularis, ſi ſequitur ſanguinis pœna. unde poteſt fieri ſpecialis commiſsio ſuper tali caſu,ſed non expreſſa pœna ſecundum Gotfredum. tenet nouellator, in nouella ibidem, ꝙ ſi Epiſcopus, vel prælatus mandat notario ſuo in tali caſu ſcribat commiſsionem procuratori Epiſcopi, uel ſuper his faciat iuſtitiã, talis notarius eſt irregularis.quod probat ex eo, quia talis non habet facere quicquam ex officio ſuæ iuriſdictionis,quòd requirit illa decretalis.Sit ergo Epiſcopus cautus,ut nõ committat iſtam iuriſdictionem laico per ſeipſum immediate,ſed per alium laicum, non autem per clericũ. & ſcias quòd hoc non ſolum ueritatem habet in prælato habente iuriſdictionem temporalem ratione beneficij, ſed etiam ratione patrimonij. ſecundum nouellatorem ibidem,& quòd plus eſt:dicit idem, ꝙ ex quo clerici tales cauſas ſine metu irregularitatis poſſunt alijs delegare, ſatis uidetur quòd ſi laicus talem iuriſdictionem habẽs, ſed probabilem,cauſas ſanguinum terminat: poterit, hoc non obſtante,ordinari,quia non fit irregularis ea ratione. Caueat ergo prælatus,cum interrogatus fuerit à iudice, non reſpondeat: malum eſt, ſi ille malefactor remanſerit impunitus. nam tunc eſſet irregularis.ut de exceſ.præl. ex literis.

Trigeſimanona regula: ſi iudex habens latronem captum, quærit de aliquo perito,quid debeat fieri de tali, & ille reſpondet,talem eſſe morte puniẽdum:uel ſimile, iudex autem ſecutus eius conſilium:latronem punit ad mortem,irregularis eſt conſulens.quãſuit in culpa,in caſu, qui de facto non erat reſpondendus,ut de exceſsibus prælato.ex literis.ſi tamen non eſt de facto, ſed iudex quærit ſimpliciter qualiter tales ſunt puniendi, & clericus reſpondet,quòd ad mortem,uel ad ſanguinẽ, ſi reſpondet ſecundum ueram iuris ſententiam,ut expertus iuriſconſultus,nõ eſt irregularis. & maxime ſi extra iudicium,ut dicit glo.in d. c.ex literis. ſi autem errans in iure dixit,cum tamen aliter iura diſponant,irregularis eſt. ut colligitur per *Gul. in Speculo tit. 2.§.* iuſta propoſitionis. ſi autem qui non reputatur iuriſcõſultus,interrogatus: reſpondet,nõ ut iuriſconſultus,ſed ſimpliciter dicit, quid de talibus ſentiat, nec præſumit, quòd iudex eius ſequatur reſponſionem,non eſt irregularis, ex quo nõ reſpondet ad caſum,quid ſit de facto. nam ſi conſuleret ad caſum de facto, irregularis eſſet ſecundum. Raimun.

Quadrageſima regula:ſuſpenſus ab officio, celebrando,fit irregularis, ut 11.q.3.ſi quis damnatus.& c.ſi Epiſcopus.in Concilio. & licet illi canones loquantur de excommunicato ſcienter, &[in contemptũ clauium celebrante. hodie tamen idem irregularis eſt in ſuſpenſione à diuinis.ut de re iud. cum æterni.& de ſent.excommun. cum medicinalis lib.6.& in hoc caſu ſolus Papa diſpenſat,ut notauit Gul.in Spec. ti. 2.§. nunc de Epiſcoporum uerſ. eſt inquam. Suſpenſus autem à beneficio tantum non fit celebrando irregularis, quia hoc nullo iure cauetur, ſecũdum

Innoc.

Innoc.de elect. cum in cunctis. §. clerici.& c.statuimus.de concess. præben. quia diuersitatem. minori quoque excommunicatione propter participationem excommunicati in locutione, uel similibus ligatus, licet celebrando graiter peccet, non tamen efficitur irregularis, quia hoc nullo iure cauetur, secundum Innocen. immo si medio tempore postquam communicat excommunicato, celebrauerit, bene potest pœnitentia peracta sine Papæ dispensatione celebrare.ut de cler. excommunic. minist.cap.fina.11.q.3.si quis presbyter. Innocen.tamen & Hostien. dicunt, quòd tales non propter suspensionem à iure celebrare prohibẽtur, cum non sint suspensi à iure,nec suspendendi,sed solum propter peccatum, prohibentur, cum fuerint suspensi quo ad Deum à sacramentis,& à promotione. si enim à iure suspensi essent,celebrando,fierent irregulares.per c.cum æterni. de reiud.lib.6. ex quibus omnibus hoc colligitur secundum Abba.distinctionibus suis.& c.si celebret.de cleri. excom.minist. quòd celebrans in mortali peccato non incurrit irregularitatem, post pœnitentiam, & reconciliationem obtentam super peccato mortali vel excommunicatione minori. ex quibus celebrans poterit sine aliqua dispensatione superioris celebrare. nec obstant noua iura. scilicet. c. cum æterni.de re.iud.c.cum medicinalis.de senten. excommun.lib.6.quia loquuntur de illis, qui sunt ingressu ecclesiæ priuati,& à diuinis suspensi, quod non est in istis: cum isti nec ingressu ecclesiæ sint priuati. nec etiam à collatione sacramentorum, sed solum à perceptione sunt suspensi.

Quadragesima prima regula:notorius fornicator à iure suspensus celebrans, non fit irregularis. secundum Guliel.in speculo.tit.2.§. iusta propositionis.nec obstat,quòd quidam dicũt quòd quodlibet peccatum notorium facit hominẽ irregularem, ut de tem. ord.c.quæsitum.hoc enim verum est,si ibi non intelligitur irregularitas, quæ requirit Papæ dispensationem. unde dicit Abbas,vbi;supra,quòd in illa irregularitate, quam quis incurrit ex notoria fornicatione, si in tali celebrat, potest Episcopus dispensare post pœnitentiam.per Capitulum,ac si de litis contestatione, & ita hodie seruatur.& quamuis quidã nimis rigidi, ut Hosti. & Inno.dicant contrarium: tamen non sunt audiendi.3.dist. denique. nec aduertas rationem illam, quam dicunt: omnis suspensus ab officio per canonem,celebrando fit irregularis, ut dicitur in c.cum clerici. de re iud.& cap. cum medicinalis.de sent. excommuni. lib.6.Sed talis est fornicator notorius, vt patet in c. quæsitum, de cohabita. cleri. & multi. & 33. dist. propter hoc ergo efficitur irregularis celebrando. ad hoc respondet audacter secundum Francis.de Zabarellis.in c.vestra, & c. quæsitum. de cohabita.cleri. quòd suspensus à canone celebrans, tunc solum incurrit irregularitatem, quando per modum sententiæ sit à canone suspensus, vt in d.c.cum æterni.lib.6.Sic autem non est in fornicatore notorio, & simoniaco: quia non per modum sententiæ, sed annunciatiue dicitur à canone, quod sint suspensi, vt patet in c. quæsitum.de cohabita.cler. ergo celebrando non fiunt irregulares. de sent. excommu.lib.6. Tene ergo secundum

Franc. quod in canone pœnam imponente dicitur, quòd talis sit suspensus ab officio, vel dicitur: Suspendimus talem ab officio, si hoc fecerit, tũc taliter suspensus celebrans sit irregularis. vt in d.c.cum æterni. Sed si dicitur à canone pœnam approbante, uel anunnciante, seu recitante aliquem esse suspensum, sicut dicitur de fornicatore notorio. in c.quæsitum. vbi tamen recitat notorium fornicatorem esse suspẽsum, talis celebrando non fit irregularis.

Pro isto dicto est famosissimus ille doctor Guido de Baysio. Archid. nuncupatus. 32. dist. ad hæc vero, vbi ipse notat in fine glo. quæ incipit: istud intelligit, quòd notorius fornicator non est principaliter suspensus à canone, sed à Deo. quod patet ex eo, quia quã cito pœnitet, licet celebret. de cohabita. clerico. c. vlt. licet in odium criminis per canonẽs aliquid sit additum, quò ad vitationem eorum, vt scilicet non audiantur ab eis diuina, vt in c. vestra, & in cap. tua. de cohabita. clerico. 33. dist. nulla, & c. præter hæc, & hoc secundum Inno. licet Hosti. notauerit contrarium in speculo. titul. 2. §. iuxta propositionis, & §. nunc de Episcoporum. ver. 26. & hãc tanquam mitiorem puto complectendam.

Quadragesimasecunda regula: suspensus à canone, non propter crimen, sed propter aliquem defectum, ut puta illegitime natus, & corpore vitiatus, non incurrit nouam irregularitatem, si ante obtentam dispensationem celebret, secundum Guliel. in spe. titul. 2. §. iusta propositionis, ver. porro. & idem notatur per Archid. 56. dist. Apostolica, in principio. & hoc seruat curia, quia quando dispensat cum talibus, simpliciter dispensat, super defectu, nulla facta mẽtione de irregularitate, quia nullam incurrunt. 56. dist. Apostolica. & c. Cenomen. de filijs presbyterorum veniens. ideo dicit intelligendum esse speculatorem de illis, qui propter infamiam suspensi sunt à canone. sicut sunt illi, quorum crimina sunt notoria, & qui etiam post per actã pœnitentiam, celebrãt propter scandalum, & infamiam prohibentur, vt in c. fin. de cohabitati. cler. & mu. & de homic. ex literis. c. fin. & tamen ante dispensationem celebrando, nouam irregularitatem non incurrunt, quia hoc non inuenitur iure cautum, secundum Guliel. in specu. vbi supra, & Arch. 56. dist. Apostolica.

Quadragesimatertia *regula*: *suspensus à confessionibus audiendis celebrans ante reconciliationem non efficitur irregularis*, secundum Guielmum, quia hoc inuenitur iure cautum. 11. q. 3. §. euidenter. de hac suspensione habetur. 26. q. 1. & 5. quæst. 6. per totum.

Quadragesimaquarta regula: recipiens beneficium irregulariter, impetrata absolutione super irregularitate, non indiget alia dispensatione super beneficio obtento, secundum Raymũdum, & Guliel. in specu. caueat tamen quilibet, ne in peccato mortali uel suspensione beneficium recipiat, unde securius est, ut talis confiteatur ante receptionem, ne collatio sit uitiosa. secũdum Guliel. in cap. si celebret, de cler. excom. mini. licet hoc sit per durum: est tamen uerum propter rationem ibi positam, quia scilicet non potest in peccato mortali exire ad illa, à quorũ per-

perceptione à ſanctis patribus eſt priuatus, ueruntamen Abbas ibi moderatur hoc, dicens aliter, ſi ipſe recipit illud poſt peractam pœnitentiam, poterit retinere. allegat de tẽpore ordin. quæſitum de ſent. excom. cap. ulti. ſed propter *peccatum enorme*, ut puta propter *homicidium*, ipſo iure perdit *beneficium*, ut notatur per Archid. l. *diſt.* ſtudeat, quæ incipit in glo. hic diſpenſat, ubi dicit glo. quia de iure debet eo carere, quod exponit. Archid. per ſententiam, non ipſo iure Nam homicidiũ nõ inducit ipſo iure priuationem beneficij, ſecundum Bernardum Compoſtellanum, qui ita notauit de electione, quod ſicut in glo. 1. §. ſi uero, uer. c. alia autem. & idem ſentit Inno. dicens, quòd in homicidijs irregularibus cadere poteſt ius cuiuſlibet dignitatis: quia etiam iuſte habeat eam, ſi cum eis fuerit diſpenſatum. & etiã ſine diſpenſatione iuſte tenent prædicti dignitates ſuas quouſque renuncient, *uel deponant*, ſecundum Inno. qui ita notauit, de exceſsibus Prælatorum. ca. cum in principio, contra tamen iſtud dictum faciunt multa iura: ut de clerico pugnante in duello. cap. Henricus. in fine, item. 55. diſtin. ſi euangeliſta. uerſ. in loco cum diſpenſatio requiratur, ut homicida beneficium recipiat, uidetur ſecus de iure communi. Item cum homicida miniſtrare non poteſt, etiam poſt pœnitentiam ſine diſpenſatione. de temp. ordi. quia ſuſpenſus eſt à beneficio, quod datur propter officiũ & ſic etiam accedit. 81. diſtin. eos, & notatur de conſuetu. cum dilectus, in gloſ. ſuſpenſus. tu dic breuiter, quòd hic nulla eſt contrarietas. nam Bernar. & Inno. intelligunt, quòd homicida iuſte tenet, & recipit beneficium, quouſque deponitur per ſententiam, iura autem contrarium inducta dicunt, q̃ debet carere, & priuari beneficio de iure: quia de iuris rigore eſt inhabilis ad illud; non tamen hoc negat, quin hoc fiat per ſniam, & ſic idem ſentiũt.

Quadrageſima quinta regula: presbyter excommunicatus, uel ſuſpenſus ſimpliciter ab ordinibus ſuis adminiſtrans in ordine accolitatus efficitur irregularis ſecundum Guliel. ſecus ſi tãtum à miſſarum celebratione fuerit ſuſpenſus.

Quadrageſima ſexta regula: Clericus in minoribus conſtitutus excõmunicatus miniſtrans Sacerdoti ad altare portando aquam, lumen, & alia ſimilia, non eſt irregularis, ſecundũ Guli. idem putat. de presbytero, diacono, & & ſubdiacono. ratio quia iſta nulli ordini ſunt annexa, cum & per laicos literatos expediantur.

Quadrageſima ſeptima regula Epiſcopus ſuſpenſus à pontificalibus, celebrando in eis, non fit irregularis, quia pontificalia non ſunt de ſubſtantia, ſecundum Guliel.

Quadrageſima octaua regula: ſuſpẽſus ab ingreſſu eccleſię, ſi in ea celebrat irregularis eſt, & ſi in tali ſuſpenſione decidit, non ſepelitur in cemeterio, ut de ſent. excom. is cui lib. 6. notat tamẽ nouella. quòd poteſt in eccleſia audire diuina, ſine metu irregularitatis, ſed non ſine peccato: licet Hugo, & Raymund. aliud notauerint: quorum opinio refutatur per Modernos.

Quadrageſima nona regula: excommunicatus, uel ſuſpenſus baptizans ſolemniter, in ſuper pellicio, & ſtola publice, irregularis efficitur ſecundum

Guliel.

Guliel. secus si aliter. i. simpliciter baptizat, & maxime in necessitate.

Quinquagesima regula: quicúq; nõ potest promoueri ad ordines sine dispensatione, nec etiam ad honores, & quicunque est ineligibilis, irregularis est secundum Guliel. item intellige de omnibus casibus, qui impediunt promouendos, uel deijciunt iam promotos, uel qui pœnam dispositionis merentur. unde regula est, quod quicunq; post per actam pœnitentiam non habent ordinis executionem, irregulares sint, sicut homicidæ. l. distin. §. primo. extra. de simonia. tanta. item excommunicatus, interdictus, suspensus, in contemptum clauium se faciens ordinarij. de sent. ex com. cum illorum. item si etiam præsumit celebrare. 11. quæst. 3. si quis, de uita & honest. clericorum ut clericorum. §. si quis igitur.

Item uiolans interdictum, de excess. Prælatorum. Tantas.

Item falsarius literarum Papæ, de crimine falsi, ad falsariorum. §. 1. talis tamen secundum Inno. si occultus est, post absolutionem, & pœnitentiam po test ordinari: quia nullo iure cauetur, quòd sit infamis ipso iure.

Item hæreticus de purgatione Canõ inter solicitudines, uel exhibentes hæreticis sacramenta. de hæreti. c. excom municamus. §. si uero.

Item, sodomita. de excess. prælato. clerici.

Item presbyter denudans confessio nem de pœniten. & de remiss. omnes. cap. fin.

Item, incorrigibilis, in contumacia perseuerans. de dolo. & contumacia, ueritatis. §. fin.

Item notorium Crimen de iure, uel facto, de tempo. ordinat. cap. fin.

Item utens officio assassinorum, uel defendens receptans, occultans eos, licet mors non sequatur inde. de homi. pro humani. lib. 6.

Item apostata, de apostatis. cap. fin.

Item schismaticus, de schismaticis. cap. 1.

Item intrusus voluntarie per potestatem secularem. 7. quæst. 1. factus de elect. si quis.

Item, omne crimen quod ipso facto inducit infamia ciuilem. 2. quęst. 7. §. porro.

Item infamia descendens ex delicto per sententiam declarato, quia pęna potest demi, *culpa permanente.* 2. q. 3. §. hic coligitur. *infamis est irregularis*, siue infamia, sit iuris, siue facti, ut de accusationibus omnipotens, de testibus testimonium.

Quinquagesimaprima regula: excommunicatus maiori excommunicatione, siue ab homine, siue à iure, scié. ter durante excommunicatione celebrans, semper fit irregularis. & est deponendus. de cleri. excommunicato ministrante. c. latrones, secus, si ignoranter. vt eod. tit. c. apostolica. si autem dubitaret probabiliter de sen. excommunicationis, præsertim quando conscius est de culpa sua, propter quam iuste potuit excommunicari, nescius tamen exponit se discrimini, & celebrat; cum sit excommunicatus, irregularis est. & indiget dispensatione Papæ secundum Guliel. in d. cap. apostolicæ. crassa autem ignorantia in talibus iudicatur, ut si citatus peremptorie, nec iuit, nec misit ad terminum, & sic celebrat, licet nihil de excommunicatione sciat.

Circa

Circa præmissa sciendum, quòd suspensus à iudice siue ad certam diem, siue perpetuo, siue quousque pęniteat, semper, si celebrat, est irregularis: quia talis non deberet celebrare, nisi prius sententialiter absoluatur. sicut sententia suspenditur. in vltimo tamen casu quidam contradicunt. ut 2.q.5.presbyteris. vbi dicitur; quòd talis ad arbitriũ suspendentis facere debet, & si ante absolutionẽ celebrat, irregularis est. & idem de re.iud.dilectus. suspensi vero à Deo, ut sunt omnes peccatores celebrantes in peccatis, non sunt irregulares, licet peccent, nisi celebrarent in criminibus, ut in homicidio, in simonia & similibus, & in quibus etiam actu pœnitentia executio interdicitur, ut supradictum est. suspensi autem ab officio à canone propter crimen, si celebrant, irregulares sunt. & hoc intellige, si suspenduntur à canone pœnam imponente, non autem approbante, ut in c. cum æterni. de re. iudi. lib. 6. quia etiam in minori excommunicatione existentes suspensi sunt à canone non imponente pœnam, sed approbante, & quam cito pœnitent, possunt celebrare, de sent. excommu. nuper. vnde potius dicitur suspensio Dei, quàm canonis: secundum Guliel. & nota secundum. Ioan. Andream in Clemen. 1. de decimis. in glo. super verbo. donec, ꝙ cum aliquis suspendit donec satisfecerit: sufficit iudicis declaratio super satisfactione sine alia absolutione. excõmunicatis vero est necessaria absolutio post satisfactionem. concordat ad hoc glo. Ioan. And. in cap. sæpe. quia de elect. lib. 6. super versiculum. donec plene. vbi dicitur, quòd illi, qui occupant bona ecclesiarum vacantium, & ea distrahunt, tandiu sunt à beneficijs, & officijs suspensi, donec ea plene restituerint. vt notauit Ioan. And. 81. dist. si qui. propterea sciendũ est, quòd secundum glo. 26. distin. de inde infamia, & irregularitas contracta ante baptismum, tollitur post baptismum, & hoc si prouenit ex proprio delicto. quia dona baptismi sunt sine omni pœnitentia, & satisfactione, vt de consec. dist. 4. sine. Si enim peccatum non deletur, quantum ad infamiam, adhuc post baptismum obesset, quod negat Ambro. 26. dist. vna. Vnde si aliquis occidit mille homines ante baptismũ, omnis infamia, & irregularitas tollitur. vt 51. dist. si quis potest acceptum. vt patet de Paulo, qui ante baptismũ fuit homicida, & tamen postea sanctus est apostolus, ut 1. dist. §. econtra, Huic tamen dicto aduersantur doctores. nã Archid. in dicto c. deinde, dicit, quòd bene est infamia, ex quo non descendit, nisi ex peccato deletur in baptismo. sicut & peccatum sed non irregularitas, quæ non fundatur super peccato. vnde ita irregularis est, qui occidit cum peccato, sicut qui occidit sine peccato: vt iudex. ne clerici. ne monachi. cap. sententiam, & bigami, & corpore vitiati. & ita ipse Inno. notauit de diuortijs. ipse tamen notauit. de hom. c. presbyterum, quòd homicidium ante baptismum, siue ex officio, siue ex voluntate fecerit homicidium, non est post baptismum irregularis, quia omnis sequela peccati deleta est. Sed Gotfredus de cõuersione infideliũ. c. j. notauit, ꝙ peccatũ, & sequela peccati bene delentur in baptismo. sed nõ defectus, siue impedimentũ. prima via cõmuniter approbatur. Speculator tamen,

men,in tit.de dispẽsationibus.§.3.vers. is, autem videtur declinare.&c.

Cautelæ circa prædicta obseruandæ.

PRima cautela est : Episcopus aut quilibet iudex non potest, neque debet excommunicare vniuersitatem, vel collegium,& hoc ideo, ne innocentes puniantur cum nocentibus, ut dicitur in cap. Romana de senten. excommun.lib.6.Interdici tamen possunt Innocentes cum nocentibus de sponsal. non est.& hoc ideo,quia ibi non est tantum periculum animæ,sicut in excommunicatione , quæ est æternæ mortis damnatio , per quam quis traditur Satanæ,vt supra dicitur .

Secunda cautela ; caueat iudex,ne ferat sententiam excommunicationis, nisi præmissa monitione. si tamen hoc fecerit:licet sententia sit iusta : tamen punitur lator pœna.cap.sacro.de senten.excommun. scilicet suspensione ab ingressu ecclesiæ intra mensem .

Tertio caueat , ne ferat sententiam excommunicationis,suspensionis , uel interdicti,pro futuris delictis , puta si tale quid fecerit,nec pro præsentibus, sed sub ea forma , si de illis intra talem terminum minime satisfecerit , vt in c. Romana.excommun.lib.6. unde secundum Ioan.And.in nouella. super d. c. ualde ridiculosum esset, si diceret prælatus: Excommunico Petrum , si furtũ fecerit,si adulterium commiserit,cum tamen ad talia paratus sum,uel suspectus,si tamen mora , causa , uel culpa præcesserit,bene potest excommunicari sub illa forma, exemplum , ut quia de mora condemnatus : in actione personali non soluit intra quatuor menses, ut debuit, postea iudex debet præcipere,ut soluat intra certum tempus,alias sit excommunicatus , hic enim mora præcessit.similiter de culpa,ut *quia ne*gligenter fuerunt clerici in diuinis officijs dicendis,poterit iudex dicere.Excommunico omnes , qui non intersunt canonicis horis , hic enim culpa præcessit.Similiter de offensa, ut in coniugato,qui tenuit concubinam,separatur ab ea , ne excommunicetur, si vlterius redeat ad ipsa , alias ; præter istos casus , iudex non debet ferre sententiam excommunicationis sub certo termino. & cap.vnde male faceret , si statim post condemnationem factam in persona iudex præciperet intra certum tempus ferendæ sententiam excommunicationis , cum tamen *non præcessit* mora , & in *hoc sæpissime iudices nostri temporis excedunt modum , ideo* hæc dixi pro generali doctrina .

Dispensatio censurarum .

CIrca dispensationem dictarum censurarum,sciendum est , quòd licet secundum quosdam doctores , Episcopus non possit dispensare super irregularitate , & alijs defectibus, nisi vbi expresse sibi à iure permittitur, secundum Gulielmum nazonem,Gotfredum, Ioan.de Deo,& Inno.(alias) secundum istos Episcopus dispensans in casibus sibi à canone expresse non permissis videtur impugnare canones, vel eos tollere) tu tamen dicas,quòd vbicunque expresse à canonibus potestas dispensandi non prohibetur episcopis : episcopi possunt dispensare,& hoc dictum per doctores communius approbatur , ita dicunt Ioan.Lauren. Hugo.Bernar.& Guliel.in spec.tit.de dispensationibus.§.nunc.de episcoporum.& ille famosissimus Doctor Dominus Archid.l.dist.de præmissis,vbi late

late prosequitur istam materiá improbando opinionem contrariam, qui etiam dicit dominum suum Hostiensem dixisse, quòd in his, in quibus peccatum mortale est secundum legem diuinam, sicut in furto, rapina, ut 14.q. 5. si quid. & c. multi. & ea q. 6. si res. in his vero, in quibus peccatum mortale est, secundum ius positiuum, ut ibi est episcopis vel inferioribus à Papa interdicta dispensatio, nullus dispensat, nisi solus Papa, vel is, cui specialiter commiserit. Si vero non est interdicta potestas dispẽsandi: tunc potest. hæc Archid. pro ista sententia faciunt multa iura, ut de hæret. excommunicamus. §. sanc. de sent. excommu. nuper. & cã nobis. & cap. cum illorum, & de spon. cum apud. 16. q. 1. sunt nonnulli. ff. ex quibus cau. maiores. l. necnon. §. 1. iam & apostolum dicit: Omnia mihi licent. 11. q. 1. aliud. & ex his patet, quàm lata sit potestas Episcoporum. quia omnia possunt, nisi expresse prohibeantur.

ASPERSIO AQVAE BENEDICTÆ, quid significet, & quis eam instituit.

SAcerdos in dominicis diebus celebraturus, alba, & stola paratus, prius, quàm planetam induat, ut liberius vacare possit: aquam ex institutione Alexandri Papę primi benedicit: altare, ecclesiam, & populum aqua benedicta conspergit, vt omnis spirituum immundorũ spurcitia tam de habitaculo, quam de cordibus fidelium propellatur. Hæc enim virtus, aquæ exorcizatæ in est, & etiam quia omnis christianorum populus baptismatis sacramento renatus: ita ministerio aquæ tota renatorum corpora diluit, sicut sanguis agni à prisco populo ad repellendum percussorem in postibus ponebatur: vnde in canone Alexandri ita legitur: Aquam sale aspersam, populis benedicimus, ut ea cuncti aspersi sanctificentur, & purificentur: quod & omnibus sacerdotibus faciendum esse mandamus: nam si cinis vitulæ aspersus populum sanctificabat, atque mundabat à venialibus: multo magis aqua sale aspersa, diuinisque precibus sacrata populum sanctificat, & mũdat à venialibus: & si sale aspersa per Elisæum sterilitas aquæ sanata est, quanto magis diuinis precibus sacratus sal sterilitatem rerum aufert humanarum, & coinquinatos sanctificat, & purificat, & cetera bona multiplicat, & insidias diaboli auertit: & à phantasmatis versutijs homines defendit. rursus tunc sacerdos iustus Tabernaculum aspergit; dum Dei misericordiam petit. Ciprianus quoque Papa ait: Ideo homines aqua benedicta asperguntur, quia valet ad sanctificationem: vnde scriptura per Ezechielem dicit: Aspergam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus immunditijs vestris, & dabo vobis cor nouum, & spiritum nouum in vobis. item Numer. 19. Qui tetigerit cadauer hominis, siue humanæ animæ morticinum, id est à morte cadens, & propter hoc octo diebus fuerit immundus, & aspergatur ex hac aqua, die tertia, & septima, & sic mundabitur à peccato. si enim aspersus die tertia non fuerit, septima non poterit emundari, & c. quidam tamen præmissa referunt ad aquam baptismi.

Aqua cur benedicatur qualibet Die Dominica.

AQua igitur in memoriam baptismi omni dominica benedicitur, præter quam in Pascha: & Pentecost. quia in sabbatis dominicas illas præcedentibus benedictis fontibus, ante chrismatis infusionem aquæ recipitur, & ad aspergendum nos, & domos reseruatur, sicut in canone cautum habetur. Ex aqua ergo benedicta nos, & loca in significatione baptismi aspergimus: nec aspergimur, ut rebaptizemur sed ut gratiam diuini nominis cum memoria baptismatis inuocemus: & licet in dictis duabus dominicis aspergatur altare: non tamen tunc cantatur antiphona: Asperges me domine, &c. quia tunc potius lugendum nobis est, cum recolimus nos esse à Christo mundatos, per suæ supplicium passionis: iusta illud: Memoria memor ero, & tabescet in me anima mea. In dominicis ergo diebus, ante missam, & maius altare tantum, & totus populus aspergũtur, quamuis in nocturnis, & vesperis omnia altaria, vel saltem pręcipua thurificentur.

Aquæ asperſio variè fit.

COnsiderandum est, quòd huiusmodi aspersio alia ratione fit super populum, & super altaria: quia enim concluſit Deus omnes sub peccato saltem veniali: quia septies in die cadit iustus: idcirco ipse populus ecclesiam ingrediens, diuinis insistere intendens, ipsa aquâ sanctificata aspergitur: quæ videlicet ad quotidiana delenda: sicut & cinis vitulæ in veteri testamento, secundum quod, qui immũdus erat, prohibebatur ecclesiam ingredi: donec aqua lauaretur. Altare enim aspergitur propter reuerentiam sacramenti, quod ibidem consecrandum est, ut inde omnium malignorum spirituum, præsentia arceatur: & quèadmodum Christus per altare, quod esse debet lapideum, significatur secundum illud Apostoli: Petra autem erat Christus: & fides nostra de vno Christo, & non de pluribus est. idcirco vt signum signato respondeat, vnico altari aspersо, vniuersus aspergitur populus: quia ipse solus est.

Aqua Benedicenda cur sale condiatur.

POrro aqua cum benedicitur, sal admiscetur, quod ab Eliseo sumpsit exordium: & fit hoc ad notandum, ꝙ populus per aquam intellectus, vt sanctificari possit per Sacerdotis officiũ, verbo Dei imbuitur: quod per salem significatur. Fit ter crux super aquam, & salem: quia docetur populus sanctæ trinitatis gratias pro sua eruditione, at ꝙ redemptionè referre. per aquam quoque confessio, per salem amaritudo significatur. ex aqua mixta geminus partus procedit, scilicet diuisio, seu separatio delictorum, & ortus uirtutum, ac bonorum operum.

Sal cur benedicatur prius, quàm aqua.

SED quare prius benedicitur sal, quàm aqua, respondeo: Per sal intelligitur amaritudo pœnitentiæ: per aquam baptismus: quia ergo cordis contritio debet præcedere absolutionem, & pœnitentia baptismum: ideo prius benedicitur sal, quàm aqua.

De

De varijs benedictionibus, & primo de Aqua benedicta.

BENEDICTIO AQVAE

℣. Adiutorium nostrum in nomine domini.
℟. Qui fecit cœlum, & terram.

Deinde incipit absolute exorcismus salis.

EXorcizo te, creatura salis per Deum † viuum: per Deum † verum: per Deum † sanctum: per Deum, qui te per Elisæum Prophetam in aquam mitti iussit, vt sanaretur sterilitas aquæ: vt efficiaris sal exorcizatum in salutem credentium, vt sis omnibus sumentibus à te sanitas animæ, & corporis: & effugiat, atq; discedat à loco, in quo aspersum fueris, omnis fantasia, & nequitia, vel uersutia diabolicę fraudis adiuratus per eum, qui venturus est iudicare viuos, & mortuos, & seculum per ignē.
℟. Amen. *Oratio.*

IMmensam clementiam tuam, omnipotens æterne Deus, humiliter imploramus: vt hāc creaturam salis, quā in usum generis humani tribuisti benedicere, & sanctificare tua pietate digneris: ut sit omnibus sumentibus salus mentis, & corporis: & quicquid ex eo tactum, uel respersum fuerit, careat omni immunditia, omnique impugnatione spiritualis nequitiæ, per dominum nostrum Iesum Christum, qui tecum uiuit, & regnat in unitate spiritus sancti Deus per omnia secula seculorum. Amen.

Exorcismus aquæ, & dicatur absolutè.

EXorcizo te Creatura aquæ in nomine dei † Patris omnipotentis, & in nomine Iesu Christi † Filij eius domini nostri, & in uirtute sancti † Spiritus: vt fias aqua exorcizata ad effugandam omnem potestatem inimici, & ipsum inimicum eradicare, & explantare ualeas cum angelis suis apostaticis: per uirtutem eiusdem domini nostri Iesu Christi: qui venturus est iudicare uiuos, & mortuos, & seculum per ignē.
℟. Amen. *Oratio.*

DEus, qui ad salutem humani generis, maxima quæque sacramenta in aquarum substantia condidisti: adesto propitius inuocationibus nostris, & elemento huic multimodis purificationibus pæparato, uirtutem tuæ bene † dictionis infunde: ut creatura tua misterijs tuis seruiens, ad ambigēdos demones, morbosque pellendos, diuinæ gratiæ sumat effectum: ut quicquid in domibus, uel in locis fidelium, hæc unda respersérit, careat omni immunditia, liberetur à noxa: non illic resideat spiritus pestilens, non aura corrumpens: discedant omnes insidiæ latentis inimici: & si quid est, quod aut incolumitati habitantium inuidet, aut quietis, aspersiõe huius aquæ effugiat, ut salubritas per inuocationem sancti tui nominis expetita, ab omnibus sit impugnationibus defensa. p dominum nostrum. &c.

Hic mittat sal in aquam in modum crucis, dicendo semel:

COmmixtio salis, & aquæ pariter fiat in nomine Pa†tris: & Fi†lij, & Spiritus † Sancti, Amen.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo. Oremus.

Oratio.

DEus inuictæ virtutis auctor, & insuperabilis imperij, ac semper ma-

magnificus triumphatur: qui aduersæ dominationis vires reprimis: qui inimici rugientis sæuitiam superas: qui hostiles nequitias potenter expugnas: te domine trementes & supplices deprecamur, ac petimus: vt hanc creaturam salis, & aquæ dignanter aspicias: benignus illustres: pietatis tuæ more sancti†fices: vt vbicunque fuerit aspersa, per inuocationem sancti tui nominis, omnis infestatio immundi Spiritus abigatur: terrorque venenosi serpentis procul pellatur: & præsentia sancti Spiritus nobis misericordiam tuam poscentibus, vbique adesse dignetur, per dominum nostrum &c.

Finita benedictione, Sacerdos celebraturus, indutus pluuiali coloris officio conuenientis, accedit ad altare: & ibi ad gradus cum ministris genuflexus, accipit à diacono aspersorium: & primo ter aspergit altare, deinde se, & ministros, incipiens antiphonam: Asperges me, & chorus prosequitur. Domine hissopo. &c. vt infra: interim celebrans aspergit clerum deinde populum dicens Psalmum: Miserere mei deus. cum Gloria patri. *Antiphona.*

ASperges me domine hissopo, & mundabor: lauabis me, & super niuem de albabor.

Psalmus.

MIserere mei Deus, secundum magnam misericordiam tuam.

℣. Gloria patri, & filio, & spiritui sancto.

℟. Sicut era in principio, & nũc, & semper, & in secula seculorum, Amen.

Et repetitur antiphona: Asperges me domine, vt supra, excepto tempore paschalis, scilicet à dominica Paschæ, vsque ad Pentecosten, quo tempore cantatur Antiphona:

VIdi aquam egredientem de templo à latere dexto, Alleluia: & omnes, ad quos peruenerit aqua ista, salui facti sunt, & dicent Alleluia, Alleluia. Gloria patri &c.

Et repetitur Antiphona: Vidi aquã, &c. postea ante altare stans dicat:

℣. Ostende nobis domine misericordiam tuam.

℟. Et salutare tuum da nobis.

℣. Domine exaudi orationem meam

Et clamor &c.

Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo. Oremus.

Oratio.

EXaudi nos, domine sancte pater omnipotens, æternæ Deus: & mittere digneris sanctum angelum tuum de cælis, qui custodiat, foueat, protegat, visitet, atque defendat omnes habitantes in hoc habitaculo, per Christum dominum nostrum. Amen.

BENEDICTIO AGNI Paschalis.

℣. Adiutorium nostrum in nomine domini.

℟. Qui fecit cœlum, & terram.

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

DEVS, qui per famulum tuum Moysem, in liberatione populi tui de AEgipto agnũ occidi iussisti in similitudinem domini nostri Iesu Christi, vt vtroque postes domorum de sanguine huius agni perungi præcepisti: ita bene†dicere, & sanctifi†care digneris hanc creaturam carnis, quam nos famuli tui ad laudem tuam

tuam ſumere deſideramus: per reſurrectionem domini noſtri Ieſu Chriſti, qui tecum viuit, & regnat in ſecula ſeculorum. Amen.

Et mox aſpergat aqua benedicta.

BENEDICTIO PANIS.

℣. Adiutorium noſtrum in nomine domini:

℟. Qui fecit cœlum & terram.

Dominus vobiſcum.

Et cum ſpiritu tuo.

DOmine Ieſu Chriſte, panis angelorum, panis viuus, & æternæ vitæ, bene†dicere dignaris panem iſtum, ſicut benedixiſti quinque panes in deſerto: vt omnes ex eo digne guſtantes, inde corporis, & animę deſiderabilem percipiant ſanitatem, per Chriſtum dominum noſtrum. Amen.

Aſpergatur aquâ benedicta.

BENEDICTIO NOVORVM fructuum.

BEnedic † domine hunc nouum fructum. N. & præſta: vt qui ex eo in tuo ſancto nomine veſcetur, corporis, & animæ ſalute potiatur per dominum noſtrum Ieſum Chriſtum filium tuum, &c.

Aſpergatur aqua benedicta.

BENEDICTIO AD quodcunque comeſtibile.

℣. Adiutorium noſtrum in nomine domini.

℟. Qui fecit cælum, & terram.

℣. Dominus vobiſcum.

℟. Et cum ſpiritu tuo.

BEnedic † die domine creaturam iſtam. N. in remedium ſalutare generi humano: & præſta per inuocationem ſancti nominis tui: vt quicunque ex ea ſumpſerint, & corporis ſanitatem, & animæ tutelam accipiant. per dominum noſtrum &c.

Aſpergatur aqua benedicta.

BENEDICTIO candelarum.

℣. Adiutorium noſtrum in nomine domini.

℟. Qui fecit cœlum, & terram.

℣. Dominus vobiſcum.

℟. Et cum ſpiritu tuo.

DOmine Ieſu Chriſtæ filij Dei viui bene†dic candelas iſtas ſupplicationibus noſtris: infunde eis domine per virtutem ſanctæ cruſcis benedictionem cæleſtem, qui eas ad repellendas tenebras humane generi tribuiſti: talemque benedictionem ſignaculo ſanctæ cruſcis accipiant, vt quibuſcunque locis accenſæ, ſiue appoſitæ fuerint, diſcedant principes tenebrarum, & contremiſcant, & fugiant pauidi cum omnibus miniſtris ſuis ab habitationibus illis: nec preſumant amplius inquietare, aut moleſtare ſeruientes tibi omnipotenti Deo, qui uiuis, regnas in unitate ſpiritus S. Deus &c.

Poſt modum aſpergantur aqua benedicta.

BENEDICTIO LOCI.

℣. Adiutorium noſtrum in nomine domini.

Qui

℟. Qui fecit cœlum,& terram.
℣. Dominus vobiſcum.
℟. Et cum ſpiritu tuo.

BEne† dic domine Deus omnipotens locum iſtum: vt ſit in eo ſanitas, caſtitas, victoria, virtus, humilitas, bonitas, & mãſuetudo, plenitudo legis,& gratiarum actio Deo Patri,& Filio,& Spiritui Sancto: & hæc benedictio maneat ſuper hunc locum, & ſuper habitantes in eo, per Chriſtum dominum noſtrum. Amen.

Aſpergatur aqua benedicta.

BENEDICTIO nouæ Domus.

TE Deum patrem omnipotentem ſuppliciter exoramus pro hac domo,& pro eius habitatoribus, ac rebus: vt eam bene† dicere, & ſanctificare, ac bonis omnibus ampliare digneris: tribue eis domine de rore cæli abũdantiam,& de pinguedine terræ, vitæ ſubſtantiam, & deſideria voti eorum ad effectum tuæ miſerationis perducas: ad introitum ergo noſtrum bene† dicere, & ſanctificare digneris hanc domum, ſicut benedicere dignatus es domum Abraham, Iſaac, & Iacob: & intra parietes domus iſtius Angeli tuę lucis inhabitent, eamque, & eius habitatores cuſtodiant, per Chriſtum dominum noſtrum. Amen.

Aſpergatur aqua benedicta.

BENEDICTIO THALAMI.

℣. Adiutorium noſtrum in nomine domini.
℟. Qui fecit cælum,& terram.
℣. Dominus vobiſcum.
℟. Et cum ſpiritu tuo.

BEnedic † domine Thalamum hũc: & omnes habitantes in eo, in tua pace conſiſtant,& in tua uoluntate permaneant,& ſeneſcant, & multiplicentur in longitudine dierum, per Chriſtum dom. noſtrum. Amen.

Poſtea aſpergat Thalamum aqua benedicta.

NOVAE NAVIS benedictio.

℣. Adiutorium *noſtrum in* nomine domini:
℟. Qui fecit cęlum, & terram.
℣. Dominus vobiſcum.
℟. Et cum ſpiri tuo.

PRopitiare domine ſupplicationibus noſtris, & bene† dic nauẽ iſtã dextra tua ſancta,& omnes, qui in ea uehentur, ſicut dignatus es benedicere Arcam Noe ambulãtem in diluuio; porrige eis domine dexteram tuam, ſicut porrexiſti beato Petro ambulanti ſupra mare: & mittere ſanctum Angelum de cęlis, qui liberet, & cuſtodiat eam ſemper à periculis vniuerſis, cum omnibus, quæ in ea erunt: & famulos tuos, repulſis aduerſitatibus, portu ſemper curſuque tranquillo tuearis, tranſactiſque, riteque perfectis negocijs omnibus, iterato tempore ad propria cum omni gaudio reuocare digneris per dominum noſtrum Ieſum Chriſtum &c.

Aſpergat nauim aqua benedicta.

Benedictio, ſiue terror contra tempeſtatem, & turbinem, probata & confirmata:

firmata: in modum crucis extensæ sint manus tuæ tuæ contra nubes. & dic Pater noster noster, & Aue maria, & Credo in Deum patrem omnipotentem.

DOmine Iesu christe, qui cœlū, & terram creasti, aquas Iordanis benedixisti, in quibus baptizari voluisti, manus in cruce extendisti, & totum mundum redemisti. bene† dicere digneris hanc nubem, quā video ante me positam, vt ibi nulla potestas demonum in se ipso præueniēs nocere possit. bene† dicat te Deus pater, benedicat te Filius, benedicat te Spiritus sanctus. Diuidat te Deus Pater † diuidat te Filius † diuidat te Spiritus sanctus † Destruat te Pater † destruat te Filius † & destruat te Spiritus sanctus † adnihilet te Pater † adnihilet te Filius † adnihilet te Spiritus sanctus. † Amen † in nomine Patris † & Filij † & Spiritus sancti. Amen. †

EXORCISMI CONTRA DAEMONIACOS diuersorum sanctorum

Approbati, & magnæ efficaciæ incipiunt.

QVoniam ad officium sacerdotum pertinet vexatis à dæmonibus per sibi ab ecclesia traditam potestatem; quantum in se est, per diuinam gratiam manus imponere, & dæmones, tam christianos baptizatos, quàm catechumenos vexantes ad iurare, exorcizare, & expellere, de eorum corporibus subsequenter ponunt incalce huius operis exorcismi sanctorum, quos cum puritate conscientiæ & magna humilitate legere debent: nihil sibi; sed omnia dei virtuti, & ecclesiasticæ potestati attribuendo. Sed ante quam deueniatur ad exorcismum, pro informatione exorcizantis notanda sunt quædam præambula valde opportuna, quæ sunt sequentia, videlicet:

Exorcista vnde dicatur, & quis inuenerit modos exorcismi.

EXorcista secundum Isidorum 20. dist. clericos. greca vox est: latine verò adiurans, siue increpans vocatur.

Refert Iosephus Regem Salomonē modos exorcismi, idest coniurationes adinuenisse, quibus immundi spiritus ab homine obsesso per Eleazarum exorcistam pellebantur.

Christus huiusmodi officium exercuit, quando de Maria Magdalena septem demonia eiecit. Mar. 16. Luc. 7.

Dæmon cur ingrediatur in humana corpora. Cap. 1.

DIabolus ingreditur in humana corpora propter desperationem; aut propter aliud peccatum: aliquando permittitur ad exercitationem.

Primi modi duo sunt ad vindictam domini Dei, secundum sanctum Hieronymum super Iohelem, ut habetur. 23. q. 5. non solum.

Tertius modus est ad salutem animæ, sicut legitur de aliquibus sanctis, qui fuerunt vexati à dæmonibus vsque ad finem vitæ eorum.

Modus quem tenet dæmon ad intrandum in humana corpora.

ANtequam ergo diabolus humana corpora ingrediatur, quasi semper, primo aparet eis in effigie alicuius hominis, qui mala morte est defunctus, aut repræsentat aliquem suũ consanguineum: aut apparet illi in effigie alicuius animalis terribilis, uel horribilis. & si videtur, quòd subito dispareat, sed ingreditur subito in eũ. & hoc, vt plurimum accidit in nocte, & in locis opacis, & obscuris. & in talibus oppressis appárent signa: quæ infra dicemus: Aliqui etiam intrát per os: aut aures: in modum venti: aut in modum vnius muris: sicut narrauerũt talia patientes. Aliquibus etiam dormientibus dæmones tale somnium induxerunt: quod videlicet eis videbatur, quod dæmon post eos currebat: qui euigilantes inuenti sunt cum talibus signis dæmonia eorum: videlicet, quod diabolus erat in eis, ut post modum clare apparuit. aliquando etiam ingrediuntur percutiendo collum, aut alia membra eorum.

De maleficijs. c. 2.

IN omnibus autem maleficijs est pactum, aut manifestum, aut secretũ: quod habet diabolus cum malefico: secundum, quòd currit sigillum maleficij: quod quasi semper est res vana. Facto maleficio, subito diabolus aut præsentialiter, aut potestatiue ingreditur in illam personam, supra quam factum est dictum maleficium: & hoc est ab aliquòd occultum Dei iudiciũ. Verum si esset aliqua persona sancta, & pura, sicut erat beata Iustina, nihil possent dęmones contra ipsam. De his autem longius, & diffusius tractatur in summa Syluestrina: & in summa Astesana, & libro magistri Ioannis nider: qui dicitur Præceptorium diuinæ legis de decem præceptis. his adiungo; quod illa ossa, & pęnnæ insertæ vna in alia: & multa, & quasi infinita talia: quæ in lectis inueniuntur à dæmone deportata: sicut clare fuit deprehensum, sunt extrahenda, & igni comburenda, dum dicitur Psalmus: Exurgat. nec sequenda est illa superstitio, quam vulgus ponit de mittendis talibus rebus inuẽtis ad fluuium currentem. hoc anno fuit quadam iuuencula, contra quam quotidie fiebant maleficia. quæ ea, quæ inuenit in lecto, igni combusit. Cui sequẽti nocte diabolus apparuit, & ei quere latius est de tot orationibus, quas faciebat, & quòd combusserat ea, quæ inuenerat, quam iniuriam nemo ei alias fecerat. cui iuuencula Spiritu sancto repleta uiriliter respondit, ab eo petens ad quid uenisset. Qui respondit, quòd violenter illuc missus fuerat.

De signis, quibus cognoscitur aliquis esse dæmoniacus cap. 3.

LEgitur, quòd si quis non potest cõtinuare esum carnis hedinæ per dies triginta, quòd talis iudicatur demoniacus.

Aliqui dæmoniaci habent oculos terribiles, & dæmones membra corũ, & corpus destruunt miserabiliter, & interficiunt: nisi cito eis subueniatur.

Aliqui fingunt se esse fatuos: & semper augentur. Sed discooperiuntur, & cognoscuntur, si nolunt dicere Psalmum: Miserere mei Deus. & Qui habitat, aut Euangelium sancti Ioannis, scilicet, In principio erat verbum, & similia sancta.

Est

Est etiam magnum signum, quando loquuntur sermonem alienum à patria sua: si non fuerunt extra patriam, & quando personæ illiteratæ idiotæ loquuntur liberaliter, & congruenter: aut etiam cantant musicaliter: aut quã do dicunt aliquid, quod ipsi nunquam dicere sciuissent.

Aliqui etiam dæmoniaci sunt muti, & *stupidi*. aliud quoque signum est, & eis superueniunt terrores, & cito recedunt, potissimum autem cognoscitur quis esse dæmoniacus, si, quando leguntur exorcismi, conturbatur: & hoc signum est præsentis diaboli, sicut infra dicemus.

De signis, quibus cognoscitur quis esse maleficiatus. c. 4.

ALiqui maleficiati habent colorem faciei cedrinum, aliqui oculos constrictos omnia eorum membra videntur ligata: & habent humeros desiccatos. Duo autem potissima signa sunt, constrictio cordis, & oris stomachalis, & quando videtur eis, quòd habent vnum bolum super stomachum.

Aliqui habent puncturas in corde, tanquam si acubus esset punctum.

Aliqui videntur sibi cor eius corrodi.

Aliqui habent magnum dolorem in collo, aut renibus: & videtur eis, quòd talia membra à canibus lacerentur.

Aliquibus videtur bolus in gutture ascendens, & descendens.

Quibusdam ligata est vena generationis.

Aliqui habent stomachum ita indispositum, quòd emittunt per vomitum quicquid comedunt, & bibunt.

Aliquibus per ventrem discurrit ventus frigidissimus: aut tanquam flamma ignis.

Aliquibus signum est ex indigestione cibi: & potissimum quando medicinæ applicatæ nihil prosunt infirmo.

Aliquibus est circa collum continua pulsatio, quæ videtur tremorem inferre. Vltra hæc signa sunt etiam alia quam plurima: quæ practicando inuenies.

Conditiones exorcistæ: & quauter se præparare debet. cap. 5.

DAEmoniaci, & maleficiati citius liberantur in ecclesia, quàm in priuatis domibus, & prius debent confiteri. Laudo, quòd exorcista sit Sacerdos: qui debet esse homo vitæ sanctæ, bene confessus, & contritus: & super omnia humilis: opus hoc diuinæ omnipotentiæ attribuẽdo, & hortetur infirmum, ut omne adiutorium à diuina maiestate expectet, à se autem nihil, nisi modicum laboris, qui etiam est ex gratia Dei. non sit etiam auarus: quia petendo pecunias, aut expectando, perderet donum tantæ gratiæ, tamen si pauper est, securè potest recipere eleemosynam sibi datam. in illa die omnino celebret prius: quia diabolus plus timet manuum impositionem, & præsentiam suam.

De signis, quæ apparent, quando Sacerdos coniurat maleficiatum. cap. 6.

EXorcista moneat dæmoniacũ, vel maleficiatũ, quòd recolligat mẽtem suam, & eam ad Deum dirigat cum firma fide, & spe liberationis suæ à diuina maiestate, si expedit saluti animę suæ. & habeat crucifixum in manibus suis: & ponat reliquias sanctorum ligatas in panno serico super cor

eius, aut ſuper ſtomachum: & ipſe faciat ſignum cum manu, quotieſcunque ſenſerit in aliqua ſui corporis parte commoueri, aut pungi. & hoc, ut ſacerdos non conturbet, ſed ut ſciat ad quæ verba magis diaboli conturbentur. & finita illa coniuratione petat eum ſacerdos de accidentibus, quæ ſibi contigerunt. Hæc ſigna ſolent accidere, quando ſacerdos ponit manum ſuper caput: quia ſentiunt ſub manu rem frigidiſsimam, tanquam glaciem.

Aliquibus deſcendit ventus per humeros, & renes: qui eſt frigidiſsimus.

Aliquibus caput in immenſum aggrauatur.

Aliquibus cerebrum conſtringitur, & perforatur: ſicut ſi gladio percuteretur.

Aliquibus inflammatur caput, & facies, & aliquando tota perſona ac ſi eſſet vapor ignis.

Aliquibus febris immenſa cum dolore capitis euenit, & totum corpus extenuatur, & tangitur. Sed omnia iſta accidentia parum durant: quia coniuratio tollit dæmonis vigorem.

Aliquibus conſtringitur guttur, adeo, quod videtur ſtrangulari.

Aliquibus ad orificium ſtomachi mouetur quędam res ad modum pilę, ac ſi eſſent vermes, ac formicæ, aut ranæ. quibuſdam accidit vomitus magnus ſtomachi.

Aliquibus maxima tortura in viſceribus.

Nonnullis venter vehementer inflatur.

Quibuſdam conſtringitur cor: ac ſi intolerabiliter feriretur. oſtenditur etiam dæmon in aliqua parte corporis palpitando; ſicut piſcis, aut in modum formicarum.

Aliquando pertranſit à capite vſq; ad digitos pedum, ſicut ventus, & è contra. vltra iſta ſigna complura alia practicando videbis: quia diuerſi dæmones faciunt diuerſa ſigna.

De modo, quem tenet, diabolus ad egrediendum de corporibus.

Cap. 7.

SI fuerint diaboli, qui loquuntur, coniura eos, quòd dimittunt corpus illud liberum, & expeditum, ſicut erat, quando fuit baptizatum. & fac eum dare ſignum diſceſſus, per extinctionem *candelæ*. *Si vero ſint diaboli*, qui non loquantur, *ſicut inuenitur* in maleficiatis, exeunt aliquando per os in modum flammę ignis: aliquando *in* modum venti congelati. & in exitu videbis inflari guttur. egrediũtur etiam per aures: ſimili modo deſcendentes à ſtomacho, ſeu corde.

Aliqui exeunt per ſeceſſum in ſimilitudinem pilæ, quæ ſemper giratur, donec exeat.

Aliqui in ſimilitudinem ranæ: quæ ſerpit, donec fuerit egreſſa.

Aliqui in ſimilitudinem venti frigidiſsimi.

De malitijs, & deceptionibus, quibus vtuntur dæmones ad exorciſtam decipiendum.

Cap. 8.

ALiqui dæmones tantum odio habent verba ſancta, quòd antequam coniurentur, diſcedunt.

Alij expectant coniurationem, ſed poſtea non poſſunt ea ſuſtinere.

Aliqui autem ſunt adeo mali, quòd faciunt fatigari exorciſtam per magnũ temporis ſpatium, ut appareat infirmo,

mo, quòd non sit dæmoniacus: & ut faciant fatigari, & pati exorcistam.

Aliqui postea quam sunt manifestati abscondunt se, & relinquunt corpus liberum ab omni fastidio, taliter, quòd infirmus putat se esse omnino liberatum. Sed non debet cessare exorcista, donec viderit signa liberationis.

Aliqui dæmones ponunt omnia impedimenta, quæ possunt, infirmo, ut non se faciat coniurare. Quidam conantur per suadere, quòd sint infirmitates naturales, & quòd ista res est vna truffa.

Aliqui in medio coniurationis faciunt dormire infirmum: & ostendunt ei aliquam visionem crucifixi, vel aliorum sanctorum, subtrahendo se, vt stent secreti, & ostendunt infirmum liberatum.

Aliqui ostendunt maleficium factũ super ipsum, & auctores maleficij, & modum ad illud dissipandum. Sed sit cautus exorcista, ne faciat aliquam superstitionem. non mireris si diabolus in susceptione sacramenti eucharistiæ dæmoniacum non conturbet: quia post quam intrauit, paulatim despicit, & non timet sancta, immo loquitur misteria fidei sanctæ, & confitetur diuinam maiestatem. & supponit personam vexatam, & ei loquitur in corde, & facit eam perturbari pro re minima.

Maius tibi dico, quod aliqui dæmones post longam vexationem factã alicui personæ, si non expelluntur, loquuntur per os eius, quasi semper, & cessant ei nocere postea tandem deprehenduntur.

QVI POTEST EXORCIzare; & de modo, quem tenere debet exorcista inconiurandа aliquando persona. Cap. 9.

NOtandum autem est, quòd quilibet sacerdos, & maxime parochialis, & quilibet diaconus, aut subdiaconus si sibi fuerit commissum per Episcopum, vel presbyterum, potest exorcizare. Hoc etiam potest quilibet purus exorcista de commissione, vt supra. & si sacerdos, vel diaconus exorcizant: debent habere super albam, vel super pellicium, stolam: si vero subdiaconus, manipulum: si accolitus, vel exorcista super pelliceum: idest cottam tantum. volens igitur sacerdos dæmones expellere, vel ad iurare per potestatem sibi traditam, debet primo seipsum mundare per humilem, & legitimam confessionem suorum peccatorum, & missa celebrata. Si persona dæmoniaca, vel maleficiata est sana, ducatur ad ecclesiam: quia ibi facilius obtinebitur victoria, & si fuerit infirma, vel multũ debilis coniuretur in domo, hoc modo: Habeat exorcista super pelliceum, & stolã, & ponat partẽ stolæ collo maleficiati, & reliquias sanctorum super cor eius, aut super orificium stomachi, postea incipiat exorcismum. & quando peruenerit ad comminationem, replicet ipsam vsque decies: semper pœnam augendo, & si uidet profectum in ipsa, continuet vsque ad liberationem. & si magis timeret exorcismũ, lege illum: quia unus dæmon plus timet vnam rem, quam aliam, & non deficias à fine, sed oportet perseuera-

re duabus,tribus,quatuor,aut ſex horis continuè, & plus donec habeas victoriam. & dæmones obſtinati ſemper quærunt defatigare exorciſtam, ut deſinat pro labore, & laſsitudine exorcizare. & plus timent in prima, quàm in ſecunda uice:quia reputant ſe fuiſſe cõſecutos uictoriam: quando dimittit propter laſsitudinem exorcizare,& ſi in prima die non fuerit liberatus, perſequatur ſecundo & tertio: quouſque liberetur ex toto, quia videbis quotidie dæmones magis debilitari.ſint etiã præſentes fideles: qui etiam orent Deum pro infirmo.debet exorciſta ante omnia facere præceptum dæmonibus alijs,qui ueniſſent ad ſuccurrendũ dæmoni uexanti in hunc modum: Præcipio uobis demones: qui ueniſtis in ſuccurſum & adiutorium iſtius, uel iſtorum dæmonum:hanc Dei Creaturam. N. vexantis, uel vexantium: ex parte Sanctiſsimę Trinitatis, Patris,& Filij, & Spiritus † ſancti, & ſub pœna excommunicationis maioris & minoris latæ ſententiæ, & ſub pœna detruſionis in infernum,& ſub pœna immerſionis in ſtagnum ignis, & ſulphuris per manus inimicorum veſtrorum, & ſub pœna tradendi vos in poteſtatem inimicorum veſtrorum: ac condemnãdi uos in ſtagnũ ignis, & ſulphuris per centum annos: quatenus nullum adiutorium uel fauorem detis illis dæmonibus, qui uexãt corpus iſtius Creaturæ Dei. N. ſed diſcedatis,ſtatim, & eatis ad loca vobis deputata.Ecce † Crucẽ domini:fugite partes aduerſę,uicit leo de tribu iuda,radix Dauid.

Exorcizaturus igitur, facta diligenti cõfeſſione,& habita abſolutione, indutus ſacris ueſtibus pro ſui ordinis qualitate, ſeipſum corde humilians, & peccatorem reputans nec in ſua, ſed domini potentia confidens,deuote,attente,coſtanter,fideliter, & intrepide faciens ſibi ſignum Crucis in ſua fronte ter dicens:

INnomine Pa † tris, & Fi † lij, & Spiritus † ſancti. Amen.

¶ *Ponat manũ ſuper caput dæmoniaci, & eam continue tenens humiliter dicat, non ſolum uerbo tenus, & ſuperficialiter: ſed cum bona fide ſequentes exorciſmos:*

¶ *Incipit exorciſmus Beati Ambroſij Archiepiſcopi mirabilis efficaciæ ſuper dæmoniacos: cuius practica proprie ſpectat ad ſcerdotes. tu igitur, quicunque fueris, nulla leuitate ductus, ſed ſola neceſſitatis, uel charitatis cauſa hanc rem diſponas aſſumere arduã: & oportet quòd, præmiſſo trium dierum ieiunio tertio.mane diligenter cum contritione confeſſus Miſſam de Spiritu ſancto deuotiſſime celebres,faciendo in ipſa miſſa commemorationem de infraſcriptis orationibus.* Oremus.

DEus,qui per unigenitum tuum exclusa dominatione Diaboli, populum tuum fidelem aptaſti: expelle (quæſumus) à famulo tuo. N. cunctas diabolicæ illuſionis inſidias, & cũ illibatum ab omni eius impugnatione conſerua, per eundem dominum. &c.

Secreta.

MVnus,domine,humilitatis noſtrę pro petitione famuli tui. N. oblatum, petimus, ut gratanter aſſumas, & ab eius oppreſsione hoſtis maligni inſidias, omnemque poteſtatem benignus excludas, per dominũ noſtrum Ieſum Chriſtum, &c.

Poſt Communio.

CAEleſtis Panis,quem ſumpſimus domine, & nobis indulgentiam tribuat:

tribuat;& famulum tuum. N. ab antiqui hostis irritione defendat,per dominum nostrum Iesum Christum &c.

Completa Missa, sacerdos non exuat se, sed sit paratus missalibus indumentis: Candelam benedictam accensam in manu tenens, stet in medio ante Altare, facie uersa ad populum: habens obsessum ante pedes ligatum,si necesse fuerit: & humili corde,deuotoque aspectu se ,& assantes muniat Signo Crucis alta uocè dicendo:

IN nomine Pa † tris, & Fi † lij, & Spiritus † sancti. Amen.

℣. Domine exaudi orationem meã.

℟. Et clamor meus ad te ueniat.

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum Spiritu tuo. Oremus.

Oratio.

OMnipotens domine,uerbum Dei Patris,Christe Iesu, Deus,& domine vniuersæ creaturæ, qui sanctis Apostolis tuis dedisti potestatem calcandi super serpẽtes,& scorpiones:qui inter cætera mirabilium tuorum opera dignatus es docere dæmones effugare, cuius virtute uictus tanquam fulgur de cælo Satanas cecidit:tuum nomen cum pauore, & tremore supplex deprecor: ut mihi indignissimo seruo tuo data uenia peccatorum, confidentiam, & possibilitatem donare digneris:ut hunc crudelem draconem, brachij tui munitus potentia, fideliter,& securus aggrediar per te,Iesu Christe domine Deus noster, qui viuis, & regnas cum eodẽ Patre in unitate &c.

Hac oratione completa,aspergat ægrotum aqua benedicta in modum Crucis dicendo:

IN nomine Pa † tris, & Fi † lij, & Spiritus † sancti. Amen.

℣. Domine exaudi orationem meã.

℟. Et Clamor meus ad te ueniat.

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum Spiritu tuo. Oremus.

Oratio.

OMnipotens æterne Deus, à cuius facie cæli distillant: mõtes sicut cera liquescunt:terra tremit: cui parẽt abissi:quem Infernus pauescit: quem omnis terrarum motus aspicit, humiliter te supplex deprecor dominator domine, ut inuocatione nominis tui, ab huius famuli tui. N. vexatione anima liberata, ad auctorem suæ salutis recurrat: liberatoremq; suum diabolico depulso fætore, & odore suauissimo spiritus sancti percepto: sequatur dominum nostrum Iesum Christum filiuum tuum,qui tecum viuit.&c.Oremus

Oratio.

DOmine sancte pater omnipotens, æterne Deus, uirtutem tuam totis exoro gemitibus,pro huius famuli tui. N. a diabolo oppressa infantia: qui etiam indignis inter pressuras præsidium donas:exurge pro huius infantia bellata,noli diu retinere vindictã, qui nec ante conspectum parentis permisisti filium iudicari:auxiliare (quæsumus) inimici furore vexato: nec sine gratia facias eius animam à diabolo possideri:Sed potius à maligni oppressionibus liberata tibi referat gratias sempiternas.per eundem, qui uenturus est iudicare viuos,& mortuos,& seculum per ignem. Amen.

Postea dicat:

℣. Adiutorium nostrum in nomine domini.

℟. Qui fecit cælum, & terram.

℣. Sit nomen domini benedictum.

℟. Ex hoc nunc,& vsque in seculum.

Ecce

℣. Ecceecruſcem domini: fugite partes aduerſæ.
℟. Viuit leo de tribu iuda.
℣. Deum, qui te genuit, dereliquiſti.
℟. Et oblitus es dñi Creatoris tui.

Pſalmus.

EXurgat Deus, & diſsipentur inimici eius: & fugiant, qui oderunt eum à facie eius.

Sicut deficit fumus deficiant: ſicut fluit cera à facie ignis, ſic pereant peccatores à facie Dei.

Et iuſti epulentur, & exultent in conſpectu Dei, & delectentur in lætitia.

Cantate Deo, Pſalmum dicite nomini eius; iter facite ei, qui aſcendit ſuper occaſum: dominus nomen illi.

Exultate in conſpectu eius: turbabuntur à facie eius patris orphanorum, & iudicis viduarum.

Deus in loco ſancto ſuo: Deus qui habitare facit vnius moris in domo.

Qui educit vinctos in fortitudine: ſimiliter qui exaſperant eos, qui habitant in ſepulcris.

Deus cum egredereris in conſpectu populi tui, cum pertrãſires in deſerto.

Terra mota eſt: etenim cæli diſtillauerunt à facie Dei Sinai: à facie dei Iſrael.

Pluuiam voluntariam ſegregabis Deus hæreditati tuæ, & infirmata eſt: tu vero perfeciſti eam.

Animalia tua habitabunt in ea: paraſti indulcedine tua pauperi Deus.

Dominus dabit verbum euãgelizantibus: virtute multa.

Rex virtutum dilecti dilecti: & ſpeciei domus diuidere ſpolia.

Si dormiatis inter medios cleros: pennæ columbæ de argentatæ: & poſteriora dorſi eius in pallore auri.

Dum diſcernit cæleſtis reges ſuper eam: niue dealbabuntur in ſelmon, mõs dei, mons pinguis.

Mons coagulatus, mons pinguis: ut quid ſuſpicamini montes coagulatos?

Mons, in quo beneplacitum eſt deo habitare in eo: etenim dominus habitabit in finem.

Currus dei decem millibus multiplex, millia lætantium: dominus in eis in ſina in ſancto.

Aſcendiſti in altum, cepiſti captiuitatem: accepiſti dona in hominibus.

Etenim non credentes: habitare dominum deum.

Benedictus *dominus die quotidie*: proſperum iter faciet nobis deus ſalutarium noſtrorum.

Deus noſter, deus ſaluos faciendi, & domini domini exitus mortis.

Veruntamen deus confringet capita inimicorum ſuorum, verticem capilli per ambulantium in delictis ſuis.

Dixit dominus, ex Baſam conuertam: conuertam in profundum maris. Vt infingatur pes tuus in ſanguine: lingua canum tuorũ ex inimicis ab ipſo.

Viderunt ingreſſus tuos deus: ingreſſus dei mei, regis mei, qui eſt in ſancto.

Præuenerunt principes cõiuncti pſallentibus: in medio iuuencularum tympaniſtriarum.

In eccleſijs benedicite Deo domino: de fontibus Iſrael.

Ibi Beniamin adoleſcentulus: in mẽtis exceſſu.

Principes Iuda duces eorum: principes zabulon, & principes nephtalim.

Manda deus virtuti tuæ: cõfirma hoc deus, quod operatus es in nobis.

A templo tuo in Hieruſalem: tibi offe-

offerent reges munera.

Increpa feras arundinis: congregatio taurorum in uaccis populorum: vt excludant eos, qui probati sunt argẽto.

Dissipa gentes, quæ bella uolunt: venient legati ex ægypto: AEtiopia prœueniet manus eius deo.

Regna terræ cantate Deo: psallite domino.

Psallite Deo, qui ascendit super cælum cæli: ad orientem.

Ecce dabit voci suæ vocem virtutis: date gloriam Deo; super Israel magnificentia eius, & virtus eius in nubibus.

Mirabilis Deus in sanctis suis: Deus Israel dabit virtutem, & fortitudinem plebi suæ: benedictus Deus.

℣. Gloria patri, & filio & spiritui sancto.

℟. Sicut erat in principio, & nunc, & semper &c.

Kirie eleison. Christe eleison. Kirie eleison. Pater noster. & ne nos &c. sed libera. &c.

℣. Saluum fac seruum tuum.

℟. Deus meus sperantem in te.

℣. Mitte ei domine auxilium de sancto.

℟. Et de Syon tuere eum.

℣. Esto ei domine turris fortitudinis.

℟. A facie inimici.

℣. Nihil proficiat inimicus in nobis.

℟. Et filius iniquitatis non apponat nocere ei.

℣. Domine exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo. Oremus.

Oratio.

DEus Angelorum, Deus Arcangelorum, Deus Prophetarũ, Deus Apostolorum: Deus Martyrum: Deus Virginum: Deus pater domini nostri Iesu Christi inuoco nomen tuum, ac præclare maiestatis tuæ clementiam, supplex exposco: ut mihi auxilium præstare digneris aduersus hunc nequissimum spiritum, & omnem, qui uexat hoc plasma tuium; per eundem dominum nostrum &c.

EXORCIZATIO.

EXorcizo te omnis immundissime spiritus, omnis incursio aduersarij, omnis ira, omne phantasma, omnis legio *(In fronte)* in nomine domini nostri Iesu †Christi eradicare, explãtare, & effugare ab hoc plasmate Dei: ipse tibi imperat diabole, qui ventis, & mari imperauit, & tempestatibus. ipse tibi imperat: qui te de supernis cælorum in inferiora terræ demergi præcepit.

Hic petit Sacerdos nomen spiritus, & præcipit ei hoc modo dicens:

PRæcipio tibi, quicunque es spiritus immunde in hoc corpore per merita gloriosæ passionis, resurrectionis, & ascensionis domini nostri Iesu Christi: per missionem spiritus sancti: & per aduentum eius: vt ostendas, & dicas mihi nomen tuum: diem, & horam exitus tui cum signo extinctionis luminis.

Iterum præcipio tibi per merita gloriosæ Virginis Marię matris Dei, sanctij Zenonis: sancti Ambrosij: & sancti Geminiani: sancti Petri martyris: & sanctæ Catherinæ de Senis, & omnium Sãctorum, & Sanctarum Dei: vt ostendas, & dicas mihi nomen tuum: & diem, & ho-

horam exitus tui cum signo extinctionis luminis.

Iterum præcipio tibi sub pœna excommunicationis maioris, & minoris, & auctoritate beatorum Apostolorum Petri, & Pauli, & aliorum successorum ipsius beatissimi Petri Apostoli: ut ostendas, & dicas mihi nomen tuum, & diem, & horam exitus tui: cum signo extinctionis luminis.

Et si responderit, quod plures sint: tunc in plurali prosequere coniurationem, & præceptum supradictum. Si vero non responderit, vel responderit se esse solum, tunc sequere in singulari, ut prius.

AVdi ergo maledicte Satana: audi, & time victus, & prostratus abscede. † in nomine domini nostri Iesu † Christi. tu ergo nequissime Satanas inimicus fidei: aduersarius generis humani: mortis auctor: vitæ raptor: iustitiæ declinator: malorum radix: fomes vitiorum: seductor hominum: proditor gentium: incitator inuidiæ: origo auaritiæ: causa discordiæ: excitator dolorum; dæmonum magister: quid stas, & resistis, cum scias cum tuas perdere vires: Illum metue; qui in Isaac immolatus est; in Ioseph venundatus, in Agno occisus: in homine crucifixus: deinde inferni triumphator extitit gloriosus. Recede.

Nunc fit signum in fronte sic:

DA locum spiritui sancto: per hoc signum cru † cis domini nostri Iesu † Christi. qui cum eodem Patre in vnitate eiusdem Spiritus † sancti viuit, & regnat deus per omnia secula seculorum. Amen.

℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo. Oremus.

Oratio.

DOminus noster Iesus Christus dei, & virginis filius, qui in hunc mundum apparuit, ut opera diaboli dissolueret, & dissiparet, & discipulis suis, quos mittebat in vniuersum mundum ad prædicandum Euangelium omni creaturæ, potestatem dedit super omnia dæmonia: vt languores curarent per inuocationem sui sanctissimi nominis: & per impositionem manuum nostrarum, ipse per suam misericordiam, & pietatem: & per merita; & preces beatissimæ virginis mariæ matris suæ; & omnium sanctorum, & sanctarum dei, dignetur dissoluere à te omne opus diaboli, ut de cætero non dominetur tibi inimicus, neque maledictus Satanas creatura damnata, & reprobata, & maledicta à deo in æternum propter suam nequitiam audeat vexare corpus tuum, aut animam tuã, non perturbare sensus tuos interiores; vel exteriores, nec illudere tibi aliqua illusione, vel persecutione fantastica, sed plene liberatus à potestate Satanæ cum bono sensu, & sapientia: cum sanitate mentis, & corporis sciat, te ipsum gubernare irreprehensibiliter per bona opera: in laudem, & gloriam sanctissimi nominis domini nostri Iesu Christi, & beatissimæ virginis Mariæ matris eius: & saluationem animę tuę: & consolationem tui, & tuorum in nomine Pa † tris, & Fi † lij, & Spiritus † sancti. Amen.

℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo. Oremus.

Oratio.

Oratio.

DEus conditer, & defensor humani generis: qui hominem ad imaginem, & similitudinem tuam formasti: respice super hunc famulum tuum: N. qui diabolus inuidi serpentis appetitur: quem vetus aduersarius hostis antiquus terrę formidinis horrore circumuolat: & sensum mentis humanæ stupore defigit: terrore conturbat: & metu trepidi timoris exagitat. Repelle domine virtutes diaboli: fallacesq; eius insidias amoue: procul impius tẽtator aufugiat. sit nominis tui si † gno (*In fronte*) famulus tuus, & anima tutus, & corpore. (*In pectore*) Tu pe † ctoris huius interna custodias. Tu vi † scera regas. Tu cor † confirmes in anima aduersatricis potestatis tentamenta euanescant. Da ad hanc inuocationem nominis tui gloriam: ut qui hucusque terrebat territus aufugiat, & victus abscedat: tibique possit hic famulus tuus. N. & corde firmatus, & mente sincerus debitum præbere famulatum, per dominum nostrum Iesum Christum filium tuum, qui tecum viuit, & regnat in vnitate eiusdem spiritus sancti Deus per omnia secula seculorum. Amen.

Hic interroga de nomine, vt supra, & præcipe. Si vero an dicat nomen dæmonis, vel dæmoniorum: qui opprimunt corpus obsessi, dic in aure obsessi ter hunc versiculum.

DEVM, qui te genuit, derequisti: & oblitus es domine creatoris tui.

Tunc, siue responderit, siue non, fideliter, & sine intermissione prosequere coniurationem.

CONIVRATIO.

ADiuro te serpens antique per iudicem viuorum, & mortuorum, per factorem mundi: per eum, qui habet potestatem mittendi te in gehennam: ut ab hoc famulo dei, N. qui ad ecclesiæ suæ currit præsidia, festinus descedas. Ad iuro te, non per meam infirmitatem, sed per virtutem spiritus sancti: vt exeas à famulo dei, N. quem dominus Iesus Christus fecit ad imaginem, & similitudinem suam. Cede, cede, non mihi, sed ministro Christi, illius enim te vrgeat potestas: qui te affixus (*In fronte*) cruci suo subiugauit imperio. illius bra † chium contrem. isce: qui de cunctis gemitibus inferni animas iustorum ad lucem perduxit. sit tibi terror corpus hominis: sitque tibi terror imago dei: nec resistas, nec moreris discedere ab homine isto, quia complacuit deo, ut in homine habitaret, & ne me infirmissimum contemnendum putes: dum me peccatorem esse cognoscis. † Imperat tibi Deus † imperat tibi maiestas Christi. † imperat tibi deus pater † imperat tibi filius. † imperat tibi spiritus sanctus †. imperat tibi fides apostolorum Petri, & Pauli, & ceterorum apostolorũ †. imperat tibi sanguis martyrum. † imperat tibi sacramentum (*In fronte*) crucis. † imperat tibi misteriorum virtus. † imperat tibi Iesus Nazarenus. † imperat tibi Verbum caro factum. † exi transgressor: exi seductor plene omni dolo, & fallacia: veritatis inimice. da locum durissime: da locum impijssime: da locum Christo: in quo nihil inueneristi de operibus tuis nefandis: qui te expoliauit: qui regnum tuũ de-

destruxit: qui te victum ligauit: & vasa tua diripuit: atque te proiecit in tenebras exteriores: vbi tibi cum ministris tuis: erit preparatus interitus. sed quid truculente recogitas? qui temerarie retractas: reus omnipotenti deo. cuius statuta transgressus es, reus Iesu Christo filio eius, quem temerarie ausus es tentare, & crucifigere præsumpsisti: reus humano generi: cui tuis persuasionibus mortis fructum propinasti.

Initium sancti Euangelij secundum Ioannem.

IN principio erat verbum, & verbum erat apud Deum: & Deus erat verbum. hoc erat in principio apud Deū. omnia per ipsum facta sunt: & sine ipso factum est nihil, quod factum est. in ipso vita erat: & vita erat lux hominū & lux in tenebris lucet: & tenebræ eam non comprehenderunt. Fuit homo missus à Deo cui nomen erat Ioannes. Hic venit in testimonium, ut testimonium perhiberet de lumine. Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mūdum. In mundo erat, & mundus per ipsum factus est; & mundus eum non cognouit. In propria uenit: & sui eum non receperunt. Quot quot autem receperunt eum: dedit eis potestatem filios Dei fieri his, qui credunt in nomine eius. qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex uoluntate uiri, sed ex Deo nati sunt. Et uerbum caro factum est: & habitauit in nobis. & vidimus gloriam eius: gloriam quasi unigeniti à patre: plenum gratiæ, & ueritatis.

Si adhuc non receperit, tu humilius, & attentius prosequere: & nunquam moraris propter nugas: aut quascunque verba falsa diaboli.

℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo. Oremus.

Oratio.

DOmine sancte pater omnipotens, æterne Deus: Osanna in excelsis: pater domini nostri Iesu Christi: qui illum refugam tyrannum, gehennę ignibus deputasti: quique vnigenitum in hunc mundum misisti: vt illum rugientem contereret: velociter attende: accelera, vt eruas hominem ad imaginem, & similitudinem tuam creatum à ruina, & dæmonio meridiano. da domine terrorem super bestiam: quæ exterminat vineam tuam, da fiduciam domine seruis tuis contra nequissimum draconem fortissime stare. Non contemnat domine sperantes in te: & de tua misericordia præsummentes: ne dicat, sicut in Pharaone iam dixit: Deum non noui, & Israel non dimittam. Vrgeat illum domine dextera tua potens, discedere à famulo tuo. N. de diutius præsumat captiuum tenere hominem: quem tu ad imaginem tuam facere dignatus es & in fine seculi per sanguinē filij tui redemisti. Per eundem dominum nostrum Iesum Christum filium tuum: qui tecum uiuit, & regnat in vnitate spiritus sancti &c.

CON-

CONIVRATIO.

ADiuro te itaque draco nequissime in nomine † (*In fronte.*) agni immaculati: qui ambulat super aspidem & basiliscum: qui conculcat leonem, & draconem: vt discedas ab homine † (*In fronte*) isto: discedas ab ecclesia Dei. † (*Ista crux fiat super circunstantes.*) Contremisce, & fuge inuocato nomine illius: quem inferni tremunt: cui virtutes cœlorum, & potestates subiectæ sunt, quem Cherubin, & Seraphin indefessis vocibus laudant dicentes: Sanctus, Sanctus, Sanctus dominus Deus Saboth. imperat tibi Iesus Nazarenus: qui te (cum discipulos eius contemneres) elisum, & prostratum exiri iussit ex homine, quo præsente cum te ab homine separasset, nec porcorum gregem præsumebas cõtingere. Recede ergo nunc adiuratus in nomine † eius (*In fronte.*) ab homine isto: quem ipse plasmauit. Durum est tibi Christo uelle resistere: Durum est tibi contra stimulum calcitrarem; quia quanto tardius exis, tanto maius tibi supplicium crescit: quia non hominem contemnis: sed illum, qui est dominator viuorum, & mortuorum, qui vẽturus est iudicare viuos, & mortuos, & seculum per ignem. ℟. Amen.

Sequentia sancti Euangelij secundum Marcum.

℟. Gloria tibi domine.

IN illo tempore: Recumbentibus vndecim Discipulis, apparuit illis, & exprobrauit incredulitatem illorum, & duritiam cordis: quia his, qui viderant eum resurrexisse à mortuis, non crediderant. & dixit eis: euntes in mundum vniuersum, prædicate Euangelium omni Creaturæ. qui crediderit, & baptizatus fuerit: saluus erit. qui verò non crediderit, condemnabitur. signa autem eos, qui crediderint, hæc sequentur: In nomine meo dæmonia eijcient, linguis loquentur nouis, serpentes tollent, & si mortiferum quid biberint, nõ eis nocebit, super ægros manus imponent, & bene habebunt. & dominus quidem Iesus, post quam locutus est eis, assumptus est in cœlum, & sedet à dextris Dei. illi autem profecti prædicauerunt ubique, domino cooperante, & sermonem confirmante, sequentibus signis.

Si adhuc non recesserit spiritus malignus, aut superius non responderit, præcipe, vt supra. Item interroga qua causa venit, & quare opprimit eum. interroga etiam si sint alij spiritus opprimentes, & quot, & omnes eijciantur. esto prudens & circunspectus in interrogationibus, ne decipiaris. Magis stude cum humilitate mentis: quæ ad talia est necessaria: liberare creaturam dei, quàm loqui cum dæmonibus, uel cum aliquo eorum: sicut fecerunt sancti. Demum factis interrogationibus, si non recesit, siue responderit, siue non, prosequere confidenter coniurationem sequentem.

CONIVRATIO.

ADiuro te omnis immundissime spiritus: omne phantasma: omnis incursio Satanæ:

in nomine Ie†su Christi Nazareni: qui post lauacrum Iordanis in desertum ductus est: & te in tuis sedibus uincit: vt quem ille de limo terræ ad honorem gloriæ suæ formauit: tu desinas impugnare: & in homine miserabili non humanam fragilitatem, sed imaginem omnipotentis dei contremiscas. Cede† ergo deo, qui te, humiliato famulo suo Iob, in seruitutem redegit. Cede† Deo, qui te per Danielem puerum suum perdidit, & draconem prostrauit. Cede† Deo: qui te per fidelissimum seruum Dauid: de Rege Saule spiritualibus canticis pulsum fugauit. Cede† Deo: qui te per malitiam tuã in Pharaone, & eius exercitu: per Moysen seruum suum in abissum demersit. Cede† Deo: qui te in Iuda Iscarioth proditore dãnauit. ille enim te diuinis angit verberibus, in cuius cõspectu cum tuis legionibus tremens, & clamans dixisti: Quid nobis, & tibi Iesu filij Dei; veniisti ante tempus torquere nos, ille te flammis perpetuis vrget: qui in finem temporum dicturus est impijs: Ite maledicti in ignem æternum: quẽ præparauit Pater meus Diabolo, & Angelis eius. Tibi enim impie & Angelis tuis vermes erunt: qui nunquam morientur. Tibi, & angelis tuis in extinguibile pręparatur incendium: quia tu es princeps maledicti homicidij. tu auctor incestus: tu sacrilegorum caput, tu artium pessimarum magister, hæreticorum doctor: tu totius obscænitatis inuentor. exi† ergo impie. exi scelerate, exi† cum omni fallacia tua: quia (*In fronte.*) hominem templum suum voluit esse Deus sed quid diutius moraris hic? Da honorem Deo† Patri omnipotenti: Cui omne genu flectitur. da locum domino Iesu† Christo, qui pro homine sanguinem suum sacratissimum fudit. Da locum Spiritui† sancto: qui per beatum apostolum suum Petrum manifeste te strauit in Simone Mago: qui fallaciam tuam in Anania, & Saphira condemnauit, qui te in Herode rege honorẽ Deo negante, percussit: qui te in Elima mago per Apostolum suum Paulum cæcitatis caligine perdidit: & per eundẽ de Phytonissa verbo imperans exire præcepit. Discede ergo nunc† discede seductor† tibi eremus sedes est habitatio serpens est: humiliare, & prosternernere. *iam non est:* differendi tempus. *ecce enim dominator dominus proximat cito:* & ignis ardebit ante ipsum: & prę-cedet, & inflammabit in circuitu inimicos suos, si enim homines fallis: Deum non poteris irridere. ille te eijcit cuius oculis nihil occultum est. ille te expellit: cuius uirtuti uniuersa subiecta sunt. ille te excludit: qui tibi, & Angelis tuis præparauit æternam gehennã de cuius ore exiet gladius bis acutus. qui uenturus est iudicare uiuos, & mortuos: & seculũ per ignem. Amen.

In nomine Pa†tris, & Fi†lij, & Spiritus† sancti. Amen. Chri† stus vincit. Chri† stus regnat, Chri† stus imperat.

Sequentia Sancti Euangelij secundum Lucam. Gloria tibi domine.

IN illo tempore: Reuersi sunt septuagintaduo Discipuli cum gaudio dicentes. Domine etiam dæmonia

subij-

ſubijciuntur nobis in nomine tuo? & ait: Videbam Satanam, ſicut fulgur de cælo cadentem. ecce dedi uobis poteſtatem calcandi ſuper ſerpẽtes, & ſcorpiones, & ſuper omnem uirtutem inimici: & nihil uobis nocebit. Veruntamen in hoc nolite gaudere, quia Spiritus ſubijciuntur vobis. Gaudete autem, quia nomina veſtra ſcripta ſunt in cælis.

ERgo maledicte diabole, Creatura damnata, & reprobata, & maledicta à Deo in æternum propter tuã nequitiam, Spiritus immunde ubicunque latitas in corpore iſtius. N. recognoſce ſententiam tuam, & cognoſce ſententiam iuſtiſsimæ damnationis nequitiæ tuæ, & licet in victus, & coactus contra tuam nequiſsimam voluntatem, da honorem Deo viuo, & vero: da honorem Ieſu Chriſto filio eius domino, & Saluatori noſtro: da honorem ſpiritui ſancto: & recede ab hoc famulo Dei. N. & nunquam de cetero ad ipſum accedas: quia iſtum ſibi Deus, & dominus noſter Ieſus Chriſtus ad ſuam ſanctam gratiam, & benedictionẽ, fontemq; baptiſmatis dono ſuæ gratiæ vocare dignatus eſt. & hoc ſignum cru † cis: quod nos *(In fronte)* eius damus: tu maledicte diabole damnate, atque damnande, ſpiritus immunde, nunquam audeas violare: per nomen, & per virtutem eiuſdem domini noſtri Ieſu Chriſti, qui venturus eſt iudicare viuos, & mortuos, & ſeculum per ignem.

AVdi maledicte Satana: audi creatura damnata, & reprobata, & maledicta à Deo in æternum propter tuam nequitiam. audi ſpiritus immunde, vbicunque latitas in corpore iſtius. N. adiuratus per nomen æterni Dei, & Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti cum tua victus inuidia tremens, gemensque diſcede nihil tibi commune ſit in iſto famulo Dei. N. da igitur honorem aduenienti ſpiritui ſancto: qui ex ſumma cœli arce deſcendens perturbatis fraudibus tuis: diuino fronte purgatum pectus ſanctiſsimum Deo templum, & habitaculum perfecit: & ab omnibus penitus noxijs præteritorum criminum in baptiſmate liberauit: ut ſic perenniter Deo gratias referat ſemper: & benedicat nomen eius ſanctum in ſecula ſeculorum. Amen.

Si adhuc his dictis fatigatur oppreſſus, tunc ſequere, & dic:

℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.

Oremus.

OMnipotens ſempiterne Deus. pater domini noſtri Ieſu Chriſti: te ſuppliciter deprecamur, ut imperes diabolo: qui hunc famulum tuum. N. detinet, ut ab eo diſcedat: & libera eum, qui credit in verum liberatorem dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, ut purgatus ab omni late iniquitatis maieſtati tuæ pura mente deſeruiat, per eundem dominum noſtrum. &c.

His expletis, ſi ſpiritus immundus non receſſerit: reincipiendum eſt ab illo loco ſupra in hoc exorciſſimo, vbi ſic habetur.

OMnipotens ſempiterne Deus hãc ouem tuam de faucibus Lupi:

pi: tua virtute ſubtractam: paterna recipe pietate, & gregi tuo reforma pia benignitate. ne de familiæ tuæ damno inimicus exultet: ſed de conuerſione, & liberatione eius: eccleſia tua, ut pia mater de filio reperto gratuletur. per Chriſtum dominum noſtrum. ℟. amẽ.

Oremus.

Deus, qui hominem ad imaginem tuam conditum miſericorditer repa-ras: quem miſerabiliter creaſti: reſpice propitius ſuper hunc famulum tuum: vt quod huius ingnorantiæ neceſsitate; hoſtili, & diabolica fraude ſurreptum eſt; & altaribus ſacris recepta veritatis tuæ communione reddatur. per Chriſtum dominum noſtrum. ℟. Amen.

FINIS.

SECVNDA PARS
SACERDOTALIS,
PRO EPISCOPIS, ET PRAELATIS.

Tractatus visitationum.

PRIMO quæritur, quid sit visitatio, seu visitare proprie sumendo: Respondeo, quòd est curare, vt pacata, & quieta sit prouincia, aut dioceſis, vel alia loca subiecta prælatis, quod non difficulter obtinetur, si solicite agatur, vt malis hominibus prouincia purgetur. nam & sacrilegos, latrones, plagiarios, & fures debent, & prout quisque deliquerit, in eum animaduertere, receptoresque eorum coercere: sine quibus latro, vel hæreticus &c. diutius latere non potest. l. obseruare in principio. ff. de officio præsi. quies enim populorum, & disciplina speculatorum ad ipsos spectat. ff. de offic. perfect. urb. l. 1. §. quies, habent interdum etiam non solum curare hoc circa subiectos, sed etiam circa extraneos homines, si quid malum commiserint. nam & in mandatis principum est, vt curet is, qui prouinciæ præest, malis hominibus prouinciam purgare. nec distinguitur vnde sint. l. 3. in fi. & ibi not. ff. eod. licet hæc conditio vix possit adimpleri, vt not. in d. l. obseruare. & de offic. l. c. 2. lib. 6. concor. canon. 6. q. 3. placuit. & habetur. de offi. ord. c. 1. in glo. 2. de simon. in c. licet. in glo. quomodo prælatus debet facere & de sent. excom. c. a nobis. 1. & c. excommunicamus. 1. de hære.

Visitatio quid est.

EX hac descriptione infero, quòd visitatio est quædam licita generalis inquisitio de vita, & moribus subditorum. facit. l. 2. §. si publico. de adulte. & l. 2. c. de adulte. & c. qualiter; & quando de accusa. & hæc in subditis obseruari debet: & diligenter in prælatis obseruanda. quia quasi signum sunt positi ad sagittam, & quia non possunt omnibus complacere: cum ex officio suo teneantur non solum arguere, sed etiam interdum suspendere: nonnunquam vero ligare. vnde frequenter odium multorum incurrunt, & insi-

dias patiuntur. c. qualiter. & quando de accusa. 1. & eius studium in alias solicitudines esse debet in capienda vulpecula.c. inter. de purga.c. cum & pater filium, quem diligit, corripere debeat.cap.cum in iuuentute.& 5.q.8. non osculatur.& 24.q.5.non putes.Infero.secundo, quòd visitatio est quoddam iurisdictionis exercitium:tam voluntarie,quando in uolentes quam cõtentiose,quãdo in inuitos. est enim de lege iurisdictionis, ut plene habetur in cap.conquerente.& cap.dilectus.de offic. ord. ibi uisitationem quoque annuam &c.

Animarum cura est ars Artium.

INfero etiam, quòd visitare, & curã animarum exercere,quæ est ars artium. cap. cum sit ars. de æta.pertinet namque visitatio ad curam animarum. no.gl.in cap.mandamus, de offi. archi. probatur.in cap. dudum. 2.de elect.& cap.cum satis.& cap.fin.& tit. de offic. Archi.facit cap.inter cætera.de offi.or. & quia anima est multo precios ior corpore.cap. cum infirmitas, de pœni.& remis.12.q.1.præcipimus.24.q.3.si tales.c.de sa.san.ec.l.sancimus.in fi.iõ potius, & prius condolendum est animæ, quam corpori, quia ubi maius periculum & c.42.distin.quiescamus.2.q.2.c. fin.ff.ad carbo.l.1.§.2.& no.in dicto ca. Cum infirmitas.63.d.nosse.8.q.1.sunt in ecclesia. Incumbit ergo visitatori omnimoda solicitudo cleri, & populi diligenter visitandi.ar.32.distin.quoniã dominus.12.q.2.Charitatem. not.Io. mona. de supp. ne præla. cap. ecclesiæ lib.6.& Archid. in cap. si episcopus.de offic.ord.li.

Visitare quid sit.

VIsitare,est quærere quę Iesu Christi sunt,non quæ sua, hoc est,prędicationi verbi Dei, & exhortationi, & correptioni, & reformationi status, ecclesiarum,personarum,ac rerũ ecclesiasticarum.nec non more laicorum vacare,vt fructus referatur,& non pereat cap.procurationes.& ca. cum amplius & no.in cap. fin. de censibus alias concordantes.glo.in d.ca. procurationes, & quid importet terminis.vide. not.in cap.quærenti.de uerbo.signi.& fit hæc uisitatio ex debito officij in princ. de præscriptis. Ad corrigendos itaque subditorum excessus, tãto diligentius debet prælatus assurgere:quanto damnabilius eorum offensas desereret incorrectas. nam Genesi dominus ait: Descendam, scilicet per Angelos, & videbo utrum clamorem,*qui uenit* ad me,opere compleuerint,scilicet, *Sodomæ*,& Gomorræ. &c. & legitur in Euangelio,quòd villicus ille, qui diffamatus erat apud dominum suum audiuit ab illo : Quid hoc audio de te. Redde rationem tuam &c. d.cap.qualiter,& quando.2.idem in cap.licet.de simo.2.q.1.Deus omnipotens. Mandat etiam Concilium generale,ut ecclesiarum prælati ad corrigendos subditorum excessus (maxime clericorũ) & reformandos mores prudẽter ac diligenter intendãt:ne sanguis eorum de suis manibus requiratur.cap. irrefragabili de offi.or. tenetur ergo facere, ut possit dicere cum Paulo: Mundæ sunt manus meæ à sanguine omnium vestrum.44. distin. Ephesijs similia allegat glo.in distin. cap. irrefragabili super uerbo, sanguis ex hac descriptione infero, quòd visitatio est reformatio,& correptio omnium, quæ prælati

noue-

nouerint in ecclesijs, seu clero, & populo tam in capite, quàm in membris, reformanda & corrigenda: exceptis occultis. vt in c. qualiter, & quando. 1. de accusa. quia licet apud districtum iudicem, qui scrutator est cordium, & cognitor secretorum, culpabiles existãt. cap. tua in fin. de simo. concordat allegatis ibi: ecclesia tamen non iudicat de occultis cap. sicut. in fin. & fin. cum alijs concor. ibi allegatis in glos. & in cap. in ciuitate de vsuris. & licet leues esse dicãtur, qui mala credunt: quæ probari non possunt, 11. q. 3. quæ cunctis: tamen vbi subesset infamia, esset saltẽ purgationi arbitrariæ subijciendus. infamatus: ne contra Apostolum infirmorum corda mala alicuius fama percutiat: & ne vituperetur ministerium nostrum, neque securiores clerici existentes in peccatum licentius prolabantur. cap. significasti. de adult. c. de eo de temp. ord. Comedat ergo eos zelus domus dei nostri. c. 2. de custo. euchar. & *non zelus* malus. idest, odium uel inuidia. c. fin. de offi. cust. & l. 1. §. non fuit ff. de dolo. sed & in omnibus diligens adhibeatur cautela ne forte per leue compendium, & cetera. c. qualiter, & quando. 2. rer. ad corrigendos.

Quis primo possit visitare.

QVAERITVR, qui debeant, aut possint visitare de iure; Respondeo, quòd omnes prælati habentes subiectos, vt infra. & primo Papa tenetur, potest visitare vniuersum clerum, & populum Christianum, alias diceretur mercenarius. & non pastor, nec Christum diligens. Apud eum est nanque suprema potestas, quam à Deo susc epit: & reliqui omnes omnem potestatem ab eo recipiũt, quia vicem Dei gerit in terris, & non puri hominis. vnde dicitur cæleste habere arbitrium. c. de summa. Trin. l. 1. in fi. sufficiat allegare. c. quanto. de translat. prælat. c. omnis oppressus. 2. q. 6. c. principale. & c. præcedenti. & seq. & c. cuncta per modum. c. maiores, de bap. hoc deducitur specialiter: & quia sibi iniungi-gitur conuocare Concilium generale Christianorum, in quo concilio funda tur vera visitatio, & omnis illius effectus. 17. d. cap. 1. 2. & 3. 2. q. 6.

Papa quæ loca visitare debeat generaliter.

VIsitabit ergo primo Papa, omnia regna, prouincias, terras, & gentes, ex superioritate, quam ad omnes non est dubium illum habere: & ex illius plenitudine potestatis, qua Christus Rex regum, & dominus dominantium illi in persona beati Petri concessit. per tex. in clem. pastoralis in prin. & in fin. de re iud. pastoralis enim cura, sollicitudinis illi diuinitus super cunctas Christiani populi nationes iniuncta, illum inuigilare remedijs subditorum: eorumque periculis obuiare, & à scandalo remouere, compellit: ei enim mandauit dominus in Euangelio Ioan. 10. c. vt pasceret oues eius, quas etiam deperditas tenetur recuperare. de quo late in c. significasti. de elect. in c. solite. de maio. & obe. & facit extrauagans Bonifacij. Vnam sanctam. facit excellens proœmium. 6. lib. ad idem textus. in cap. officij. de offi. leg. lib. 6. ubi Papa officij sui debitum exequens, remedijs inuigilat subditorum. quia dum eorum excutit onera, dum scandala remouet: ipse in eorum quiete quiescit, & fouetur in pace. ad idem cap. frequens. de rest. spol. cum multis similibus. quod

perfectius facere non poteſt, quàm ſæpe congregando concilia generalia: & faciendo congregari concilia prouincialia, & dioceſana: in quibus potiſsima pars uiſitationis exiſtit, vt ex inferioribus patebit, & tunc plene exequitur facto, quod uerbo profitetur, vt in cap. pro humani. in prin. de homicidio. lib. 6. cum ibi notatis iuncto. c. cum & plantare. in princ. de priuilegijs 86. diſt. fratrum de reg. non ſolum. 12. q. 1. præcipimus. adeo eſt enim omnis eius poteſtas. 11. q. 3. qui reſiſtit cum ſimilibus.

Papa quos ſpecialiter viſitare debeat.

IN ſpecie igitur viſitabit omnes Patriarchas per ſe, uel per alios: & Primates, Archiepiſcopos, & Epiſcopos, Abbates, Priores, ceteroſque eccleſiaſtica dignitate præditos, ac omnes denique eccleſiaſticos, in quibuſcunque gradibus, & ordinibus, ac officijs conſtitutos, de quibus. in c. perlectis. 25. d. & in titulis. de offi. ord. Archidiaconi, Archipresbiteris Cuſtodis, Primicerij, & Sacriſtæ, vt plene per hoſtie. in ſumma de offi. ord. & de offi. Archid. uiſitat etiam, corrigit, & deponit Cardinales, etiam abſque conſilio fratrum, vt plene not. in capitulo ad ſuccidendos, de ſciſma. lib. 6. Credo tamen, quòd legem condendo, ſi hoc faceret, requireretur fratrum conſilium, & ita intelligo Doct. ibi in cap. fundamenta de electio. l. 6. notat in c. ex geſtis de cler. non reſi.

Imperator imperio priuari poteſt à Papa.

VIſitabit etiam Imperatorem, & Imperatricem, cum illum ex cauſa priuare poſsit, & Imperium de una gente ad aliam transferre. illumque habet coronare. & ungere, & approbare, & reprobare: & electis in diſcordia gratificare: ab eo iuramenta recipere fidelitatis. nam ab eo electores euſdē eligendi poteſtatem fuerunt conſecuti. ſecundum quòd patet in c. Venerabilem. §. 2. de elect. c. nouit. de iur. c. ſolite. de maior. & obed. & c. ad apoſtolicæ. de re. iud. lib. 6. ubi patet, quòd Bonifacius octauus depoſuit Federicum ſecundum, & c. fundamenta circa medium de elect. & plene. in clem. romani. de iureiur. & in c. Valentinianus. & c. tibi domino. 63. diſt.

Reges omnes à Papa viſitari poſſunt.

VIſitabit ēt Reges quoſcunq; quantumcunq; ſe prætēdant exēptos. cū nemo tñ de iure ſit exemptus. ca. in apibus. 7. q. 1. & not. in d. c. Venerabilē. de elect. quia ad Papam regis amotio de iure pertinere dignoſcitur. quando amoueri meretur. per tex. in capit. alius. 15. q. 6. ubi Zacharias Papa regem francorum, non tam pro ſuis iniquitatibus, quàm pro eo, quod tantæ poteſtati erat inutilis, à regno depoſuit, & Pipinum Caroli imperatoris patrem in eius loco ſubſtituit, omnesque francigenas à iure fidelitatis abſoluit. Similiter uiſitabit omnes alios Principes, Duces, Marchiones, & comites, Barones, Iudices, ceterosque magiſtratus, vt probatur. in c. grauem. & in c. nouerint. de ſenten. excom. in c. non minus. & c. aduerſus. de immun. Eccleſiæ. & alijs pluribus ſimilibus. & conſequenter omnes officiales populos, congregationes, Collegia, Confraternitates, ſiue ſocietates. tam eccleſiaſticas, quam ſeculares, ſicut & omnes eccleſias tam cathedrales, quàm collegiatas, & earum capitula, & conuentus & tam in Ciuitate, quàm in oppidis, & uillis,

uillis, ratione iurisdictionis, uel curæ quoquomodo subiectis, quia omnes verbo cleri, & populi concluduntur.

Visitatores à Concilio deputari possunt.

QVæritur, an si Concilium prouinciale, uel sinodale, deputet uisitatores: Respon. quòd possunt eo modo, de quo in c. sicut olim. de accu. scilicet non ad effectum reformandi, uel corrigendi, sed denunciandi tantum. & anisti tales debeant habere procuratio nes, & quomodo, dicam infra.

Vicarij prælatorum an possint visitare.

QVæritur, quid de vicarijs prælatorum quorumcunque. Respon. quòd possunt. c. si Episcopus de offic. & lib. 6. secundum Innocentium. Host. Mod. Ioan. And. & dominicum ibidem uide 2. q. 1. c. nullus. primas. delegati autem non visitant per alios, ut plene habetur in cap. cum. 1. & de re iudicat. Vicarij tamen inferiorum ab Episcopis uisitare non possunt nisi super hoc fuerint priuilegiati secundum Io. And. in c. si Episcopus in nouella, nec capitulum Ecclesiæ cathedralis. sede uacante, per se uel per alium, ut notat. Ioan. Mod. de supplen. negligen. prælati. ecclesiæ. Sed Arch. uidetur tenere contrarium, ut in d. c. si Episcopus. de ord. lib. 6. dic ut de hoc plene habetur per glo. in clem. 1. de hæreticis. super uerbo capitali: quæ dicit, quòd indigeret declaratione: licet opinio. Io. Mod. possit saluari in generali uisitatione, & inquisitione contra certas personas, & loca. & addo quòd diffusa prouincia, & lata dioceſi. est iusta causa, ut prælatus possit per alium uisitare. ut not. glo. in cap. procutationes. de cens. adde etiam, q uice alterius uisitans aut debet esse presbiter probabilis. 11. q. 1. Episcopum, aut alias vir idoneus. c. inter cætera. de offi. ord. & quomodo pro eius excessu teneatur prælatus, & adde, q si vicarius excesserit in uisitando: prælatus, cuius est vicarius, tenetur pro tali excessu. ar. 6. ff. de exerci. ac. l. 1. in prin. de off. ff. de offi. proconsulis. l. obseruare. §. proficisci. & remittit Arch. ad nota ta per Azo. in summ. de exerc. act. in §. tenetur. & ad Innocen. in c. quod quibusdam de fideiusori. & ad cap. Episcopus secundum dominicum. & adde, quòd visitator datus à Papa à beneficijs potest amoueri. vt not. de rescrip. dilectus filius Abbas. 61. dist. obitum. & de elect. c. sicut. lib. 6. & quòd visitator non potest eligi in Episcopum. 7. q. 1. constitutus in prin. & in d. c. obitum. & quòd dicitur Deus nos uisitare pluribus modis 13. q. 2. vnaquæque.

VINEA DEI ECCLESIA.

DEnique dixit Spiritus sanctus per organum Esaiæ prophetæ in c. Vinea domini exercituum, domus Israel est, idest ecclesia, & uiri iuda, idest ecclesiastici, dantes fructum suæ uocationis, germen eius delectabile. & in eodem cap. Deus plantauit vineara suam electam, scilicet ecclesiam, dilecto filio suo Christo sepiuit eam, & lapides probatissimorum electorum elegit ex ea. ædificauit turrim virtutum, & meritorum in ea. & torcular sanctæ Crucis extruxit in ea. hoc torcular calcauit Christus solus: & de gentibus non fuit passio tanti meriti sicut Christi: quia effusus est sanguis innocentis redemptoris.

ris. intẽdit Deus, vt vinea faceret vuas, & fecit frequenter labruſcas. Chriſtus zelans fructum huius vineæ, pro qua morti ſponte ſe obtulit, conqueritur de ingratitudine in eodem. capit. quid eſt, quod debui facere vineæ meæ, & non feci? in pœnam eius auferam ſepem eius. & erit in direptionem: diruã materiam eius, & ponam eam defertã. non putabitur, & non fodietur: & aſcendent ſuper eam vepres, & ſpinæ. Chriſtus eſt vitis uera, qua proceſſerunt omnes palmites uineæ: Deus eſt dominus huius vineæ, Ioan. 15. c. ego ſum uitis uera, & pater meus, agricola eſt. omnem palmitem in me non ferentem fructum tollet eum per mortem æternam. omnem ferentem fructum purgabit tentationibus, & flagellis, ut probatione uirtutum fructum plus afferat. Deus mittit imbres gratiarum ad irrigandam uineam eccleſiæ ſecundum menſuram donationis Chriſti. ut ad Epheſios. 4. imbres cõtemporanei ſunt gratiæ infuſæ. in collatione ſacramentorum. plantantur uites & radice ueræ uitis, ſcilicet Chriſti domini in datione ſacramenti, baptiſmi: quod eſt ſacramentum initians generationem ſpiritualem ſumentium. In uinea domini ſcilicet eccleſia gratia mediante Deus dat incrementum palmitibus, & dirigit ad fructum.

Vineæ domini clauſuræ.

SEpes, & clauſuræ huius uineæ ſunt ſacrificia, orationes, & prædicationes, quibus præſeruamur, & hortamur, ne leo rugiens diabolus aduerſarius noſter continue quærens, quem ſuis tentationibus in uadat: in multis partibus vineæ domini naſci faciat uepres, & ſpinas. & inde producantur labruſchæ: qui eſt fructus amarus, non uuæ.

Vineæ putatio.

PVtatur vinea per iuſtitiam datium, non errantium, pœnitentiam, correptionem, excommunicationem. quibus inutilia, & indiſciplinata preſcinduntur in eccleſia non eradicando, ſed ſanando. c. 1. de ſent. excom. lib. 6. in prin. in c. reſecande. 24. q. 3. & vlterius foditur vinea per ſacramentorum eccleſiæ miniſtrationem, reintegrationem, & abſolutionem membrorum eccleſiæ. Hæc ſacramenta data fuerunt eccleſiæ in ſexta ætate, quando Chriſtus venit. & Deus filium ſuum miſit cum plenitudine poteſtatis, & gratiæ: & homines fuerunt tunc, cognito morbo, magis capaces: & data fuerunt eccleſiæ in apertum documentum diuini ſecreti in remedium efficax morbi, in ornamentum ſponſæ Chriſti, in adiutorium turris virtutum conſtructæ in vinea domini.

Vinea domini, per quos debet cuſtodiri.

CHriſti conſtituti ſunt cuſtodes & gubernatores huius vineę, ut patet Ezechiel. 33. c. Speculatorem dedi te domui Iſrael. audiens ergo ex ore meo ſermonem nunciabis eis ex me: & alibi: Ecce dedi verba mea in ore tuo, ecce cõſtituite ſuper gentes, & regna, euellas in vinea domini, deſtruas, diſperdas, diſsipes, ædifices, & plantes. Hiere. 1. c. in apoſtolis. 1. ad Corin. 3. c. Ego plantaui, Deus autem dedit incrementum, Chriſtus in nouo teſtamento. 12. Apoſtolos elegit cuſtodes, & operarios in vinea eccleſiæ, ſicut ipſe dicit Ioan. 15. c. Ego geli vos, & poſui vos, vt eatis, & fructum afferatis, & fructus veſter maneat. cum autem eligit, dixit conuocatis. 12. Apoſtolis.

Matth.

Matth.9.c.Messis quidem multa,operarij autem pauci.Rogate ergo dominum messis , ut mittat operarios in messem suam. dedit eis potestatē prædicandi,sanandi,sacramenta ministrādi.Matth.10.c.Item consecrandi, Luc.22.c.Hoc facite in meā cōmemorationem.Item ligandi, & soluendi cum auctoritate , & exercitio clauium ecclesiæ. Matth.18.c. Quicunque ligaueritis super terram. &c.

Episcopis præsertim cultus vineæ mandatur .

IDcirco vobis potissime episcopis in quos fines seculorum deuenerūt, quia ad esse festinant malitiæ temporum, clamat Christus : Ite in vineam meam,operemini arguendo;obsecrando,increpando,prędicando,hortando, oportune , importune instando. 2. ad Thimot.4.c. Descendit diabolus cum furore habens iram magnam , vt inuadat per terram, & mare : sciens,quòd modicum tempus sibi restat.Apoc.12. c.*Ite* ergo,putate palmites in fructuosos, corrigendo , irrigate ecclesiasticis sacramentis : pœnitentia,& confirmatione vobis reseruatis, gratiæ inuisibilis dona ministrando. fodite per instructionem, & reconciliationem. Custodite per prædicationē clerum , ut prosit, & exemplariter viuat . Reformate populares , ne inter vepres, & spinas mundanarum delectationum , fructuū suffocent: & labrusca producant. Arguite,& reparate sic visitantes: nō causa ambitionis,sed spiritualis aquisitionis:quod si iustum fuerit,recipietis denarium , scilicet æternæ retributionis, nouissimis paratum , secundum laborem,sicut & primis. Sed vt descendamus ad fructum visitationum episcopalium possumus alegorizare circa culturam vineæ militantis ecclesiarū: vt vocati ad cultum operentur: habemus considerare modum culturæ,partes vitis, & distinctiones operariorum

Vineæ militantis ecclesiæ fructus per allegoriam dicti ex visitatione episcopali .

CIrca primum considerāmus quatuor operationes in vineę materialis, ablaqueationem , putationem, propagationem, & fossionem ,

Ablaqueare est circa corticem terram aperire , & velut lacum efficere: hoc aliqui excorticare appellant.

Putare est virgam ex vite superuacuam resecare , cuius flagellum luxuriat putare dicitur : purgare,& amputare propaginare est flagellum vitis terræ submersam sternere:& quasi pro pangere : hinc propagines, à propaginare,& protendere dictæ . Fodere est quasi foueam facere, siue fouere.Item considerāmus partes vitis , in qua est primum codex , idest , caudex scilicet truncus. Item palmes, cuius materia à principio mollis , & per nouella brachia emissus in nodis fructum emittit, palmes enim deriuatiuum nomen est. Tertio est in uite pampinus , idest folium, cuius subsidio fructus vitis à frigore,vel calore defenditur, atque aduersus omnem iniuriam munitur.& tale folium est interciſum , ut solem ad maturitatem fructus admittat. & vmbram faciat: est dictus pampinus,quia à palmite procedat. Quarto , sunt in vite cincinni, vel cincinuli , quibus se iectum vites & suspendere solent arboribus , quod adminiculo freti palmites sustinere queant ventos , ac turbines, & sine periculo fructus suos sustineat

ſtineat, ac ſe ſe vaga procacitate defendant. Vites dicuntur: quia inuicem ſe innectant, vicinis arboribus rependo ligentur. eſt enim earum natura flexibilis, quæ quaſi brachijs quibuſdam quicquid comprehenderint ſtringant. Sagatam ruſtici vocant partem ſurculorum: qui longius proſiliunt à matre in habiles fructu, & ſterilitate effecti. prædicta autem iuxta ſenſum allegori cum latius applicando dicendum eſt, quòd in vinea domini eccleſiæ, ſcilicet militantis vites plantant curari in baptiſmo nomine Chriſti, & tanquam Chriſti miniſtri. Ioan. 1. c. Super quem videris ſpiritum deſcedentem, & manentem, hic eſt qui baptizat in ſpiritu ſancto. putant viles, ſeu purgant iudices, & confeſſores in vtroque foro, vicarij officiales, pœnitentiarij, commiſſarij, per exercitium clauium. Vites propagantur à religioſis per ſanctorum ſuffragiorum, & orationum ſubſidium, & regularium meritorum exemplum. fodiunt in vinea, & fouent prædicantes verbum Dei, & fructum dant cuſtodientes illud. Cuſtodes defenſores ad omnia ſuper intendentes ſunt epiſcopi ſpeculatores; & præordinatores in cūctis. ideo debent omnia viſitare. Chriſtus fuit, & eſt, uitis uera, caput eccleſiæ, ut Deus, & homo. Cortex uitis repræſentatur in principali monarchia eccleſię; eius vicario ſummo Pontifici. per nodos inde deriuatos, ideſt prælatos. accreſcunt ſpirituali generatione, & ſacramentorum miniſtratione. & miniſtrorum diſpoſitione, omnes palmites, ideſt, membra cuiuſcunque ſtatus in uinea militantis eccleſiæ folia, & pampini ſunt laici, agricultores, & alij, de quorum laboribus & uictimis ſumimus nos, miniſtri eccleſiæ lanam, & paſcua, decimas, & primitias, oblationes, & uitæ ſuſtentationem.

Eccleſiæ perſecutores dicuntur ſagatæ inutiles.

SAgatæ inutiles ſunt tiranni, eccleſię perſecutores, qui ducunt in uoluptatibus, & bonis huius ſeculi, dies ſuos, & ſubito ad inferna deſcendunt: nullum fructum in orbe faciunt. quia domino Deo ſuo dicunt: recede à nobis: ſcię tiam uiarum tuarum nolumus. Ioan. 21. c. uel ſagatæ poſſunt dici Infideles, Iudei, & Sarraceni, qui licet ſint extra gremium eccleſiæ: tamen Chriſtus, in potentia poteſt, dic caput illorum: quia poſsibile eſt eos coniungi in uinea domini. ideſt corpori Chriſti miſtico: ut notat. 5. Doctor parte ultima. diſt. 8. membra enim corporis Chriſti miſtici non ſunt omnia ſimul, quantum ad eſſe naturæ: quia corpus eccleſiæ conſtituitur ex hominibus, qui fuerunt à principio huius mundi uſque ad finē: nec quantum ad eſſe gratiæ: quia eorum, qui ſunt in eodem tempore, quidam gratia carent poſt modum habituri, alijs iam habentibus eam. ſic membra Chriſti dicuntur diuerſimodè: non ſolum ſecundum, quòd ſunt in actu, ſed etiam ſecundum quòd ſunt in potentia. quædam ſunt in potentia, quæ nunquam reducuntur ad actum ſecundum triplicem gradum, per Fidem, per Charitatem uiæ, per Fruitionē patriæ. Accipiendo generaliter ſecundum totum tempus, Chriſtus eſt caput omniū hominum: Sed ſecundum diuerſos gradus: principaliter eſt caput eorum, qui ſibi uniuntur per charitatem. Tertio eorum, qui uniuntur ſibi actu per fidē. Quarto, eorum, qui ſibi uniuntur inpo-

tentia

tentia non dum reducta ad actum, quæ tamen est ad actum reducenda secundum prædestinationem. Quinto, eorum, qui sibi in potentia sunt uniti, qui nunquam reducentur ad actum: sicut homines in mundo uiuentes, qui non sunt prædestinati: tamen ex hoc seculo recedentes desinunt esse membra Christi. quia iam non sunt in potentia, ut uniantur, & ideo infideles Sarraceni, & Iudei in potentia sunt de ecclesia. esse enim ecclesiam gloriosam, non habentem maculam neque rugam, hoc est, ultimus finis, ad quem perducũtur per passionem Christi: hoc erit in statu patriæ, non in statu uitæ.

Tiranni, & obstinati sunt ab ecclesia extirpandi.

PAlmites, arbores, & rubos superfluos & infructuosos suffocantes uineas. idest tirannos, & obstinatos cũ securi. idest cum comminatione mortis extremi iudicij, & gehennæ extirpare. Vnde contra tales dicebat beatus Ioãnes Baptista: Facite dignos fructus pęnitentiæ. iam enim securis, idest mors ad radicem arboris, idest uitam hominis posita est. omnis arbor, quæ non facit fructum bonum excidetur, & in ignẽ mittetur. Matth. 3. c. Ioan. 15. c. Siquis in me nõ manserit, mittetur foras, sicut palmes, & arescet; & colligent eum, scilicet demones, & in ignem mittent, & ardet. lignum uitis præ ceteris inutile cum non fructificat, nihil ualet, nisi ad comburendum: sic de homine inutili, nihil restat nisi corrũptio, & putredo. Ezechiæ. 15. c. Fili hominis quid fiet lignum uitis, ex omnibus lignis nemorum, quæ sunt inter ligna siluarum nũquid tolletur de ea lignũ, ut fiat opus? ecce igni datum est in escam.

Vites materiales sunt in triplici differentia.

IN uinea materiali, seu naturali sunt uites multum propagate, & eleuatæ in altum super arbores: hincinde extensæ. Sunt etiam aliquæ uites frondosę, & multiplicatæ, sed non ita eleuatæ. sunt in uinea arbores, ut oliueta, vel alia fructifera, sunt & aliæ paruæ uites modicum à terra eleuatæ: quia incultæ. Sic in vinea militãtis ecclesię, sub visitatione episcoporum sunt ecclesiæ matrices, & collegia secularia in numero seruitorũ ad diuini obsequij, vbertatem propagata. & extensa. unde dicitur Oseæ. 10. Vitis frondosa Israel, fructus adæquatus est ei: secundum multitudinem fructus sui multiplicauit altaria. Vites mediocres, & frondosæ sunt parochiales ecclesiæ, in quibus maior adhibetur cura propter maiorem populi, & palmitum multitudinẽ. Arbores fructiferę sunt religiosi maxime dantes fructum scientiæ, & bonæ vitæ, coadiutores prælatorum in uinea domini. Vites rarę, & modicum cultum habentes sunt xenodochia: beneficia sine cura, & cetera loca pia paupertate depressa. quæ omnia subsunt episcopali visitationi. In his omnibus potest episcopus uisitans ablaqueando, putando, fodiendo, propagando, custodiendo, dare fructum in uinea domini. unde Augustinus: Qui episcopatum desiderat, bonum opus desiderat. episcopos grecè latinè super intendentes dicimus. ut intelligat, se non esse episcopum, qui præesse dilexerit: non prodesse. c. qui episcopatum. 8. q. 1.

Ornamenta suá portet Prælatus visitaturus:

OMnis prælatus habeat ornamenta sua: scilicet mitram, & baculũ, pastoralem, casulam, dalmaticam, albam, amictum, cingulum, cirotechas, & anulum, gremiale, bacile, bronzinũ, manutergium, nasi tergium, sandalia; caligas, faldistorium, idest sedem, crucem, candelas, thus, & thuribulum, & ne qd ibi cõtingat deficere, qd ad eius officium etiam pro honestate, & reuerentia, sit necessario prouidendum.

Visitator quas personas secum debet habere.

HAbeat Capellanos sibi conformes in officio, tapetum ubi honeste genuflectere possit: ne vilescat eius dignitas, aut diuinus cultus. habeat secum prædicatorem, vbi ipse prędicare non nouit, notarium practicum: nuncium fidelem, & alia, de quibus infra patebit, in super habeat confessorẽ tam pro se, quam pro alijs visitandis. Præsertim propter casus reseruatos habeat sigillum, habeat etiam formas iuramentorum, & potissime libellum istum, qui erit baculus suæ senectutis, & iuuentutis memoriale, directorium, speculũ: & quicquid uoluerit, & optauerit, & in eo facile comperiet iura, nedum probata supradicta omnia, & ad auctoritates approbatas, ex quibus illuminabitur in omnibus agendis. Præparet equos bene ferre pedatos: fręna, & sellas: & alia necessaria non indigẽtia reparatione, similiter & mulos, & salmarios: copertoria, & cuncta similia: ne propter illorum defectum alliciantur ad grauandos subditos, indebite: ne secum ducant equos infirmos, ut ibi moriantur: nec cocos ebriosos, sicut buzardam: nec laicos præsertim iuuenes solis lasciuijs vacantes & conentur in omnibus bonum exemplum prębere: ne dicãtur magis vacare vẽtri, quàm animarum saluti. alias quæ seminauerint, hæc & metent: addo postremo cõsultum esse, ut visitatores sibi prouideant propter multa occurentia de obtinendis literis apostolicis, per quas apostolica auctoritas accumuletur ordinarie, præsertim propter casus reseruatos curiæ romanæ: cum qua auctoritate ubi subesset multitudo errantium, aut paupertas, uel debilitas, uel alia necessitas: possint saluti animarum, & reformationi morum opportune, cõsulere: & prouidere: *maxime in locis*, ubi visitationes ordinariæ iamdudum fuerunt neglectæ, quia per vnam auctoritatem non præiudicatur alteri secundum spem. in titu. de inqui. §. 1. uersic. item. quod est ibi. ad quod. faci. extrauagans, benedicti. vas electionis. in quantum de apostolico priuilegio facit mentionem.

Visitatio facienda est pronuncianda.

IN quibuscunque tamen ecclesijs, & locis visitandis, prælatus visitans, debet pronunciare per tẽpus congruũ aduentum suæ visitationis: ut visitandi se præparent ad recipiendum Christi legatum cum solemnitate processionali. Circa primum cum visitatur clerus & populus: curati populis debent in parochijs denunciare, ut clerus, populusque sub pœna excommunicationis conueniant. Christus Matth. 21. cap. Volens visitare templum iudeorum duos ex discipulis suis misit ad denunciandum tempus visitationis suæ, qui mandato Christi soluerunt, & adduxerunt ei asinam, & pullum: Sic curati de

bent

bent populo pronunciare, vt habentes asinam, hoc est sensualitatem grauibus peccatis alligatam, veniant ad recipiẽ dum iudicium fori pœnitentialis, & absolutionẽ in casibus reseruatis, à patre, & pastore. & ducant pullos, idest, pueros ad suscipiendum sanctum confirmationis sacramentum. In aduentu Christi plurima turba cum pueris exijt obuiam Christo vestimenta sua sternendo in via: alij cedebant ramos de arboribus: sic clerus, & populus debent cum reliquijs, & ornamentis processionaliter recipere locum tenẽtem Christi, Columnam ecclesiæ, cum dei laudibus. honor, qui ei deferẽ, in Christo redundat, ut dicit beatus Clemens in epistolis. cum autem venerit Prælatus ad locum visitandum iuxta Crucẽ, illa reuerẽter adorata, benedicendo ingreditur locum quibus dicitur uersus sequens in ingressu ecclesiæ:

℣. Pax æterna ab æterno huic loco pax perennis, verbum patris donis locum augeat.

℟. Pacem pius cõsolator cunctis præstet in cælis.

ET hæc forma à Christo traditur. Matth. 10. cap. in quamcunque ciuitatem, uel locum intraueritis, primũ dicite: Pax huic domui. Si sit parochialis ecclesia visitãda, debet declinare sero præcedenti diem visitationis propter multitudinem expediendorũ. & debet cum rochetto, uel Cappa, uel cum roqueto, & veste talari ingredi ecclesiam secundum conditionem temporis, & loci recta uia, si non sit madefactus, uel si tempus non existat pluuiosum accedere debet ante maius Altare ecclesiæ, tradito ipsi prelato hyssopo, cum aqua benedicta in ingressu ecclesiæ per maiorẽ de clero, & omnes de clero debent cantare illam antiphonam, quæ sequitur:

Antiphona.

SAcerdos, & Pontifex, & uirtutum opifex, Pastor bone in populo, sic placuisti domino, intercede pro nobis.

℣. Ecce vir prudens.

℟. Qui ædificauit domum suam supra petram. Oremus.

Oratio.

DEus humilium uisitator, qui eos paterna consolaris visitatione: prætende huic gregi nostro gratiam tuam, ut pro eis, in quibus habitas, tuũ in nobis sentiamus aduentũ per Christum dominum nostrum.

Deinde Psalmus: De profundis, stans cum mitra iuxta altare uersus populum, incipit antiphonam: Si iniquitates. deinde cum ministris, seu capellanis suis dicit:

DE profundis clamaui ad te Domine: domine exaudi vocẽ meã.

Fiant aures tuæ intendentes: in uocem deprecationis meæ.

Si iniquitates obseruaueris domine Dominẽ quis sustinebit?

Quia apud te propitiatio est: & propter legem tuam sustinui te domine.

Sustinuit anima in verbo eius: speravit anima mea in domino.

A custodia matutina vsque ad noctem: speret israel in domino.

Quia apud dominum misericordia: & copiosa apud eum redemptio.

Et ipse redimet israel: ex omnibus iniquitatibus eius.

℣. Requiem æternam dona eis domine.

℟. Et lux perpetua luceat eis.

Deinde dicit totam antiphonam:

Si iniquitates obseruaueris domine: domine quis sustinebit?

Qua dicta, & deposita mitra, dicit:

Kirie eleison. Christe eleison. Kirie eleison. ℣. Pater noster.

Quod secrete completur.

Det interim accepto aspersorio cum aqua benedicta tertio aspergit ante se, deinde imposito incenso in thuribulo, & illo benedicto eodem modo incensat. quo facto pronunciat:

℣. Et ne nos inducas in tentationem.
℟. Sed libera nos à malo.
℣. In memoria æterna erunt iusti.
℟. Ab auditione mala non timebunt.
℣. A porta inferi.
℟. Erue domine animas eorum.
℣. Requiem æternam dona eis domine.
℟. Et lux perpetua luceat eis.
℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo. Oremus.

Oratio.

DEus, qui inter apostolicos sacerdotes: famulos tuos pontificali fecisti dignitate vigere: præsta quæ sumus; vt eorum quoque perpetuo aggregentur consortio, per Christum dominum nostrum. ℟. Amen.

Deinde proceditur aqua benedicta, Thuriferario, duobus ceroferarijs, cruce, & clero præcedentibus & cantantibus responsorium:

QVI Lazarum resuscitasti à monumento fætidum,

Tu eis domine dona requiem, & locum indulgentiæ.

Qui venturus es iudicare viuos, & mortuos, & seculum per ignem.

Tu eis domine dona requiem, & locum indulgentiæ.

Pontifex mitra exit ad cemeterium, interim dicens cum ministris suis Antiphonam: Si iniquitates, et Psal. De profundis, vt supra vsque ad finem. cum fuerit requiem æternam, & antiphona: Si iniquitates. &c. quibus omnibus dictis cum fuerint in medio cemeterij firmant se suo ordine, & chorus cantat responsorium:

LIbera me domine de morte æterna in die illa tremenda: quando cœli mouendi sunt, & terra: dum veneris iudicare seculum per ignem.

℣. Tremens factus sum ego, & timeo: dum discussio venerit, atque ventura ira.

Quando cœli mouendi sunt, & terra.

℣. Dies illa, dies iræ: calamitatis, & miseriæ, dies magna, & amara ualde.

Dum veneris iudicare seculum per ignem.

℣. Requiem æternam dona eis domine.

℟. Et lux perpetua luceat eis.

Repetitur responsorium: Libera: vsque ad primum versum, interim dum responsorium repetitur, offertur per digniorem ecclesiæ nauicella, & per alium ex ministris Thuribulum pontifici, qui imponit incensum more consueto. Responsorio repetito, & completo: chorus cantat:

Kirie eleison. Christe eleison. Kirie eleison.

Mox pontifex mitra deposita conuenienti uoce dicit:

Pater noster.

Deinde aspergit, & incensat, prout fecit in ecclesia. quo facto dicit:

℣. Et ne nos inducas intentationem.

℟. Sed

℟. Sed libera nos à malo.
℣. In memoria æterna erit iustus.
℟. Ab auditione mala non timebit.
℣. Aporta inferi.
℟. Erue domine animas eorum.
℣. Requiem æternam dona eis domine.
℟. Et lux perpetua luceat eis.
℣. Domine exaudi orationem meã.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo. Oremus.

DEus, qui inter Apostolicos Sacerdotes famulos tuos sacerdotali fæcisti dignitate vigere, præsta, quæsumus: ut eorum quoque perpetuo aggregentur consortio.

DEus, veniæ largitor: & humanę salutis amator, quæsumus clementiam tuam, ut nostræ congregationis fratres: propinquos, & benefactores: qui ex hoc seculo transierunt: Beata Maria semper Virgine intercedente: cum omnibus sanctis tuis: ad perpetuę beatitudinis consortium peruenire concedas.

DEus, cuius miseratione animę fidelium requiescunt: famulis, & famulabus tuis omnibus: hic in Christo quiescentibus: Da propitius veniã peccatorum, ut à cunctis reatibus absoluti: tecũ sine fine lætentur, per Christum dominum nostrum. Amen.

℣. Requiem æternam dona eis domine.
℟. Et lux perpetua luceat eis.

Tunc duo Cantores dicant:

℣. Requiescant in pace. ℟. Amen.

Et mox pontifex eleuata dextera, producit signum crucis ab omni parte super cemeterium: Tum accepta mitra per Pontificem, reuertuntur omnes ad ecclesiam ordine, quo venerunt: choro dicente congruenti voce sine nota totum Psal. Miserere mei Deus, secundum magnam misericordiam tuam. cum versus: Requiem æternam, & cętera. quem etiam Pontifex ipse dicit voce demissa cum ministris, seu capellanis suis. quibus dictis, & Pontifex cum peruenerit ad chorum ante altare deposita mitra stans ibidem in medio versus ad altare dicit:

Kirie eleison. Christe eleison. Kirie eleison.
℣. Pater noster. & ne nos inducas intentationem.
℟. Sed libera nos à malo.
℣. A porta inferi.
℟. Erue domine animas eorum.
℣. Domine exaudi orationem meam
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo. Oremus

ABsolue quæsumus Domine animas famulorum, famularumq; tuarum: ab omni vinculo delictorum vt in resurrectionis gloria inter sanctos, & electos tuos resuscitati respirent, per Christum dominum nostrum. Amen.

DE CONFIRMATIONE.

His per actis; depositis, stola, & pluuiali nigris, seu violaceis, & albis: potest Pontifex confirmare pueros. Infantes per patrinos ante Pontificem chrismate volentem teneantur in brachijs dextris. adulti vero, seu alij maiores ponant pedem suum super pedem dextrum sui patrini, & nota, quòd ligando, uel soluendo ligaturam capitis, siue abstergendo frontem non contrahitur aliqua compaternitas,

ras, sed tenendo tantum: quibus per ordinem dispositis ante Pontificem: & ipse Pontifex lotis prius manibus, & illis ante pectus iunctis stans mitra deposita, confirmandis iam genua flectentibus, & similiter iunctis ante pectus manibus dicit:

SPiritus sanctus' super veniat in vos: & virtus altissimi custodiat vos à peccatis.

Deinde signans se manu dextra à fronte ad pectus signo crucis dicit:

℣. Adiutorium nostrum in nomine domini:

℟. Qui fecit cœlum, & terram.

℣. Domine exaudi orationem meã:

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

Tunc extensis versus confirmandos manibus dicit: Oremus.

OMnipotens sempiterne Deus, qui regenerare dignatus es hos famulos tuos ex aqua, & spiritu sancto: quique dedisti eis remissionem omnium peccatorum: emitte in eos septiformem spiritum tuum sanctum paraclitum de cœlis.

℟. Amen.

Spiritum sapientiæ, & intellectus. Amen.

Spiritum consilij, & fortitudinis. Amen.

Spiritum scientiæ, & pietatis. Amẽ.

Ad imple eos spiritu timoris tui: & consigna eos signo crucis Christi in uitam propitiatus æternam, per dominum nostrum Iesum Christum filium tuum, qui tecum viuit, & regnat in vnitate Spiritus sancti Deus, per omnia secula seculorum. Amen.

Et Pontifex sedens super faldistorium prædictum inquirit sigillatim de nomine cuiuslibet consignandi sibi per Patrinũ, vel matrinam flexis genibus præsentati, & summitate pollicis dextræ manus chrismate intincta facit crucem in fronte illius dicens: Ioannes, vel Maria, vel quis nomine nuncupetur.

SIgno te signo crucis: & confirmo te chrismate salutis, in nomine patris, & filij, & spiritus sancti: vt replearis eodem spiritu sancto, & habeas vitam æternam. Amen.

Producit signum crucis in frontem illius, dum dicit: Signo te Signo crucis. *Deinde dat ei leuiter alapam super genam dicens:* Pax tecum.

Omnibus taliter consignatis: Pontifex tergit cum mica panis, & lauat cum aqua pollicem, & manus super aliquam peluim, deinde aqua lotionis cum pane fundatur in fontibus, vel piscina sacrarij. interim dum lauatur, cantatur antiph.

COnfirma hoc Deus, quod operatus es in nobis à templo sancto tuo, quod est in Ierusalem.

℣. Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto.

℟. Sicut erat in principio, & nũc, & semper, & in secula seculorũ. Amẽ. *Iterum repetitur.* Confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis, à templo sancto tuo, quod est in Ierusalem.

Pontifex surgit, & stans versus ad altare mitra deposita dicit:

℣. Ostende nobis domine misericordiam tuam.

℟. Et salutare tuum da nobis.

℣. Domine exaudi orationem meã.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

Deinde

Deinde iunctis ante pectus manibus, & omnibus confirmatis deuotè genua flectentibus dicit: Oremus.

DEus, qui Apostolis tuis sanctum dedisti spiritum: & per eos, eorumque successores cæteris fidelibus tradendum esse voluisti: respice propitius ad humilitatis nostræ famulatum, & præsta: vt eorũ corda, quorum frontes sacro chrismate deliniuimus: & signo sanctæ crucis signauimus: idẽ spiritus sanctus in eis superueniens templum gloriæ suæ dignanter inhabitando perficiat. qui cum patre, & eodem spiritu sancto viuis, & regnas Deus in secula seculorum. Amen.

Deinde dicit:

Ecce sic benedicetur omnis homo, qui timet dominum.

Et faciens signum Crucis super eos dicit:

BEnedicat vos † dominus ex Syon, vt videatis bona Ierusalem omnibus diebus vitæ vestræ, & habeatis vitam æternam. Amen.

¶ *Expedita ita confirmatione Pontifex sedens accepta mitra, patrinis, & matrinis annunciat, vt instruant, & informẽt filios suos bonis moribus, & operibus: vt fugiant mala, & faciant bona, & doceãt eos Credo in Deum. & Pater noster, & Aue maria. quoniam ad hoc sunt obligati.*

¶ Deinde Episcopo domũ sibi præparatam recedente; explicat causas sui aduentus eius vicarius, uel aliquis de familia sua ad id dispositus, dicendo, quòd Episcopus venit, videlicet adscrutandum regimen Ecclesiæ in spiritualibus, & temporalibus; si sint defectus in ministris, & ornamentis, & cæteris cultui sacro adiecentibus, ad instruendum in fide, & moribus. ad reformandum, corrigendum, absoluendum in casibus in foro pœnitentiali reseruatis, offerendo benignam assistentiam, & exercitium clauium sanctę matris ecclesiæ monendo, & hortando in virtute sanctæ obedientię, vt omne conueniant ad audiendum verbum Dei, ipsiusque pastoris salutaria monita, & mandata.

Inuentarium tenentur facere beneficiati.

TEnetur enim, & quilibet beneficiatus facere inuentarium de omnibus bonis, & iuribus ecclesiæ, & beneficiorum suorum, & ad hoc est per superiorem compellendus, & tam de his, quem receperit suę promotionis tempore, quam de postea acquisitis.

Exhortatio fit quandoque dura quandoque blanda.

NAM quosdam increpatio dura, quosdam vero exhortatio corrigit blanda: sicut periti medici aduersarios corporis morbos diuerso medicamine liniunt. ita vt iuxta vulnerum uarietates diuersa medicina sit: sic & prælatus ecclesiæ singulis quibuscunque congruum uite remedium adhibebit, & quodcunque oporteat pro ætate, pro sexu, ac professione anunciabit, non omnibus ea, quæ sunt clausa, aperienda sunt. multi enim sunt, qui capere non possunt, quibus si indiscrete manifestentur; statim, aut detrahunt, aut negligunt. prima quippe prudentię virtus est ea, quam docere oporteat, existimare personam.

Nobilitas in quibus consistit.

DE nobilibus qualiter adhortandi sunt: Hieronimus in epistola

ta docet, sola apud Deum libertas est non seruire peccatis. summaque apud Deum nobilitas clarũ esse uirtutibus, ideſt nobilitatum tantum ad hoc esse memineris, vt cum claritate generis morum sanctitate contendas. item in homilia: ille apud Deum potior est: nõ quæ nobilitas generis nec dignitas seculi, sed quem deuotio fidei & sancta uita Deo commendat. Ambro. in sermonibus. nullum ad commendationem hominis conditio affert impedimentũ: nec dignitas prosapiæ meritum, sed fides affert, siue liber, siue seruus, omnes in Christo vnum sumus.

Prælati visitantis notabilis instructio.

PRælatus habet proponere verbum Dei latinis verbis in genere, vitia corrigendo, occultos non publicando, debet esse in corrigendo benevolus. 45. dist. cap. licet in iudicando iuxtos. 3. q. 8. iudicet. in aduersione misericors. 45. dist. c. uera. virtuosam & non ociosam vitam in collegijs suadendo fructum diuini obsequij, & pauperum sustentationem, & defensionem commendando de statu ecclesiæ in iuribus, & diuinis obsequijs, in honestate ministrorum, in ædificijs, & ecclesiæ, & domorum capitularium ad inuicem inquirendo, & se informando, vtrum ædificia ruant, vtrum iura & redditus minuantur, vtrũ de bonis capitularibus, vel conuentualibus, illicita commercia exerceantur: præcipiendo in virtute sanctæ obedientiæ, vt sibi tanquam capiti omnia significentur, prout latius suo loco tangetur. si sint deformationes insolentię, diuisiones, ruinæ, illicita cõmercia, inhonestates; cum deliberato consilio faciat ordinationes, præcepta, reformationes, & præparationes, præcipi faciat, in communi, uel particulari: & in scriptis redigi per suũ notarium faciat.

DE MONIALIVM Visitatione.

PAriter se habebit in uisitatióe monialium, inquirendo, suadendo, reformando, corrigendo tamen iuxta Clementinam attendentes. de statu, reg. Episcopus visitãs moniales in clausura duobus notarijs, duabusque personis suæ ecclesiæ, & quatuor alijs probis viris maturis, & honestis debet esse contentus in comitiua sua: super quibus defectibus, & vitijs reformabit, inquiret, corriget moniales, & eas ad consolationem clausuræ, & status earum hortabitur: vestium, & ornamentorum benedictiones, & absolutiones defunctorum faciet: & non confirmata, confirmabit. In foro pœnitentiali, si opus sit, audiet, & absoluet, querelas audiet: & alias, vt ordinarius peraget.

IN ecclesijs ruralibus; & in hospitalibus quæret de reparatione locorum, de sustentatione reddituum, & obsequij diuini. ne iura, & bona vsurpentur. Si bona hospitalium conuertantur in vsus pauperum. iuxta Clem. quia contingit. de reli. dom. c. desin. & c. seq. reli. dom. si fiant in eis lupanaria, vel sandala.

Si perduntur iura de pijs legatis incertis, vel proprijs redditibus. si suppetant, adiuuabit inducet Christi fideles ad sustentationem piorum locorum. si uideat, quòd sint in locis periculosis, sicut frequenter contingit, & sunt speluncæ latronum, & homicidarum, faciat destrui, & alibi mutari, quia in locis utilibus, & non periculosis fieri debent. in c. ecclesias. de conse. dist. 1. loca illa, quæ alias fuerunt pro hospitalibus

libus, uel leprosarijs deputata. licet disrupta non debent ulterius usibus humanis deputari. c. ad haec. de reli. dom. In leprosarijs, uel hospitalibus, ubi sunt pauperes, uel infecti. Confortabit pauperes uel infectos ad patientiam, & meritum. *De qualitatibus visitantis.*

QVæritur, quos modos singulariter debet habere Prælatus in uisitando. Resp. quòd in prælato uisitante concurrere debent hi quatuor modi: vt sit benignus cum honestate, sollicitus cum recta intentione, utilis cum grauitate, pius cum bono ordine.

Circa primum, dicit Isidor. libro. 9. ethimologiarũ; Benignus est uir sponte ad bene faciendum paratus. Dulcis eloquio, qui cunctos nouit sua dulcedine. vnde Gregorius in morali. lib. 23. §. 36. doctrina uera tanto uehementius elationis fugit uitium per cognitionem, quanto ardentius suorum uerborum iaculis, ipsum magistrum insequitur elationis. 46. dist. hoc habet. proprium unde præcepta apostolica beati Petri ad uniuersas Episcopos, sicut in epistolis ad Clementem sic continebant; ecclesiarum, inquit enim, curam habentes, misericordes, & beneuoli estote, in omni uerbo, & opere, pro uiribus agite.

De notarijs visitantium.

QVæritur principaliter de notarijs uisitantium, qualiter se debeant habere in redigendo in scripturis, & in alijs. Respondeo, quòd & ipsi, & quilibet de familia uisitantium occasione alicuius officii, aut consuetudinis, seu quolibet alio modo eorum nomine nullam pecuniam recipere possunt, sed in uictualibus tantum expensas moderatus. c. Rom. §. procurationes. de censi. lib. 6. siue sit ille scriptor, siue sigillator, siue aliud prætendat officium. ut ibi not. glo.

Sed an clericus uisitatoris faciens literas, possit aliquid habere pro labore. Respon. secundum Host. quod sic. artic. 12 q. 2. c. charitatem. & c. clericus. idem Io. And. an. nisi de publico reciperet salarium quo casu stipendijs suis debet esse contentus. 23. q. 1. militare; nec tex. in d. c. Romana. in uerbo officii intendit hoc damnare: ut per eum ibidem in nouella, & probatur in uerbo, earũ nomine: quasi alias secus. in contrariũ tamen uidetur tex. expressus. c. 1. de simon. ubi dicitur, quòd sicut Episcopus non debet uendere manum, quam imponit: ita nec minister, uel notarius in ordinatione eius, uocem, uel calamum uendere, & pro ordinatione, uel usu palij, uel pro cartis, &c. is, qui ordinatur, omnino aliquid dare prohibetur.

Notarij possunt salarium pro opere suo petere.

SI autem alius notarius peteret pro opere suo iustum salarium, uel aliquantulum plus iusto propter facti magnitudinem, non uidetur hoc prohiberi. sed etiam in talibus locis aliquis sponte offerens non committit simoniam. c. dilectus. 11. eod. tit. ad fin. maxime si sit consuetudo de aliquo offerendo, quod pietatem, uel demotionem moueat. c. ad apostolicam. eo. tit.

Notarius visitationis sit persona ecclesiastica.

DIco etiam, quòd notarius visitatoris debet esse ecclesiastica persona, ne laicis patefiant secreta clericorum. arg. in c. ut iuxta. de offic. ord. quia cohærere, & coniungi bene non

possunt: quibus studia sunt diuersa. 16. q. 7. in nona. & oppido infesti sunt. clericis. 16. q. 7. per laicus. nec concordat bene cithara cum psalterio. c. diuersis fallacijs de clericis coniugatis. & maxime in monasterijs. quia sine strepitu, & figura iudicij talia fieri debent. de accu. alim. & no. in d. c. ut iuxta. & ubi non sunt notarij clerici, adhiberi debēt duo alij clerici idonei scribentes in consonantia. arg. in c. quoniam contra de proba. & in extrauaganti. debent. boni. 8. dum tamen non sint monachi: quorum vocem funestam facit eorum professio, & arcet in iudicijs, & publicis, siue ciuilibus actibus: nec patitur nisi inquisitione hæreticę prauitatis tabelio natus officium exercere, de quo in c. ut officium. §. ad conscribendas de hæret. lib. 6. & maxime quando essent aliqualiter suspecti, uel creare poterit prælatus vnum notarium clericum, ad id. secundum Hostien. in dicto. c. 1. de simo. & adde, quod isti notarij visitationum non habebunt specialiter iurare, sicut in crimine hęresis: de quo in Clemen. 1. §. notarij de hære. quia ibi est speciale ratione grauitatis criminis, sed sufficit primum iuramentum in creatione præstitū. ut ibi not. de quo. in cap. ad audientiam. de præscriptis. cuius formam ponit. Ioan. And. in cap. sicut te: ne clerci vel monachi. Notarij autem huiusmodi habebunt examinare testes, & eorum depositiones, in scriptis redigere, & omnia, quæ ad tabellionis officium pertinent fideliter exequi. vt in d. §. ad conscribendas. recognoscere; scilicet literas collationum & ordinum, & dispensationum, & regist[illegible] inuentarium bonorum ecclesię tam mobilium, quam immobilium, tenetur enim Prælatus, & quilibet beneficiatus facere inuentarium, bonis, & iuribus ecclesiæ, & beneficiorum suorum. & ad hoc est per superiorem compellendus.

Notarij visitantium libros facere debent.

DIco etiam, quòd notarij visitationum tenentur facere libros, in quibus conscribant omnia, quæ geruntur, in visitatione per visitantem, ut finitis visitationibus, prælatus illos reuideat, & exequatur quæ repentine, & in tempore tam paruo visitationis exequi nequit.

Notarij sunt magni exactores.

DIco etiam; quòd *iuxta exigentiam* potest visitator non solum vnum notarium, sed etiam plures secum assumere: & quia, ut plurimum in exigendo salario metas rationis excedūt: debet ex officio eos refrenare. nec cum ipsis aut etiam vicario suo lucrum participare quoquo modo. alias ad restitutionem tenetur. nec prodest sibi remissio soluentis cap. statutum. §. notarium. de rescrip. lib. 6.

Ordinarius visitans quid facere debeat.

DEbet ergo attendere ordinarius visitās, cum sibi opus est publicū conuocare auxilium, quod faciat non ad præiudicandum, sed potius ad ea, quæ sunt Deo placita prosequendum. cap. 1. de offi. ord. item propter ea quæ non ut iudex, sed ut Deus nouit: neminem remoueat à communione. c. 2. c. tit. item quod cum ab ecclesiarum prælatis ecclesiastica sententia in malefactores aliquos promulgatur: illam studeat facere obseruari, vsque ad condignam satisfactionem. c. cum ecclesiarum.

rum. item quod ecclesiæ vacanti deputentur ij, qui fructus perceptos in vtilitatem ecclesiarum expendant. vt futuris successoribus fideliter reseruent.c.cum vos.item quod fraudulenter obtinentes se absolui acensuris per apostolicam sedem remittat ad eandem cum literis suis rei veritatem cõtinentibus.c.ex parte. item debet prouidere contra malitiam,ac desideria delegatorum apostolicorum. prout in c. significauit. item debet compellere monacos acquirentes aliquid illud in manibus superioris resignare, &c. vt in c. quanto.item ad reprimendam malitiam peruersorum debet pœnas canonicas a subditis facere obseruari. &c.cap. ad reprimendam. item caueat metropolitanus, ne exerceat iurisdictionem in subditos suffraganeorum. c.duo nisi in casibus permissis.de quibus in cap.pastoralis.eo.titulo.tametsi propter infirmitatem vel aliam causam non potest suffraganeum cõsecrare:potest alij vices suas committere.l. c. quod sedem. itẽ quod appellatione reiecta si quos viderit corrigendos, statuat ad reformationem quod regulare fuerit & honestum. capit.licet. & Deum prę oculis habens,ipsos ut animarum cura requirit per censuram ecclesiasticam corrigere non post ponat reformando prudenter ac diligenter subditorum mores; ne sanguis eorum de suis manibus requiratur. c. irrefragabili. instruens eos verbo pariter & exemplo.c.quoniam. & instrui faciens per alios similiter verbo & exemplo. c.inter cetera. quibus cum indiguerint necessaria subministret cõgrue.ne pro necessariorum defectu compellantur desistere ab incepto ut ibi.

Episcopi de quibus debent per visitatores interrogare.

DEbent ergo visitantes episcopos interrogare diligenter, si sciẽter celebrant, vel ordines faciant: uel etiã iudicent subditos: dum in mortali peccato se sciunt constitutos.c.fi.de cohab.cle.& mulie.de tempore ord.quæsitũ. item an conferant beneficia indiscrete maxime obtentu carnalitatis personis minus idoneis.l.vt nostrum,ut eccleſię benefi.& c. graue de præben.item si indoctum, & minus idoneum scienter ordinauit:vel illum, qui vnum pedem tenet in mundanis,& alium in ecclesiasticis contra legem diuinam. 49.d.c.fi. item si rogant pro indignis scienter. l. d.miror.item si trahunt monachos, & alios religiosos de monasterijs sine causa. & cõtra voluntatem Abbatum. 63.dist.c.1. & 18.q.2. quam sit.& cap. luminoso. item si conferant ordines loco remunerationis: cum non habeãt aliud,quo conferant: cum ordinis collatio debeat esse discreta, & discreti iudicij: quia ratum est omne,quod magnum est.63.dist.si officia. item se ipsi & laicis indiscrete sunt promoti. 58. dist. hic ad nos & c. ordinatos. Item si negligunt proprios clericos idoneos: & relinquant quasi eos oues errantes. 72.dist. episcopus. Item si promouent inuitos nulla causa exigente. nisi forte odij.74.dist.episcopus. gesta. vbi ista honoratus.& c.consuluit. Item si sustinent clericos in delicto suo: nec corrigunt obtentu obsequij sibi præstiti:aut carnalis facinoris, vel pecuniæ corruptionis.83.distin.si quis.episcopus.error.& c.consentire de offi.ord. irrefragabili.in fin. Item si ommittunt punire delicta,ut populis placeant:quod ple-

bi commissæ, & sibi perniciosus est. Itē si magis vtuntur consilijs laicorum, quàm clericorum. 83. distin. nihil illo pastore. miserius. 84. dist. peruenit. & c. nunciatum. item si nihil pauperibus errogent, & in vanum nomen episcopi portent. 86. dist. fratrem nostrum. & c. non satis. item si negligenter defendūt viduis, & orphanos, & pauperes, & alias personas miserabiles ad ecclesiæ defensionem spectantes. 87. distin. per totum. Item si habent de rebus spiritualibus: cum tamē scriptum sit quòd episcopi nullum rei familiaris curam personalem ad se reuocent, sed lectioni, & orationi, & verbis prædicationis tantummodo vacent. 88. dist. perlatū. Item si appropriant sibi omnia bona ecclesiastica. Solus enim episcopus incumbit bonis. solus sibi vendicat vniuersa. hoc est principium litis, & detractionis, & origo criminis. & ideo à clericis accusantur: & damnantur à Domino Iesu Christo: & clamore eorum. intrat in aures domini. & c. 94. dist. diaconi. Item si ordinant per pecuniam. quia tales incurrunt lepram. 1. q. 1. cum ordinaretur & c. cito turpem. de radice infecta bonus fructus exire non potest. eod. distin. fertur. & nisi renunciet saluari non potest. 1. dist. 1. si quis neque. Item si sunt nimis crudeles in prejudicio aliorum, & antequam eis constet de crimine sententiam fulminent. 86. d. si quid uero. quamuis enim uera sint, tamen in iudicio non sunt credenda. nisi certis indiciis demonstrentur. 11. q. 4. quamuis. & ideo non solum reus est, quòd falsum de aliquo profert; sed etiam ille, qui aures cito criminibus præbet. 11. q. 3. non solum. & si non essent auditores. quia nemo inuito auditore libenter refert. 6. q. 1. & merito. iudicans est enim semper re dubia certam dare sententiam, 11. q. 3. graue. & ambiguis. non est absolutum. id est certum iudicium ferendum. 33. dist. habuisse. & ideo nullus incerta pō tificum iudicare præsumat. quamuis uera sint. 30. q. 5. §. his. ita. & frequens debet esse insinuatio, & clamosa antequam fiat inquisitio de accusat. qualiter. 2. item si usurpant fructus ecclesiarum uacantium. c. cum uos. de offi. or. 10. q. 2. c. fina. de simon. audiuimus. de præben. de multa. de app. reprehensibilis. ubi puniendi sunt &c. de maled. statuimus. item dando malum exemplum. c. magnę. §. 1. de uoto. & tot mortibus. & c. 11. q. 3. præcipue. item si trāsgreditur iuramentum de quo in c. ego enim de iureiur. &c.

Monasteria tam marium, quam fœminarum sūt visitanda.

CIrca vero visitationes monasteriorum tam marium, quàm fœminarum ad officium visitationis exequendum de statu monacorum, obseruantijs regularibus debent intendere visitantes: & tam in spiritualibus, quā in temporalibus corrigere & reformare quæ viderint corrigenda, corrigentes & reformantes quæ correctionis officio & reformationis uiderint indigere. visitare etiam proprie & stricte est seminare spiritualia clero & populo subiectis, quandoque per prælatos constitutos super eos personaliter per se, quandoque per alios ex causa iusta. iuxta apostolicam. c. cum ex officijs de præscriptis: ut scilicet sacramenta ecclesiastica in quibus fundantur & consistit omnes christiana religio, solicite ministrentur & celebrentur: ac deuote exer-

exerceantur & suscipiantur: item ut cultus diuinus nedum conseruetur, sed augeatur: & in laudem omnipotentis Dei. & cum gratiarum actione omnia conuertantur & finiantur: & ad uitæ & gloriæ meritum & ueræ beatitudinis fruitionem finalem, hic est uerus ergo visitationis effectus. hinc est quod dicitur quod visitationis officium est ut euellat uitia, & dissipet malos mores, & ædificet uirtutes, sic dictas quasi nos à uitijs exeuntes & præseruantes.

Visitandi sunt infirmi & viduæ & pupilli.

DE non facta uisitatione infirmorum condenabit Deus visitatores in generali iudicio: dicens, infirmus eram: & non visitastis me &c. Matthe. 27.

Monachi de quibus debent per visitatores interrogari.

VIsitantes vero monachos petant si contra Abbatem volẽtem eos corrigere conspirent ad deponendum & alium faciendum. 18. quæst. 1. nullã item si comparant etiam ad depositionem animę eius. 7. q. 1. §. quando. 18. q. 2. ecce. tales enim sunt infames, nec possunt esse testes. 11. q. 1. conspirationem, & cap. coniurationum. de simo. pertuas. & c. licet heli. de re iudicum. 1. &. A. item. si incautam familiaritatẽ habent cum mulieribus, quas sibi con matres faciunt. de conse. distin. 4. monachi. & cap. non licet. 18. q. 2. peruenit. & cap. pernicioſam. Item si caute cum monialibus conuersantur. 18. q. 2. monasteria. & cap. decima. & c. diffinimus. ubi patet, quòd non licet monaco conuiuari cum monacha, nec secũ in eodem monasterio manere, nec loqui etiam cum consanguinea, nisi per verba compendiosa: ita quòd cito recedat & sub testimonio Abbatisse, & idem de Abbate: quia nec clericus, nec laicus debet ipsarum monasteria frequentare. cap. monasteria. de. 6. & hocle. Item si matrimonium non erubescentes contrahant. 17. q. 1. ut lex. & impudicas. & licet matrimonium non teneat, tamen bigami efficiuntur. 27. q. 1. quotquot. & cap. monacho: & hodie sunt excommunicati. cle. 1. de spon. item, si vagantur extra monasteria sine licentia sui abbatis. 16. q. 1. quidem monachi. & seq. & c. legi epistolam. & c. quanto, de offic. ord. item si sunt nimis ociosi: cum tamen arma hostis antiqui sint ociositas, & voluptas apta ad miseras animas capiendas, seu captiuandas: de renunciatione, nisi cum pridem. §. cum verum. de conse. distin. 5. nunquam vbi dicitur: facito aliquid operis, ut semper diabolus te inueniat occupatum. & subditur: amabis scientiam literarum, & carnis vitia nõ amabis. Item si volunt comedere carnes: ubi nulla necessitas immineat de consecratio. distin. 5. carnem. & 3. distin. §. in Refectorio. Item si gloriantur in nobilitate sua, & potentia amicorum, propter quod nolunt regi, sed alijs dominari. de st. mo. eaq;. §. 1. item si gloriam mundanam, & conuiuia communia appetunt, & secuntur contra nominis etimologiam. 16. q. 1. placuit. item si volunt habere cellulas in domibus cõmunibus separatas. nec volunt abstinentiam communem facere. 20. q. 4. c. monacum. & seq. Item si proprium habent. d. cap. cum ad monasterium. Item si sibi inuicem inuident: & sic sunt spirituales homicidæ detrahendo sibi inuicem. 6. q. 1. deteriores. de pec. distin. 1. ho-

1.homicidiorum, & ſecundum regulã veritatis cauſa commendationis tuæ nihil debes facere, quo maior alius fiat alias dedignabitur in te charitas habitare. 11.q. 3. ſi quid ergo. Item ſi exiſtunt aduocati in palatijs clericorum uel laicorum. de poſtul. capit. ex parte. Item, ſi phiſicam, & ciuile ius audiunt: vnde ſunt ipſo iure excommunicati: & ſi alias in multis excedunt. de quibus in te. ne. cleri. uel monacha.

Monaſteria non ſunt per ordinarios moleſtanda.

ITem quod vltra ea, quæ ſunt legis dioceſanæ, aut iuriſditionis non moleſtent monaſteria. c. conquerente ſed conſeruent eis priuilegia & præſcriptiones canonicas. c. dilectus. eo. tit. excludere debet ſeculares a clauſtris. per quos poſsit diſſolutionis materia, prouenire. c. ut iuxta. demum prouidi ſe ipſos corrigant reuocando cenſuras male latas. c. fin.

De cani de quibus debent per viſitatores interrogari.

VIſitantes etiam decanos, petant ſi ſuis epiſcopis graues, & ſuperbi exiſtunt. cap. dilectis. de app. item ſi in ipſius epiſcopi contemptum abſtineãt à diuinis, de offic. ord. irrefragabili. §. cæterum. Item ſi pro peccato alterius eccleſiam interdicunt. cap. quæſiuit. de his, quæ fi. ama. par. cap. Item ſi ſigillo capituli ſine eius conſenſu ſigillant. de proba. 3. de teſti. tam literis in fi. Item quod commune eſt, ſibi appropriant. de præben. ratio. & licet ſibi prius poſſint prouidere: tamen quod ſuper eſt tenentur diuidere, & pauperibus erogare. 12. q. 1. §. fin. item ſi nolunt ad ſacerdotium promoueri, cum ad hoc tenentur. de æta. & quali. c. 1. Item ſi epiſcopis conſentiunt in peccatis. de elec. per inquiſitionem. Item ſi abſentant ſine licentia epiſcopi. de cle. no. reſi. ex parte. & c. relatum. de conſe. diſt. 5. non oportet item ſi audiunt leges. c. ſuper ſpecula. ne cleri. uel mona. & c. 1. eod. tit. lib. 6. item ſi indifferenter exercent officium aduocati. de poſtulando. c. 1. & fi. Item ſi ſunt nimis ſuperbi, illiterati. 95. diſt. eſto ſubiectus. Item ſi plura beneficia, & plures dignitates tenent ſine diſpenſatione: & ſi diſpenſationem habent, ipſum non ſeruant: cum ſibi ſemper conſueuerit apponi, quod cura animarum non negligatur: nec eccleſiæ obſequium propter auaritiam, & ambitionem: quia tantum laborant aliqui, quòd nequeunt ſaturari. de præb. quia in tantum. & c. cum iam dudum. & c. relatum. de cleri. non reſi. propter quod redduntur ineligibiles. de elec. dudum. 2. Item ſi faciunt celebrari officia ſolemnia duplicia cum antiphonis integris: tam ante pſalmos, quàm poſt. & cum ſolemnitate ſonitus campanarum, & ſolemniori apparatu, & coloribus ſuper indumentorum appropriatis maioribus ſolemnitatibus, & alijs cerimonijs. de quibus in miſſali, & ordinario capellæ iuxta no. in c. 1. in fi. de reli. & uenera. ſanctorum. lib. 6.

Archidiaconi de quibus debent per viſitatores interrogari.

VIſitantes autem Archidiaconos interrogent an faciant tallias in presbyteros. 94. diſt. c. fin. de cenſi. cum apoſtolus. §. inhibemus. Item ſi uolunt habere vaccam albam, uel aliud certum temporale pro facienda inueſtitura. cap. peruenit. de exceſ. prælatorum.

de

de simo.cum in ecclesijs.& c.in tantum. Item si clericos in suis peccatis tolerát pro pecunia, de pœnis.licet. Item si excommunicatos nolunt absoluere,nisi prius recipiant pecuniam. 1.q.1.§. quibus.& c.nullus.& de simo.ad aures. item si vendunt iurisdictionem,& vices suas. cap.1. & 2. ne prælati vices suas. Item si nolunt ad diaconatus ordinem promoueri.c.1.de æta.& quali.de elec. cum in cunctis.§.inferiora.40. dist. innouamus. Item si opponunt se contra episcopos indebite,quorum oculi sunt. vnde vellent aliqui episcopi amisisse oculos.de offi.archi. ad hæc.93.distin. legimus. propter quod talis archidiaconus tanquam membrum putridum, ab ecclesia est merito remouendus. de excess.præla.grauem. Item si in deformitatem honestatis suæ volunt cum quibusdam mulierculis habitare. 81. dist.archidiaconum. Item si sunt circa suum officium negligentes, de offic.archid.eaque.

Archipresbiteri de quibus sunt per visitatores interrogandi.

VIsitãtes etiam Archipresbiteros, petant, si sunt negligentes circa suum officium: & si iudicant: & aliud quod etiam iustum sit faciunt,pecunia mediante:qua subtracta,statim subtrahunt iustitiam.10.q.3. qui recte. quod intelligo de archipresbiteris ciuitatis. & idem de eo, qui aliquando vocatur archipresbiter ruralis.c. ut singulæ. de offic. archipresbiter. qui & aliquando decanus vocatur.de offi.archid.ad hæc in fine. aliquando plebanus.de offi.or. cum ab ecclesiarum. quandoq; Abbas licet improprie.de renun. ex transmiss. visitantes uero propositos, siue priores qui quandam prioratus curam prealijs gerunt. de verb. quamuis interrogent de illius scientia cuius curam episcopus debet habere. de cleri. ex mi. proposuit.de pœn.omnis.

Sacristæ de quibus sunt interrogandi.

VIsitantes etiam sacristas petant, si sunt negligentes circa suum officium.scilicet custodiam vestimẽtorum; & vasorum ecclesiasticorum. & si illa faciant tractari per laicos,uel minores clericos.23.dist. non liceat. & cap.non oportet. Item circa ordinationem hostiarum, & præparationem incensi, & curam baptisterij. 25. dist. plect. ad fi.

Canonici de quibus debent per visitatores interrogari.

VIsitantes autẽ canonicos, interrogent,quare nolunt ad ordines promoueri.74.dist.si qui clerici.& cap. placuit de æta.& quali.quæris. Item si per ambitionem permittunt:imò quandoque procurant se intrudi in loco viuentis.c.1.de concess. præb.7. quæst.1. cum.qui.& c.non furem.3.q.2. audiuimus.Item si coniurationes faciunt.11. q.1.coniurationum.& c.clerici. Item si sunt nimis delicati, nec uolunt ecclesiam frequentare.81.dist. Si quis. & c. his de cleri.non c.pen. & fi. Item si accumulant pecuniam de præbendis. nec volunt aliquid pauperibus elargiri.12. q.1.§.fi immo.quòd peius est, ex inope diues factus, ex ignobili gloriosus, incipit negociari de bonis ecclesiasticis: qui quasi quædam pestis fugiẽdus est. 86.dist. negociarem. Item si male uiuunt canonici luxuriæ uacantes. unde potest dici, q̃ tota ciuitas capite deorsum pendet. 32.q.6.c.fin. nam & totus ciuitatis status per tales conturbatur. maxime quando nolunt episcopis obedire.

dire.17. distinct.§. hinc esset. studeant ergo circa opera charitatis: quia debent esse lumen boni, & speculum ciuitatis.10 quæst. quarta c.fi. Item si discordãt in capitulis, & partes sibi faciunt,maxime circa electiones,in quibus quasi nihil de Deo agitur, sed sequuntur carnalitatis effectum: tam priuati,quàm prælati,non iudicium rationis.cap.1.de hi,quæ fi. ama. par.cap.1. de electio.in canſis. §. 1.cum dilectus. congregato audis.& cap. considerauimus.de præben.graue. & de his excessibus aliquis in se regnare aliquid senserit,curet suo satisfacere creatori,qui cum expectat ad pœnitentiam. 93.dis. diaconi.ad fi. Item si cessant a diuinis: nisi prout in cap.2.& cap. quamuis.de offic. ord.lib. 6. item si admittunt non constitutos in sacris ad uocem capitularem contra.cle.1.de æta. & qualitate.Item si faciunt statuta à iure reprobata.in cap.fin.de reseri.in 6.& c. constitutionem.in fin.de verb. sign.eo.lib. Item si obseruent consuetudines à iure reprobatas: & non obseruant bona statuta ecclesiæ per eos iurata.c.1.de consuetudi.lib.6.

Presbyteri de quibus sunt interrogandi.

VIsitantes demum presbyteros interrogent si pmiserunt indignos ad ecclesiasticam militiam promoueri.33.distin.tales. & c. his quæ de æta. & quali. cum sit ars. Item, si fuerunt promoti simoniacam prauitatem, vnde celebrare non debent, de simo.tanta.& cap.tuæ.1.q.quisquis.& cap.repetuntur. Item si nimis incontinenter viuunt. 28. distin. diaconus. de cohabi. cleri.& mulier.per totum.de cleri.con iuga.cap.item si immiscent se spectaculis, & pompis mulierum, & conuiuijs publicis uitæ inhonestæ: usuris, lucris turpibus,fraudibus,amori pecuniæ, secularibus officijs, ac negocijs.munera recipiunt pro beneficijs medicinæ dei: dolosi sunt, conspiratores, sectantes odium,æmulationes, contrectationes, inuidias,si sunt vagi oculis, effreni lingua, petulantes, & gestu fluido laborantes: inuerecundi, obscæni: virgines & uiduas. & alias mulieres frequentãtes: inobedientes: sese iactantes: doctrinam,lectiones, psalmos, hymnos, & cantica fugientes, vigesimasecunda distinction. his igitur. item si libentius dant iaculatori,uel meretrici:quã pauperi,& plus diligunt venari, qua psallere. 86. distin. Qui venatoribus & c. donare. & c. eseu.itẽ de omnibus,quæ habentur in cap.1. per totum. ne cle. vel mo.item si subuertunt populum & in omni loco ponentes scandalum vertuntur in laqueum tortuosum. 24.q.3. transierunt, super alijs pluribus essent interrogationes faciendæ, de quibus, sparsim patet ex præcedentibus quæstionibus,quę causa breuitatis omitto. nam prudens inquisitor,& visitator iuxta qualitatem locorum, & personarũ & temporis arbitrabitur,super quibus præcipue magis habeat insistere: alia reseruans in subsequentibus visitationibus. & super omnia faciat obseruari constitutiones prouinciales,& diocesanas.

IMPERATOR VISITATUS de quibus interrogabitur.

VIsitans autem Imperatorem, vel Imperatricem interrogabit eos, uel testes: an faciant

ciant iustitiam, nec alias veniant tempestates in populum, & flagella. 23. q. 3. si quis violentos. & q. 5. regum. de nullo enim magis placere Deo potest, quàm si iustitiam exerceat, compescendo eos, qui in suam, & aliorum perniciem debacchantur. 23. q. 5. quasi nos. Item si quærit impugnare sanctam ecclesiam matrem suam, quam tenetur tueri, propter quod deponeretur. c. venerabilem. §. obiectionem. & §. fin. de elec. quia siue pacata, siue turbata fuerit ecclesia tẽpore sui reginiinis: Deus, qui tuitionem ei commisit, exiget rationem. 23. q. 5. principes in fi. item si distingunt clericos in foro suo placitare in personalibus actionibus. 11. q. 3. continua. & c. nullus. & c. placeant. Item si immiscent se electionibus prelatorum contra iura. 63. dist. sacrorum. & §. seq. & c. Adrianus. & c. ego Ludouicus. de elec. sacrosancta. & c. quis. nisi hoc habeat ex apostolico priuilegio & sic intellige de iure pa. c. nobis fuit. *inf. 1.* item si sine causa pedagia concessit, vel pecuniam mutuat. Item si aliquos ex odio exhæredat, & deicit, & alios ex leui opinionis aura sublimat. 15. q. 7. sexta actione. Item si reliquit vxorem suam propria temeritate. qui fi. sint legitimi: per venerabilem. §. videbatur. Item si labitur in hæresim. 11. q. 3. Iulianus. Item si non reueretur episcopos, scilicet capit. & mutilat, & occidit. de ma. & obe. de elec. venerabilem. §. eos. igitur. circaque adde dicta per host. in summa de elec. §. quis elegi. sub. §. Item secundum versi. nedum in prælatis. & se. Item si electus in Imperatorem ante confirmationem administrauerit: & an virtute consuetudinis cum electo in discordia voluerit vincere in campo, prout examinat. Olde. in consil. 142. quod incipit: An electus in imperatorem. Item an si duobus electis imperatoribus in discordia vterque dederit priuilegia, & sententias: de quo per eundem in cons. 64. quod incipit an cum duo sunt electi. in imperatores.

REGES VISITATI de quibus sint interrogandi.

VIsitans vero Reges debet specialiter interrogare, si trahũt clericos ad forum suum, vnde deponendi essent. 11. q. 5. nullus. nam qui cęlestem militem pulsat eius forũ debet sequi. 11. q. 1. Christianus. cap. si clericus laicum. & c. si diligentis. & c. cum sit generale. de for. compe. item si ab ecclesijs & personis ecclesiasticis. pensiones, procurationes & banna extorqueant contra iura, & ecclesiasticã libertatem: quia incurrunt pœnam. 20. librarum auri. 25. q. 2. quæcumque igitur, & iniuriarum tenentur. de iniurijs. olim. 23. q. 8. §. quamuis. nam plus iuuat ecclesia regnum orationibus; quàm armiger armis. ut ibidem in c. quicunque. Item si ducunt secum ad exercitum contra iura sacerdotes. 23. q. 8. quo ausu. & c. Si quis episcopus. si nobis fratres. & c. reprehẽsibiles. 33. dist. si quis vult pontifex. ut scilicet pugnẽt personaliter. secus si ad dandum consilium in iusto bello. de voto ex multa. §. pe. & fi. Item si non faciunt iustitiam, vnde sunt deponendi. 15. q. 6. alicuius. Item si talijs, & exactionibus populum Dei affligant indebite, & pauperibus iniuriantur: de quibus tenentur reddere rationem Deo. 14. q. 5. non sane. 23.

q.4. quando vult Deus.& c.si ecclesia. in fi. Item si occupant alienas terras,& non sunt contenti proprijs finibus. 23. q.4.transierunt.& tales non saluantur: etiam si bene administret:nisi res alienas restituant. secundum Augusti.14. q.5. neque enim ratio est.61. distin.& ideo etiam possunt iuste impugnari. est enim iustum bellum pro bonis nostris defendendis, vel repetendis.23. q.2.dominus.Item contra sarracenos, qui terras nostras per iniustitiam detinent occupatas.23.q.6. dispar nimirum. & intendunt occupare si possent. vt in capitulis ibi sequentibus, & contra excommunicatos. 23.q.5. omnium vestrum.& c. excommunicatorum.& q.8.omni tempore.si nulla.& c.ut pridem. Item si volunt plures habere,& tenere, & cognoscere mulieres: sicut equus emissarius, & sicut mulus, in quibus non est intellectus: in animæ suum periculum, & scandalum plurimorũ:cũ tamen vnus Rex vni mulieri vix sufficiat: quare excommunicari,& deponi deberent, si incorrigibiles apparerent. 11.q.3. præcipue. cum nulli liceat habere plures. c. gaudemus. de diuor.& c.porro. de sponsa.c.1. item si crimen sacrilegij læsæ maiestatis: & vsuræ committunt iudeis super Christianos sua officia cõcedendo.54. dist. nulla.7.q.4.constituit & dic, quòd capitulum.ex speciali de iudeis debet intelligi de comparatiue permissis, & non vere. Item si soluunt decimas, & primitias,& oblationes ecclesijs debitas.de consc.dist.1.omnis.ad quas soluendas tenentur.16.q.1.reuertimini.& c.decimæ.23.q.5.dicat aliquis.de consc. dist.5. quadragesima. vbi etiam tenentur ad decimas dierum. Item si sequuntur auguria:& in ipsis confidunt: & in sortibus,& superstitionibus.à uera fide deuiantes.26.q.5.augurijs.& c. episcopi. & ideo sine luce sunt tales, quia nihil melius resplendet in principe, quàm recta fides. c. de summ. tri.inter claras.95.dist. Si imperator. nec debet degenerare à bonis. vnde versus:

Rex super es, si tu superes præceptor honoris:
De generes, si degeneres à laude prioris.

DVCES DE QVIBVS sunt interrogandi.

VIsitans autem Duces specialiter interroget, an talijs, & exactionibus indebitis excedant: & an faciant cõstitutiones cõtra ecclesiasticã libertatẽ: cõtra capitulũ cum laicis. de re eccles. non alienan. propter quod tam ipsi, quàm scriptores, & obseruantes sunt excommunicati ipso iure:& feudis, quæ tenent ab ecclesijs,sunt priuandi.de sent.excom. nouerit & c. grauem. & possunt feuda eorum alijs potentioribus cõcedi,qui illa pro ecclesia recognoscant. c. 2. de feudis. Item si volunt habere capellas suas,& capellanos sine auctoritate episcopali.& quod capellani habeant curam vxorum suarum: & familiæ: & q oblationes eis factas vbicunque etiam missas audiant: etiam imbursent. quod est iuri communi contrarium, & soli duci Burgundiæ concessa est in aliquibus priuilegiata capella.ut in cap.cum capella.de priuileg. quod priuilegium ne videatur personale, debet concedi in persona alicuius ecclesiastici, in dignitate

gnitate constituti. iuxta not. in c. accedentibus. de excess. præla. ad fi. de præscriptio. cum olim.

Marchiones, & Comites de quibus interrogabuntur.

VIsitantes etiam Marchiones, qui dicuntur spectabiles: & comites qui dicuntur clarissimi. 2. q. 6. anteriorum præcipue interrogent an liberos homines subijciant seruituti. & eis graues existant. 14. q. 5. non sane. vi tamen nullus liber seruus fieri debeat. 29. q. 2. relatum. & adde, quod no. 1. q. 4. ver. Item, quòd pro peccato & uer. Item Dauid. Item in licitis, & honestis superioribus suis obedientes existant, & quando pauperiores sunt ipsos despiciant. vnde peccatum idolatriæ incurrunt. 31. dist. §. verum. 23. q. 1. quid culpatur. 2. q. 6. cum miles. Item an priuauerint filios legitimos, ut adulterini succedant eis, quibus tenentur ad restitutionem. 1. q. cum tu. de vsu. de pœn. officij. Item si seruant iustitiam pauperi. qui non habet, quod offerat, & ideo non auditur. 11. q. 3. pauper. & an plerunque eos suspendant pro modico: & quandoque sine iustitia. & non timent iustum iudicem. non credant eum pacificum inuenire. 23. quæst. 5. Regum. Item si episcopos, & alios clericos honorant, sicut debent. c. solite. de ma. & obe. & an eis iura sua subtrahant: & quandoque subijciant seruituti. contra c. ius publicum. 1. d. 11. q. 1. continua. de iureiur. peruenit. & c. nimis cum seq. de quo in tremendo iudicio habebunt reddere rationem. Item an pro nihilo, & de facili moueant guerras: quas etiam ex propria auctoritate facere non debent. Item si in causis proprijs dicunt sibi ius contra. tit. cap. ne quis in sua causa. & l. damnamus. c. de his ij ad ecclesias confugiunt. & l. nullus. cap. de iudi. & l. 1. quorum legatorum. quia non interest an aliquid fiat nulla lata sententia, vel vitiose lata. ff. qui satis da. co. Item an differant iustitiam tantum affligendo partes laboribus, & expensis: quod aut cogûtur iuri suo renunciare: vel ipsum vendere vel componere de rescrip. non nulli. vnde tenentur ad interesse. & alias puniri debent. de rescrip. c. fi. & c. cæterum de iu. l. sancimus. & l. properandum. §. illo. c. eod. tit.

Barones, & proceres de quibus sint interrogandi.

VIsitantes autem Barones, & Proceres examinent super rapinis, & talijs & bellis iniustis, & spolijs, & homicidijs. de iureiur. c. sicut de rap. c. 1. de pœnis. c. 2. 23. q. 8. ut pridem. item an faciant filios suos baptizari in domibus eorum priuatis contra clem. 1. de baptismo.

Principes & magni qualiter sint à visitatoribus arguendi.

IN principibus, potestatibus, & officiarijs arguendis adhibenda est cautela, quia laudanda sunt merita bonorum prius, & consequenter in genere detestandi sunt abusus tiranię. & scelera declaranda, quæ sunt inconuenientia, quæ sequuntur, pœnę, flagella, & damna. sicut apostolus ad Ephesios. c. 1. & 2. ostendit hunc arguendi modũ: commendando primo merita, & tandem scelera detestãdo in potestatibus, officiarijs, & maioribus, arguere debet episcopus si nõ faciant iustitiam, quia inde propter calumnias & dolos transferuntur dominia, principatus & regna, ecclesias. 10. c. non potest ad causam

q.4. quando vult Deus.& c.si ecclesia. in fi. Item si occupant alienas terras,& non sunt contenti proprijs finibus. 23. q.4.transierunt.& tales non saluantur: etiam si bene administret,nisi res alienas restituant. secundum Augusti.14. q.5.nequé enim ratio est.61.distin.& ideo etiam possunt iuste impugnari. est enim iustum bellum pro bonis nostris defendendis, vel repetendis.23. q.2.dominus.Item contra sarracenos, qui terras nostras per iniustitiam detinent occupatas.23.q.6.dispar nimirum.& intendunt occupare si possent. vt in capitulis sibi sequentibus, & contra excommunicatos.23.q.5.omnium vestrum.& c.excommunicatorum.& q.8.omni tempore.si nulla.& c.ut pridem. Item si volunt plures habere,& tenere, & cognoscere mulieres: sicut equus emissarius, & sicut mulus, in quibus non est intellectus: in animæ suum periculum, & scandalum plurimorú:cú tamen vnus Rex vni mulieri vix sufficiat: quare excommunicari,& deponi deberent, si incorrigibiles apparerent.11.q.3.præcipue.cum nulli liceat habere plures.c.gaudemus.de diuor.& c.porro.de sponsa.c.1.item si crimen sacrilegij læsæ maiestatis: & vsuræ committunt iudeis super Christianos sua officia cõcedendo.54.dist. nulla.7.q.4.constituit & dic, quòd capitulum.ex speciali de iudeis debet intelligi de comparatiue permissis, & non vere. Item si soluunt decimas, & primitias,& oblationes ecclesijs debitas.de consc.dist.1.omnis.ad quas soluendas tenentur.16.q.1.reuertimini.& c.decimæ.23.q.5.dicat aliquis.de consc.dist.5. quadragesima. vbi etiàm tenentur ad decimas dierum. Item si sequuntur auguria:& in ipsis confidunt: & in sortibus,& superstitionibus.à uera fide deuiantes.26.q.5.augurijs.& c. episcopi. & ideo sine luce sunt tales, quia nihil melius resplendet in principe, quàm recta fides. c. de summ. tri.Inter claras.95.dist. Si imperator. nec debet degenerare à bonis. vnde versus:

Rex super es, si tu superes præceptor honoris:
De generes, si degeneres à laude prioris.

DVCES DE QVIBVS sunt interrogandi.

VIsitans autem *Duces* specialiter interroget, an *talijs*, & exactionibus indebitis excedant: & an faciant cõstitutiones cõtra ecclesiasticã libertatẽ: cõtra capitulũ cum laicis. de re eccles. non alienan. propter quod tam ipsi, quàm scriptores, & obseruantes sunt excommunicati ipso iure:& feudis, quæ tenent ab ecclesijs,sunt priuandi.de sent.excom. nouerit & c. grauem. & possunt feuda eorum alijs potentioribus cõcedi,qui illa pro ecclesiá recognoscant. c.2. de feudis. Item si volunt habere capellas suas,& capellanos sine auctoritate episcopali.& quod capellani habeant curam vxorum suarum: & familiæ: & ꝙ oblationes eis factas vbicunque etiam missas audiant: etiam imbursent. quod est iuri communi contrarium, & soli duci Burgundiæ concessa est in aliquibus priuilegiata capella.ut in cap.cum capella.de priuileg. quod priuilegium ne videatur personale, debet concedi in persona alicuius ecclesiastici, in dignitate

gnitate constituti. iuxta not. in c. accedentibus. de excess. præla. ad fi. de præscriptio. cum olim.

Marchiones, & Comites de quibus interrogabuntur.

VIsitantes etiam Marchiones, qui dicuntur spectabiles: & comites qui dicuntur elatissimi. 2. q. 6. anteriorum præcipue interrogent an liberos homines subijciant seruituti. & eis graues existant. 14. q. 5. non sane. vi tamen nullus liber seruus fieri debeat. 29. q. 2. relatum. & adde, quod no. 1. q. 4. ver. Item, quòd pro peccato. & uer. Item Dauid. Item in licitis, & honestis superioribus suis obedientes existant, & quando pauperiores sunt ipsos despiciant. vnde peccatum idolatriæ incurrunt. 31. dist. §. verum. 23. q. 1. quid culpatur. 2. q. 6. cum miles. Item an priuauerint filios legitimos, ut adulterini succedant eis, quibus tenentur ad restitutionem. q. cum tu. de vsu. de pœn. officij. Item si seruant iustitiam pauperi. qui non habet, quod offerat, & ideo non auditur. 11. q. 3. pauper. & an plerunque eos suspendant pro modico: & quandoque sine iustitia. & non timent iustum iudicem. non credant eum pacificum inuenire. 23. quęst. 5. Regum. Item si episcopos, & alios clericos honorant, sicut debent. c. solite. de ma. & obe. & an eis iura sua subtrahant: & quandoque subijciant seruituti. contra c. ius publicum. 1. d. 11. q. 1. continua. de iureiur. peruenit. & c. nimis cum seq. de quo in tremendo iudicio habebunt reddere rationem. Item an pro nihilo, & de facili moueant guerras: quas etiam ex propria auctoritate facere non debent. Item si in causis proprijs dicunt sibi ius contra. tit. cap. ne quis in sua causa. & l. damnamus. c. de his ij ad ecclesias confugiunt. & l. nullus. cap. de iudi. & l. 1. quorum legatorum. quia non interest an aliquid fiat nulla lata sententia, vel vitiose lata. ff. qui satis da. co. Item an differant iustitiam tantum affligendo partes laboribus, & expensis: quod aut cogũtur iuri suo renunciare: vel ipsum vendere vel componere de rescrip. non nulli. vnde tenentur ad interesse. & alias puniri debent. de rescrip. c. fi. & c. cęterum de iu. l. sancimus. & l. properandum. §. illo, c. eod. tit.

Barones, & proceres de quibus sint interrogandi.

VIsitantes autem Barones, & Proceres examinent super rapinis, & talijs & bellis iniustis, & spolijs, & homicidijs. de iureiur. c. sicut de rap. c. 1. de pœnis. c. 2. 23. q. 8. ut pridem. item an faciant filios suos baptizari in domibus eorum priuatis contra clem. 1. de baptismo.

Principes & magni qualiter sunt à visitatoribus arguendi.

IN principibus, potestatibus, & officiarijs arguendis adhibenda est cautela, quia laudanda sunt merita bonorum prius, & consequenter in genere detestandi sunt abusus tiranię. & scelera declaranda, quæ sunt inconuenientia, quæ sequuntur, pęnę, flagella, & damna. sicut apostolus ad Ephesios. c. 1. & 2. ostendit hunc arguendi modũ: commendando primo merita, & tandem scelera detestãdo in potestatibus, officiarijs, & maioribus, arguere debet episcopus si nõ faciant iustitiam, quia inde propter calumnias & dolos transferuntur dominia, principatus & regna, ecclesias. 10. c. non potest ad cau-

sam potestatum magis Deo placere, quàm iustitiam exercendo,& eos compescendo qui in suam & aliorum perniciem debaccãtur. 33.q.5.c.qualiter nos.itẽ propter defectus iustitiæ insurgunt Dei flagella. 23.q.4. cap.si quos. item arguere debet potentatus, barones,milites,& dominos,qui in mulieribus extraordinarijs, quæstis; & collectis depauperant subditos : cum debeant de redditibus suis stipendia sumere, & a præda abstinere. ideo Ezechi.22.c. dicitur. principes eius in medio illius quasi lupi rapientes prædam. & effundendum sanguinem perdendas animas. & auaritiæ lucri sectanda, sic si non sit iusta cãusa,ad restitutionẽ tenentur, ut tractat Raymundus de pœna furti. in summa de casibus. titul. de raptoribus.§.de quæstis. item si deprimant ecclesias & cleri libertates & iura argui debent.quia ecclesiam,quã à Christo tuendã suscipiunt defendere debent.23.q.5. Principes Philosophi tradunt decem causas,quibus principes bene regunt terras & dominia sua . quæ subsequenter per ordinem enumerentur. ut prælati habeant materiam instructionis principum.est autem primum quod spectat ad verum principem facere ut maxime procuret bona communia:& terræ redditus studeat expendere in bonum commune vel bonum regni. Tiranni uero hæc simulant facere, tamen non faciunt. sed vt ait apostolus,eos tribuunt meretricibus & adulatoribus & alijs personis inutilibus. secundo, spectat ad Reges & dominos, nõ solum redditus & oblationes ordinare in bonum commune, & ad bonum suæ terræ, sed etiam bona communia a iure regni & terræ debet maxime custodire & obseruare quod tiranni licet se facere simulant; non tamen faciũt : immo bona aliorum rapiunt:& iura regni non obseruant. Tertio decet principem non ostendere se nimis terribilem & seuerum,nec decet se exibere nimis familiarem sed apparere debet persona grauis & reuerenda.facit. l. Congruit. ff. de offic. præsi. quod congrue sine virtute fieri non potest. ideo verus princeps vere virtuosus extitit. Tirannus autem talis non est, sed se esse simulat. Quarto spectat ad principem nullum subditorum offendere,nulli iniuriari, nec in filiabus,nec in vxoribus, nec in persona, nec in aliquibus alijs, & si contigerit aliquem ex regno forte facere non propter contumeliam,nec propter aliquam aliam libidinosam voluntatem complendam,sed propter bonum commune & iustitiæ ipsum punire debet. sed quia intendunt in bonum pecuniosum & delectabile iniuriantur ciuibus in uxoribus,& filiabus, & rapiunt eorum bona. Quinto decet principes non solum habere familiares,& diligere barones & nobiles, & alios p quos bonus status regni conseruari potest. sed etiam,vt ait Philosophus.3. politicorum, inducere debent uxores proprias vt sint familiares & benevolæ uxoribus prædictorum. nam mulieres ualde inclinant ad volũtates proprias, eo quod quilibet ualde inclinatur, vt nolit proprias contristare, quare si vxores nobilium & aliorum per quos bonus status regni conseruari habet,viderent se contemni ab vxore principis aut regis, inducerent uiros,vt seditiones commouerent in regno vel principatu. sic ergo gerere se debet bonus

rector

rector populi,regni,aut ciuitatis.Tirannus autem non sic se habet, sed corde elatus alios contemnit.propter quod nec ipse,nec personæ sibi coniunctę alij sunt bencuoli. Sexto, decet uerũ principem esse moderatum in cibis & potu,ne turbetur:& a suis etiam subditis habeatur in contemptu.nam vt dicitur 5. Politicorum, non contemnitur qui est sobrius,sed qui ebrius.Tiranni hoc non faciunt. nam cum non intendant nisi commodum proprium ut bonum pecuniosum & delectabile: quia maxima delectatio sensibilis est in cibis & uenereis. Tiranni absque freno fruuntur uoluptatibus illis. Decet etiã uerum principem, ut ait Philosophus, sapientes & bonos etiam extraneos a deo horare, ut putetur,nõ sic honoratos a ciuibus proprijs si inter ipsos existerent,quod Tiranni non faciunt, etiã decet uerum principem per vsurpationem,& iniustitiam non dilatare suum dominium.nam,vt dicitur in politicis, *durabilius* est regnare super paucos, *quam* super multos. quod maxime uerum est,si huiusmodi multitudo ciuilis potentiæ acquisita sit per usurpationẽ & iniustitiam. recitat autem Philosophus.5.politicorum. quod cum quidã rex partem regni dimisisset,quia forte eam iniuste tenebat, increpatus fuit ab uxore dicente,quod uerecundari deberet, quia minus regnum dimitteret filijs quam accepisset a patre. respondit Rex ille,quod si dimittebat eis minus regnũ in quantitate, dimittebat tamen maius in qualitate. & diuturnus tempore. Tiranni hoc non faciunt, nam licet semper simulent se iuste agere, tamen multi suum dominium iniuste ampliant. & aliorum hæreditates sine ratione vsurpant. Vltimo decet veros principes bene se habere circa diuina. populus enim, vt recitat Philosophus, omnino est subiectus principi : quem credit esse deicolam, & habere amicum Deum.existimat enim talem semper iuste agere: & nihil iniquum siue iniustum agere.siue exercere:tamen potest ad hoc alia melior ratio adduci dicendo quod si princeps habeat amicum Deum diuina prouidentia,cui omnia sunt nata:& eius potentia cui nihil potest resistere, diriget eum ut expedit suæ saluti: & semper faciet in suis actibus prosperari, immo propter sanitatẽ principis multoties Deus multa bona confert existentibus in ipso principatu. Prælati autem non valent sic arguere potestates & principes sicut inferiores : sed si videant eos in fide & deuotione ecclesiæ minus feruentes commendent religionem catholicorum principum. nam sicut dicit epistola inter claras.cap. de summa Trinitate & fide catholica, nihil est quod clarius præfulgeat quam recta fides in principe. nihil est quod ita nequeat occasui subiacere quam principis vera religio. item si opprimant ecclesias & clerũ allegent quod Christus ecclesiam catholicis principibus tuendam tradidit:& de illa defendenda sunt Deo rationem reddituri. 23.q.5.principes.

Milites de quo interrogabuntur.

VIsitans uero milites petant, an sint contenti suis stipendijs,& concutiant homines contra Euangelium,ubi dicitur: Neminem concutiatis, neque calumniam faciatis. Estote contenti stipendijs vestris.23.q.1. paratus & c. militare.36.dist. non satis.

Item.

Item an impugnent patriam,& dominum proprium,cui ex iuramento fidelitatis seruire tenentur.ff.de religio.& sump. fun.l.minime. 23.q.5. quid culpatur.l.ut uim.ff.de iustitia & iure.22. q.5.de forma.Item an faueant, & seruiant dominis etiam in iustis bellis: quando potius debent recognoscere Imperatorem cœli.11.q.3. Iulianus. Item an exerceant se in torniamentis. tit.de torniamentis.uel in duellis, quæ tota die offerunt, & acceptant.contra no.in tit.de purgatorio.vulga. & de pugnantibus in duello.

Doctores, & magistri de quibus interrogabuntur.

VIsitantes insuper Doctores, siue magistros, petent, si cum indoctos, & nimis insufficienter se sentiunt, se faciant per preces,&munuscula in magistros promoueri. nam vix erit bonus magister, qui non fuit bonus discipulus.de electione.cum in magistrum.61.dist.quid proderit. nec pro nouis sunt antiqui deserendi.61.d.statuimus. nisi cum nouo adeo magis aliquid magis reuelatur.95.d. esso. Item si despiciunt subditos cathedratos, & propter vitium arrogantiæ ea,quæ sciunt,recte docere non possunt.46.d.habet hoc proprium. & hi faciunt iniuriá cathedræ.11.dist.multi.Item si contẽnunt simplices, qui magis volunt vitare vitia morum, quàm verborum. 39. dist.sedulo. Item si conantur dicere nõ vtilia,sed subtilia, vt uideantur ab hominibus.&c. & sic confundant auditores.43.§.si.49.distin.c.1. Item si tacent veritatem, & vitia, quibus vinciuntur, seipsos reprehendere videantur.1.q.1. vltimus.3.q.2.in grauibus. item super falsis consilijs, quæ dant pro pecunia, quamuis iustum uendere possent. 11.q.3.non licet.not.in c.cum ab *omni* de 6. & cle. & quæ male exterserunt, debent restituere, uel pauperibus erogare.14.q.5.si habetis.& §. multipliciter & c.non sane. alioquin cum diabolo perpetuis cruciatibus punientur. de pœnit.d.1.§.his auctoritatibus.

Aduocati de quibus sunt interrogandi.

VIsitantes quoque aduocatos, interrogabunt si subdole fouent causas prodendo proprium clientulũ, præuaricatores, & infames.2.q.3.§.notandum. Item si causas desperatas fouent contra conscientiam, improbos defendentes. 11.q.3.si qui vero. Item si dilationes superfluas *nituntur* obtinere,ad hoc tantum,vt fugiant,& negocium protrahant.c.1.vt literæ de dolo, & contumelia prout.3.q.8.5.tria.uers. Præterea.alias puniuntur.c. de iud.properandum.§. illo. Item si nimis magnũ salarium recipiant, & paciscuntur de quota litis, vnde ab officio sunt amouendi.3.q.7.§.tria. Item si ignorantes iura,cum nesciant quid dicant, certãt. 3.q.8.uer.si quis adeo. Item si alijs lucrum vt subtrahant,ubi est copia peritorum:parcissimo lucro tanquam viles, & abiecti sunt contenti. 3. q. 7.§. tria.uersi. apud. Item si faciunt positiones cauillosas:vt aduersas partes decipiant, & inducant clientulos ad peiorandum,ponendo, & respondendo informant falsos testes,& quærunt.22.q. 5.ille,qui.& c.si quis conuictus. Item si recepto salario non curent de causa, nec studeant,nec vigilant circa eam, & patiuntur bonam causam per d. cap.ad aures.Item si sciant se non sufficientes: tamen recipiunt salarium, vt alijs sufficientibus uires suas committant.ff. de

præ-

præscrip.uer.l.apud Labeonem. §. fina. siue consensu.clientuli.l.inter artifices. ff.de solut.iuncta.l.qui re.ff. de fur.qui nisi veram faciendo.fecerint pœnitentiam apud inferos perpetuo cruciabuntur,de pœnit.d.1.id circo.nec habebũt in die iudicij de allegationis nitore, uel eloquentia subsidium. 9. q. 3.aliorum.

Aduocatorum numerantur crimina multa.

IN aduocatis, & causidicis detestanda sunt vitia antiquiforensem eloquentiam, facundiam caninam nuncupabant: eo quod causidici in certaminibus causarum,quæ agunt veluti canes alterutrum se se lacerant, iurgia causarum ad iniurias suas commutãt. primo peccant: quia sub dolo fouent causas prodẽdo proprium clientulum, & tales preuaricantes sunt,& infames. 2.q.3.§.notandum. Secundo quia causas desperatas fouent contra conscientiam, contra prohibitionem sacram improbum defendens. Tertio, quia dilationes superfluas nituntur obtinere, ad tantum,vt fugiant & negocium protrahant. Quarto, recipiendo nimis magnum salarium paciscendo super certa parte litis,cum graui damno litigatoris. propter quod deberent ab aduocatione remoueri.Quinto ignorãtes iura, cum nesciant quid dicant plerunque opprobrijs certant.Sexto,quia vbi est copia aduocatorum vt alij lucra subtrahant:paruissimo salario sunt contenti tanquam viles & abiecti. Septimo accipiunt salarium nimis magnum inspecta sua facundia, & labore quem suberunt quantitate causę, & fori consuetudine. Octauo,quia faciunt positiones cauillosas, ut aduersarij partem decipiant. inducũt clientulum ad peierandum,ponendo,& respõdendo informatos testes subornant:& ideo tanquam homicide tenentur: & infamia perpetua notantur. 22. q. 5. c. ille qui hominem. Hon. quod recepto salario non curant de causa, nec curãt nec vigilant circa eam. & propter eorum negligentiam aliquando amittit clientulis bonam causam: & ideo ipsi obligantur.art. de eta. Decimo, quia sciunt se idiotas & insufficientes:& nihilhominus salarium accipiunt magnũ: & tamen propter insufficiẽtiam suam causam quandoque amittunt.

Mercatores de quibus sunt interrogandi.

VIsitantes autem mercatores interrogent,an reddant decimas personales.32.dist. presbyter hæc.16. q.1.decimæ.c. pastoralis. & c. tua nobis.de decimis. Item an sub specie liberalitatis, & pietatis, vsuram pallient. uendendo ad terminum ultra uerum ualorem. de usur. consuluit. & in alijs contractibus veris peccent. de pœnit. dist.5.qualitas lucri. 24. q. 4.quicunq; ubi scilicet venditur carius,quàm ematur.Item si uendunt carius transeuntibus,& peregrinis, quàm vicinis.c.1.de emp.& uend. uel in falsis ponderibus, & mensuris.c.ut mensuræ.eod.ti. Item de mendacijs,& periurijs infinitis. 22. q.2.primum.& c.mihi autem. & c. omne.2.q. 5. iuramenti. Item an seruent fidem datam, & iuramẽtum præstitum in societatibus:quia nec eis tunc est fides seruanda.c. peruenit de iureiur.& c.sicut.Item an in remotis nimiam moram trahant: & cum diuersis maritatis adulterium committendo: & suis causam adulterij præbendo. Contra capitulum in præsentia. de spon.vnde pro-

ve-

ueniunt multa mala.

Ruſtici de quibus ſunt interrogandi.

VIſitantes autem ruſticos petant, an reddant decimas prædiales & perſonales: & an deducant expenſas, & ſalaria de fructibus: & alias fraudes adhibeant c. cum homines. de deci. & c. cum non ſit in homine. & c. nō eſt. Item an ruſtici diuites reuereantur dominos pauperes, eis in neceſsitatibus prouidendo: tunc cuilibet fame morienti deberent ſubuenire. 86. diſt. paſce. & c. non ſatis. & c. cum officijs. de teſtam. Item an iura dominorum ſubtrahant cum eis placitando: & vexando laboribus, & expenſis: & alijs potentioribus dando in illos contra veros dominos protegentes. c. ea te. de iureiurand. de deci. tua. nobis. & c. de agri. & cenſi. l. quemadmodum. cum multi aliis legibus. illius tituli. lib. 11. & in authen. de quæſtore collat. 6. & cenſi. omnis & an colant feſta, mercata & alia opera ſeruilia non facientes. de ferijs. c. 1. & fi. de conſec. diſt. 3. c. 1. Item de homicidijs, periurijs, & falſis teſtimoniis, fornicationibus, & aliis communibus uitiis. injuriis & damnis uicinis per ipſos datis. de iniuriis. c. ſi rixati. & c. ſi læſerint. & c. ſi egreſſus, & c. ſi culpa tua. & multis aliis: quorum tamen uita tutior eſt aliis, 35. diſt. eccleſiæ. unde uerſus.

Diuitijs vti res eſt, aduerſa ſaluti.
Paucos crede bonos: quos beat æris honos.
Mollities, veſtis, coitus, gula', cura quietis.
Poſſunt luxuriæ quatuor eſſe rotæ.

Coniugati qualiter ſunt ad bene viuendum inſtruendi.

PRimo ergō videndum eſt qualiter inſtruantur ad bene viuendum & operandum coniugatos. tales inſtructiones colliguntur ex dictis ſanctorum apoſtolorum Petri & Pauli, in Epiſtolis: & ex diuerſis palsibus ſcripturæ ſacræ, & Canonibus. & quia propter fragilitatem non eſt conſtantia prudentię in mulieribus: illos attentius ad politiam vitæ honorari debent: prout ſancti apoſtoli in ſuis admonent epiſtolis. ſic dicens. 1. Petri. 3. mulieres ſint ſuis uiris ſubditę, quarum non ſit extrinſecus capillatura, vel circundatura auri uel argenti: vt ſuperfluus indumentorum cultus: vt permaneant in corruptibilitate quieti, & moleſti ſpiritus: viri ſint cohabitantes ſecundum ſcientiam quaſi infirmiori uaſculo muliebri impartientes honorem tanquam cohæredibus gratię, vt orationes non impediā tur: omnes autem ſint vnanimes in fide, in oratione compatientes: fraternitatis amatores: miſericordes, modeſti, humiles, non reddentes malum pro malo, nec maledictum pro maledicto. Sed e contrario benedicentes, hæreditatem poſsideant. & ſequitur: qui vult dies videre bonos, coerceat linguam ſuā a malo, & labia ſua ne loquantur dolum. declinet a malo & faciat bonum, inquirat pacem & perſequatur eam. ad idē in pſona beati Titi Apoſtolus inſtruit Epiſcopos qualiter rurales & coniugatos habeant impolitia viuendi inſtruere, ſic dicens ad Titum. 2. ca. Tu autem loquere quæ decēt ſanam doctrinam & c. Anus ſimiliter in habitu ſancto, nō criminatrices & c. Aduleſcentulas, vt viros ſuos ament, filios ſuos prouidenter diligāt & c. iuuenes ſimiliter exhortare, vt ſobrii ſint. & ſequitur in omnibus

bus teipsum præbe exemplum bonorum operum, in doctrina, in integritate &c. seruos decet subditos esse dominis suis, in omnibus placentes, non contradicentes, nec fraudantes, sed in omnibus bonam fidem ostendentes &c.

Pueri de quibus sunt interrogandi.

VIsitans autem a pueris petat, an commiserint sacrilegium contra.c.fi.de sent. exc. Item an furtum, & periurium.c.1.de delic.pue. Item an re cognoscant à Deo bona fortunæ, gratiæ, & naturæ. & an uitium ingratitudinis tales incurrerint. inst. quibus. modis.tu fi. §. finitur aut. Item an vitium calumniæ.de epis.&cle.l.omnis.§.fina. item an uitium luxurie aliquando anticipando tempus ętatis.c. impuberes. de illis.& cap.à nobis. de despon. impub.quia vt ait Gregor.in dialogo, in nono anno quidam impregnauit matrem suam.& Salomon dicitur, ꝙ in undecimo anno habuit filium, ut refert Host.in summa de pænit.§.cui uersi.cui pueri.adde quod habetur in c.quod.de frigi.& an sint doli capaces, c. ex studiis.de præsump.15.q.1.§. ut itaque.

Carnalibus qualiter prædicandum sit.

CArnalibus quippe nec alta nimis de celestibus, ne terrena conuenit prędicare: sed mediocriter, vt uitia eorum, moresque desiderant edoceri. Coruus dum suos pullos viderit albi coloris nullis eos cibis alit, sed tantundem attendit donec paterno colore nigrescant, & sic illos frequenti cibo reficit. ita ecclesię doctor strenuus, nisi eos quod docet uiderit ad suam similitudinem confessione nigrescere: & nitore seculari depositio lamentationis habitum de peccati recordatione inducere vt pote adhuc exteriribus hoc est carnalibus non aperit intelligentię spiritalis profundiora misteria: nedum addita non capiunt prius incipiant contẽnere, quàm uenerari mandata cęlestia. aliter est agendum erga eos, qui non committuntur regimini si offendunt: atque aliter cum his, qui nobis commissi non sunt, qui si iusti sunt, ueneranda sunt si uero delinquut: ubi locus est, corripiendi sunt. non tamen cum seueritate, ut hi qui nobis regendi commissi sunt. pro sola charitate prius docendi sunt seniores plebis, ut per eos infra positi facilius doceantur: unde & apostolus, hæc inquit: Commenda fidelibus hominibus qui idonei sunt & alios ualeant docere, ingenium boni doctoris est incipere a laudibus eorum, quos salubriter obiurgatos corripere cupit. sicut apostolus ad Cor. facit quos a laudibus inchoat & in crepationibus probat.

MONIALES IN QVIBVS per visitatores reformandæ.

VIsitatores autem huiusmodi sollicitudinis studium debent diligenter impendere, ut Moniales ipsę pannis fericis, variorum foderaturis, sandalicijs, comatis, & cornutis crinibus, scaccatis, & virgatis capuciolis nõ vtant: Non coreas, non festa secularium sequantur, non die noctuve per vicos, & plateas incedant, aut voluptuosam vitam ducant: easque solertius retrahere ab insolentijs quibuslibet, & mundi huius illecebris: & inducere easdem ad impendendum in monasterijs suis deuotum, & debitum virtutum deo famulatum: non obstantibus exemptionibus, & priuilegijs qui-

buſcunque, & in illis compelli remedijs opportunis: & inducere eas ad ſuſcipiendam benedictionem intra annū à tempore confirmationis computandi. niſi ſubſit cauſa rationabilis: alias cadant à iure ſuo, ut plenius not. d. cle. 2. & in cap. fi. in fi. de ſta. mo. debet enim talis viſitator attendere ad omnia, quæ habentur. in cap. 1. de ſtatu. regu. lib. 6. videlicet circa clauſuram monialium; & quod vltra facultates monaſteriorū non mendicantium nulla recipiatur, & quomodo fieri debeat homagium, & fidelitas dominis temporalibus & ſecularibus: & quid agendum, quando in eccleſiaſtico, vel ſeculari foro cauſas habent, & quod ordinarij ſunt executores clauſuræ fiendæ, etiam quo ad exempt. ſalua tamen exēptione in alijs & cap. ut Deus omnipotens det viſitatoribus gratiam ut in his poſsint proficere. adde. cap. moniales. de pu. cap.

Captura Clericorum non fit ſine magna cauſa.

CAuere debent prelati, quod nimis prompti non ſint ad capturā Clericorum: ne ſe alios illaqueēt. ut notat Ioannes Andreas in dicto Capitulo ſi Clericus. in nouella ubi, cōcludit quod non niſi pro grauibus exceſsibus, & notorijs eſt facienda Captura, non autē pro debito, etiam ſi, ſe id obligaret.

Exceſſus ſubditorum ſunt corrigendi.

AD corrigendos itaque ſubditorum exceſſus. tanto diligentius debet prælatatus aſſurgere: quanto dānabilius eorum offenſas deſereret in correctas, mandat etiam concilium generale vt eccleſiarum prælati ad corrigendum ſubditorum exceſſus, maxime clericorum, & reformandos mores prudenter ac diligenter intendant, ne ſanguis eorum de ſuis manibus requiratur. eſt etiam viſitatio reformatio, & correctio omnium quæ prælati nouerint in eccleſijs ſeu clero & populo, tā in capite quam in membris reformanda & corrigenda: exceptis occultis, quia de hac cauſa licet apud diſtrictū iudicem, qui eſt ſcrutator cordium, & cognitor ſecretorum, culpabiles exiſtant. tales autem eſſe debent viſitatores erga ſuos, quales eos ſi ſubditi eſſent, ſuos vellent eſſe præpoſitos.

Abbatiſſa eſſe non debet, quæ corrupta eſt.

MOnialis corrupta non poteſt eligi in Abbatiſſam. 20. q. 1. iuuenculas. nec electa poteſt benedici. facit. 1. q. 1. c. 2. uer. nouimus. & not. 27. q. 1. virginibus. non enim poſſet corrupta virginitatem hortari. 26. diſt. c. pen. in fi. ergo non poteſt præeſſe virginibus. vt not. glo. 1. de cle. attendentes. Item Ciprianus. in c. Si quis inquit. 1. q. 1. nec cuiquam dominus per eius preces, & orationes profit, qui Deum ipſe violauit, & infra: quomodo proficere quæ agunt: aut impetrare aliquid illicitis conatibus à deo poſſunt: qui contra Deum quod eis non licet, moliuntur. vide omnino. c. multi. 4. diſt. ubi dicitur. Si bene docueris, & male vixeris. tui ſolius condēnator eris. ut infra. bene autem dicendo, & male viuendo, Deum inſtruis quomodo te. debeat condemnare. & in c. ſit rector. 43. diſt. Sacerdos, qui predicationis eſt neſcius, quam clamoris vocem daturus eſt pro eo mutus: adde quod doctrina malorum nulla eſt. 1. q. 4. conuenientibus. 33. diſt. qui de menſa. & qui alios docet ab alijs tunc edoceri non debet. in de ſanctis epiſcopis. §. demus. notatur.

in

in capitulo primo, de magistris.

Flagella sunt cum moderamine infligenda.

PRouidendum est, cum aliquis condemnatur ut flagellis publice vel occulte fustigetur: fiat moderatione adhibita, quod flagella in vindictam sanguinis trantire minime videantur: & ita quod flagella ad sanguinem non procedant, ut plane habetur in c. Archiepiscopatus, de raptoribus. &c.

RECESSVS PRAELATI à locis visitatis.

Peracta demum visitatione illius loci, & omnibus expeditis; cum discedere voluerit, Pontifex in suo habitu communi accedit ad ecclesiam: & stans ante altare in cornu epistolæ versus ad illud dicit: De profundis, totum, cum Requiem æternam, & antiphona; Si iniquitates. deinde dicit:

Pater noster.

℣. Et ne nos inducas in tentationem.
℟. Sed libera nos à malo.
℣. Requiescant in pace.
℟. Amen.
℣. Domine exaudi orationem meã.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo. Oremus.

DEus, cuius miseratione animæ fidelium requiescunt: famulis, & famulabus tuis omnibus hic; & in Christo quiescentibus: da propitius veniam peccatorum: ut in cunctis reatibus absoluti, tecum sine fine lætentur, per Christum dominum nostrum. Amen.

Post hæc discedit, quo voluerit.

DE MVLTIPLICI fructu visitationum.

FRuctus multiplex ex visitatione oritur: vt fructus honoris, fructus timoris, fructus indēnitatis, fructus excusationis, fructus lucri, & fæcunditatis, fructus iocunditatis, fructus indulgentiæ, pro uiuis, & defunctis: fructus in spe beatitudinis æternæ.

De fructu honoris.

HOnoratur magis Pastor vigilans. 1. ad Timotheum c. 5. Qui bene præsunt presbyteri, duplici honore digni habeantur, maxime, qui laborant, & in verbo, & doctrina. in c. ecce. 95. dist. & 1. ad Thessal. c. 5. Apostolus sic admonet: Rogamus vos fratres, vt noueritis, qui laborant inter vos, & præsunt vobis in domino: & monent vos: vt habeatis illos abundatius in charitate propter illorum opus: pacem habete cum eis. Vnde Ecclesiastici. 14. Omne opus electum iustificabitur: & qui operatur illud, honorabitur in illo. Itē ecclesiastici. 34. Honora medicum, idest patrem spiritualem, propter necessitatem etenim illum creauit Altissimus. Item Ecclesiastici. 3. cap. Gloria filij ex honore patris. Honoratur prælatus, si sit cunctis benignus, æquus, & tardus ad iram, ad misericordiam pronus, in aduersis firmus, in prosperis cautus; omnibus velit prodesse, nulli nocere, notat Arch. 46. dist. habet hoc proprium.

De fructu Timoris.

TImetur violari, & magis præseruantur iura, & iurisdictiones, & ecclesiasticæ libertates, Pastore uisitante, & super gregem suum vigilante,

oues enim audientes pastoris vocem cum auctoritate à deo sibi data arguentem,& admonentem, cognoscunt patrem,& timent patris offensam. Io.10. Ego sum pastor bonus, & cognosco oues meas,& cognoscunt me meæ. Qui resistunt prælato operãti Deo resistũt, à quo est potestas:& damnationem sibi acquirunt. Non enim sine causa duplex gladius etiam datur in figuram duplicis potestatis ecclesiæ, idest spiritualis & temporalis, vt est illud Lucæ. 22. Ecce gladij duo hic:& Christo tempore cænæ fuerunt oblati. Ideo iura,& tributa superioribus dantur:quia in officio, & Reipublicæ seruiunt:ideo honor,& timor eis debentur.ad Rom.13. c.15.q.3.c.Qui resistit.Sed notandum, quòd sicut augentur dona in administrationibus, & præsidentijs, ita & rationes crescunt donorum. Vnde bona operatio Pastoris præsentis ingerit ex quodam singulari Dei dono, gratiam in sermone: reuerentiam in cultu:timorem in subditis.vnde dicit Sanctus Doctor super secundum sententiarum. 25. distin.de Christo. Ad illuminationem interiorum requiritur duplex lex, una per modum efficientis,quæ est increata:alia per modum formæ,quæ est gratia creata,quæ est forma, formæ animæ ipsam animam perficiens in esse Spirituali.Angelum habent Pastores ne in quinẽtur in via,& administratione suæ superioritatis.Exo.33. Ecce ego mitto Angelum meum, qui præcedet te in via, & custodiat te,& introducet te ad locum,quem paraui. Et in Psal. Angelis suis Deus mandauit de te,ut custodiant te in omnibus vijs tuis. Item lupus,idest diabolus, non sic inuadit gregem domini:quando Pastor vigilat prę dicando, admonendo, & corrigendo: sicut quando se absentat, uel dormit: uel fugit.vt patet.Ioan.10.c.Mercenarius,fugit:& Lupus rapit: ergo ubi vigilat,non sic rapit.negligens pastor,sicut canis mutus non ualens latrare,maledicitur. Esaia. 57. Speculatores eius omnes cæci, uniuersi canes non ualentes latrare. 1. Regum.17. Pascebat seruus tuus gregem patris sui: & uenienbant Leo, & Vrsus:& tollebant Arietem de medio gregis:& sequebar eos, & percutiebant,& eruebam de ore eorum. Ideo Prouerb.27.dicitur: Cognosce vultum pecoris tui diligẽter:tuosq; greges considera.

De fructu indemnitatis.

INdemnes efficiuntur, maledictionemque diuinam *in seipsis vitant* Pastores visitando, & docendo. Vnde Hiere.23.cap.Væ pastoribus, qui dispergũt,& dilacerant gregem Pascuę meæ. Ideo hæc dicit dominus deus Israel ad pastores,qui pascunt populũ meum.Vos dispersistis gregem meum & eiecistis eos,& nõ visitastis eos.ecce ego visitabo super vos malitiã studiorum uestrorum. Et in fine præcedentis. cap. dicitur in Hierem. Scribe vir, istum sterilem virum, qui in diebus suis non prosperabitur,nec erit vir de semine eius, qui sedeat super soliũ Dauid.Item Esaiæ. 22.c. sic dicit:Hæc dicit dominus Deus exercituum: Vade, ingredere ad eum, qui habitat in tabernaculo ad Sobnam præpositum templi, & dices ei: Quid tu hic, aut quasi quis hic: quia excidisti tibi hic sepulcrum, excidisti in excelso memoriale diligenter in petra tabernaculum tibi. Ecce dominus exportari te faciet, sicut asportatur gallus gallinaceus,

ceus, & quasi amictum sic subleuabit te. Coronans coronabit te tribulatione: quasi pilam mittet te in terram latam, & spacioſam. ibi morieris, & ibi erit currus gloriæ tuæ & ignominia domus domini tui. Et expellam te de statione tua, & de ministerio tuo deponam te. Item. Zacha. 11. cap. Sume tibi vasa pastoris stulti. ego suscitabo pastorem in terra, qui de relicta non visitabit, dispersum non quæret, & contritum non sanabit. & id, quod stat, nō enutriet, & carnes pinguium comedet & vngulas eorum dissoluet. Pastor, & idolum, derelinquens gregem: gladius super brachium eius, & super oculum dextrum eius brachium eius ariditate siccabitur, & oculus dexter eius tenebrescens obscurabitur. Item Ezech. 34. cap. Væ pastoribus Israel, qui pascebant semetipsos, non ne greges à Pastoribus pascuntur? lac comedebatis, & lanis operiebamini: gregem meū autem non pascebatis. Quod infirmum fuit, non cōsolidastis, quod ęgrotum, non sanastis, quod fractum est nō alligastis, quod abiectum non reduxistis, quod perierat non quæsistis. sed cum austeritate imperabatis. Dispersę sunt oues meæ, eo quòd non esset Pastor, & factæ sunt in deuorationem omnium bestiarum agri. ecce ego super pastores requiram gregem meum, & cessare eos faciam, ut ultra non pascant gregem meum, nec pascant Pastores amplius semetipsos.

De fructu excusationis.

EXcusant seipsos erga Deum Pastores visitando, docendo, arguēdo, si populus, & subditi obstinati non proficiant, nec se corrigāt. vnde Ezec. 33. Terra, cum induxero super eam gladium: & speculator viderit gladium venientem super terram: & cecinerit buccina, & annunciauerit populo: audiens autem ille, quisquis est, sonitum buccinæ, & non se obseruauerit: veneritque gladius, & tulerit eum, sanguis ipsius super caput eius erit. Si autem se custodierit, animam suam saluabit. Quod si speculator viderit gladium venientem, & non insonuerit buccina: & populus se nō custodierit, veneritque gladius, & tulerit animam eius, ille quidem in iniquitate sua captus est. Sanguinem autem eius de manu speculatoris requiram, vnde dicit Cant. quamuis de regi. fur. non ualet pastoris excusatio si lupus oues comedit, & Pastor nescit, si non corrigat, visitet, & doceat sanguis omnium de sui manibus requiretur. cap. irrefragabili, de offic. ord. Pastor tenetur de custodia. ff. loca. l. qui mercedem. 23. q. 4. c. tres personas. immo propter incrassatam negligentiam deponitur. legitur & notatur in cap. dictum. 81. distin. negligens est seruus nequam. Matth. 25. dixit Christus: Serue nequam, & pigev: sciebas, quòd meto, ubi non seminaui. Gregorius in Pastorali: Quo reatu astringantur aspiciant qui dum peccātibus fratribus verbum correctionis subtrahunt: morientibus mentibus vitæ remedia abscondunt.

De fructu lucri, & fœcunditatis.

LVcratur aīas Deo Prelatus visitās, & est maius sacrificiū, quod offeratur Deo per exercitium. anima hominis præciosa est, ut pote in creatione sua imagine Dei insignita. eccl. 17. cap. Deus de terra creauit illum: & vestiuit illum virtute. item in recreatione est anima preciosa in sanguine agni im-

macu-

maculati redempta. 1.ad corint.6.empti enim estis precio magno: item in glorificatione.quia ad vitam æternam ordinata ad Ephesi.1.ca.Elegit nos ante mundi constitutionem, ut essemus Sancti,& immaculati in cõspectu eius vnde Lucæ.12. de Pastore sollicito super gregem sic dicit: Quis putas est fidelis dispensator, & prudens,quem cõstituit dominus super familiam suã, ut det illis in tempore tritrici mensuram? Beatus ille seruus, quem, cum uenerit dominus, inuenerit sic facientem:amen dico uobis: Quia super omnia bona sua constituet illum.Item Deuter.31.c. Constituit eum super excelsam terram, ut sugeret mel de petra, quantum ad maiores:& lac de ouibus; quantum ad minores,pastorali regimini commissos. Item Deutero.28.dominus loquitur prælato sollicito, & visitanti gregem suum. Abundare te faciet dominus super omnibus bonis: & post aperiet tibi dominus cœli Thesaurum,idest,sapientiam absconditã à seculis, hoc est, sacræ fidei misteria exterioribus deditis inuisam. Esai.45.c. Dabo tibi Thesauros absconditos, & archana secretorum. Bernardus de consideratione præsidis:Pastor, ut prouideas,& consulas,ut procures,ut seruues:præsis,ut fidelis seruus:& prudẽs, quem constituit dominus super familiam suam.Ad quid?ut des illis escam in tempore.si te agnoscis sapientibus, & insipientibus debitorem summopere, & tota vigilantia considerandum, quomodo hoc est, ut qui non sapiunt, sapiant,& qui sciunt, resipiscant. Idẽ in sermonibus: Quoties prælatus pro vno ex minimis spirituale studium intromittit: toties, spiritualiter pro eo animam suam ponit. Idem in epistola: Si rebus charitas precium facit: nihil in ecclesia præciosius est, nil optabilius bono, vtilique pastore:rara tamen auis est in alto,non altum sapere: sed timere,quod facillime continget,si futurum Dei iudicium,ut rei veritate cõsideretur. Gregorius in pastorali: Simus pastores actione plus, quàm nomine: demonstremus, ut nomen congruat actioni: actio respondeat nomini.ne sit honor deificus vita illicita.ne sit religiosus amictus, & irreligiosus protectus, ne habeatur cathedra sublimior, & conscientia leuior.ne locutionem similemus columbæ: & mentem habeamus coruorum.

De fructu Iocunditatis.

GAudium est in cœlis de virilitate bene agentium:sicut gaudet pater filium videns in tirocinio viriliter dimicantẽ,gaudere debet prælatus,cũ oues errantes per ministerium suum ad caulas veritatis reducuntur. Ideo dicit Apostolus ad Philip.4.c. Fratres charissimi,& desideratissimi: gaudium meum, & corona mea: super quo verbo Ambro: Super quos in præsenti lætificor, in futuro coronabor. in figura dicitur Lucæ.15.c. de patre, qui filio perdito reuertenti fecit conuiuium lętitiæ,dicens alteri filio:Gaudere oportebat, quia frater tuus, qui mortuus fuerat,reuixit,perierat,& inuentus est. Sicut pater familias habens centum oues, gaudet ex centesima perdita recuperata plusquam de nonaginta nouem,quę non errauerant.Matth.18.c. Sic gaudium est coram angelis dei super vno peccatore pœnitentiam agente. Lucæ.15.ut supra: Sic consolatur Christus de fructu prælati recuperan-

tis dragmam,uel ouem perditam magno pretio sui sacratissimi sanguinis caro redempta.Sicut gaudebant reges venientes ad homagium Christi: sic gaudẽt oues videntes luciferum diei, idest,prælatum,speculũ,formamq; sui gregis. Matth.2.cap.Videntes stellam gauisi sunt gaudio magno, & hoc faciunt boni; sed non vsurarij.concubinarij,excommunicati,sortilegi,sacrilegi, tiranni. nollent videre prælatum visitantem,nec lucem visitationis;& prædicationis.Ioan.3.c.Lux uenit in mundum:& dilexerunt homines magis tenebras,quàm lucem.erant enim opera eorum mala.omnis,qui male agit,odit lucem. Prælatus ergo debet gaudere de fructu lucri, & iocunditatis. Abacuc.2.c. Ego autem in domino gaudebo,& exultabor in Deo Iesu meo.Vnde psal.in persona prelati visitantis,sic dicit: Particeps ego sum omnium timentium te, custodientium mandata tua.Si gloriatur vnum membrum, gaudere debent omnia membra.1. Ad Corinth. 12.c.1.pẽn.4.c. communicantes Christi passionibus gaudere.&Matth. 5.c.Gaudete,& exultate: quia merces vestra multa est in cẽlis. quod autem præcedentes species dicantur fructus spirituales,patet.quia charitas,& gaudium,bonitas, benignitas, mansuetudo,& huiusmodi sunt fructus spiritus, vt tradit Apostolus.c.6. ad Galat.

DE INDVLGENTIIS.

De fructu, efficacia, auctoritate,& circunstantijs indulgentiarum.

INdulgentiæ,quia per prælatos visitantes destribuuntur,ideo scirendũ est,ꝙ ad hoc vt valeant,quatuor principaliter requiruntur, & quantum ratione materiæ possunt addi. requiritur enim auctoritas in conferente,idoneitas in accipiente,pietas in fine, vtilitas in opere,& quintum,quod addi potest congruitas in tempore.

Primo igitur requiritur auctoritas in conferente: quia principaliter residet in summo Pontifice.sicut enim videmus in corpore naturali: sic & mistico: quod est ecclesia, est ponere caput vnum habens plenitudinem potestatis: hoc enim sic esse voluit ordinatio diuina: quod ecclesia militans repræsentet ecclesiam triumphantem. Vnde Ioan.in Apoc.21.c.Vidi, inquit, Hierusalem descendentem de cœlo.& quia Hierusalem terrestris,hoc est,ecclesia militans exemplata est, & formata instar cælestis Hierusalem: quæ sursum est,mater nostra: Ecclesiæ uidelicet triumphantis: ibi autem secundum doctrinam beati Dionisij, nouem sunt ordines angelorum sub triplici hierarchia dispositi.& ordo sub ordine:& tãdem sub uno capite omnes: quod est Deus. & tamen si ibi uolumus ascendere amplius inueniemus, quòd pluralitas personarum diuinarum reducitur ad unitatem essentiæ. ratione illius ordinis diuina sapientia in ecclesia militante uoluit exemplari. unde in Iob. 38.cap.dicitur:Nunquid nosti omnem ordinem cœli;& ponis rationem in terra? si autem in ecclesia militante esset ponere duo capita de pari se habentia: quorum unum alteri minime subderetur:non est ratio cælestis ordinis in ea congruenter posita.sed tunc ratio cælestis ordinis proprie, & per se in terra ponitur: sic cuncti gradus prælatorum, & principatuum sub uno capite collocetur:& ei fideliter obediant, & subdantur, huiusmodi autem est solus

Ro-

Romanus Pontifex, Vicarius Christi, successor Petri. cui in huiusmodi designatione dictum est à domino. Io. 1. Tu uocaberis Cephas. quod interpretatur caput: huic ueritati concordat ratio recta. nam omnis multitudo reducenda est ad unitatem, in uno quoque genere est reperire unum primum, & supremum: quod est mensura, & regula omnium aliorum in illo genere contentorum. & alibi: Monas dicitur. oportet enim, quòd multitudo hominum reducatur in vnum: & in genere hominum est reperire vnum hominem, qui sit supremum in illo genere, & sit mensura, & regula omnium aliorum. homini autem est solus Romanus Pontifex, qui est inter homines supremus: existens mensura, & regula directiua omnium aliorum: cui plene omnes catholici sunt simpliciter subiecti. ad vltimum autem tantum extenditur ista subiectio: quòd quando plenitudo gentium intrauerit, & omnis Israel saluus fiet. sicut dicit Apost. ad Rom. 11. c. Omnes nationes orbis terrarum huic unico capiti subijcientur; & fideliter obedient, & implebitur illud, quod ait in Io. 10. c. Erit unum ouile, & unus pastor. sicut in corpore materiali est ponere caput unum: in quo sunt omnes sensus: seu plenitudo sentiendi: sic in ecclesia militante, ne sit tanquam corpus monstruosum: sic duo haberet capita: est ponere caput unum, videlicet Romanum Pontificem, in quo est plenitudo potestatis, & auctoritatis; quam si quidem potestatem contulit ei dominus: qui beato Petro dixit: Matth. 26. cap. Quodcunque ligaueris super terram, & cæt. ipse autem Romanus Pontifex est, qui concedit indulgentias principaliter, & in ipso, vt iam ostensũ est, plenitudo residet potestatis. & sic patet primum uidelicet, quòd est auctoritas in conferente.

Secundo: actus actiuorum sunt in patiente bene disposito. nam Thesaurus ecclesiæ non applicatur ei, nisi qui est ecclesiæ membrum. 11. q. 3. nihil sic debet. & 23. q. 3. si quis a catholica. & certum est, quòd remanente culpa, non remittitur pœna. quia secundum Augustin. non remittit Deus dedecus culpæ sine decore iustitiæ. si autem manente culpa remitteretur pœna, esset dedecus culpæ, sine decore iustitiæ: & si aliquid esset inordinatum in uniuerso: qđ diuina sapientia non permittit. art. in auth. de hær. & falc. §. inordinatũ. Coll. 1 Oportet igitur, quòd capax indulgẽtiæ sit purgatus à culpa: quod fit in contritione. ille igitur est habilis indulgentiam recipere: quæ est uere pœnitens, & confessus, & hoc tangitur in forma indulgentiarum: cum dicitur, quòd uere pœnitentibus, & confessis conceditur.

Tertio requiritur pietas in fine, hoc est honor Dei, & exaltatio fidei hoc enim in concessione omnium indulgentiarum ecclesiasticarum, finaliter debet attendi: vt per hoc Deus honoretur, & fides catholica exaltetur.

Quartum est vtilitas in opere, hoc est quod opus, quod pro indulgentia ponitur, utile sit: & ordinabile ad finem prædictum, ad honorem Dei, & exaltationem fidei. circa quod attendendum est, quod in concessione indulgentiarum non attenditur quantitas operis, sed genus operis. Indulgentia enim principaliter respicit gratiam, non meritum, alias non diceretur indulgentia.

Si enim aliquis offendisset Regem, vel Principem.itaq; propter offentionem, homini secundum leges patriæ, pede, manu truncari deberet, & vt liberaretur à pœna,quam meruit:offerret principi vt duo,vel tria milia florenorũ,vel aureorum;talis liberatio non potest dici remissio: sed potius redemptio: & quædam commutatio arg.ff. de contra hen.empt.& uend.l.1.si autem Rex liberaliter condonaret ei pœnam huiusmodi:tunc talis liberatio remissio uocatur. Indulgentiæ igitur ecclesiasticæ respiciunt gratiam principaliter non meritum:meritum dico proprium. respiciunt tamen meritum alienum, scilicet Christi:& super illud fundantur, & ex illo sumuntur.passio nanq; Christi excessiua in merito fuit. unde excessus uocatur.Lucæ.9.c.ubi dicitur quod in transfiguratione Christi fuerunt, & apparuerunt cum eo Moyses,& Elias: & dicebant excessum,quem completurus erat in Hierusalem, vna enim gutta sanguinis sufficiens erat pro redemptione totius mundi. nam propter vnionem humanitatis Christi cum diuinitate:passio Christi quantumcunque per pessa pro nostra redemptione habebat præcipuum,hoc est,meritum infinitum, noluit autem Christus, quòd excessus ille frustra fuisset:& quòd de nullo seruiret: sed voluit, quòd esset ecclesiæ Thesaurus per suum vicarium Romanum Pontificem fidelibus pro loco, & tempore dispensandus.dispensatur autem,cum indulgentiæ applicãtur, nam propter vnionem capitis, & membrorum meritum capitis attribuuntur. & applicantur membris. & quia fit per alienum meritum non proprium, liberantur à pœna, ideo quantum ad ipsos uocatur indulgentia:licet quò ad Christum, qui hoc nobis meruit; uocatur redemptio copiosa. vnde psalm. 129. Apud dominum misericordia,& copiosa apud eum redemptio. nec est timendum,neque fantastice opinandũ:quòd per talem dispensationem Thesaurus, quòd fit tali collatione indulgẽtiarum in aliquo minuatur.nam si omnes catholici utriusque sexus per universum orbem uere, & perfecte præfatam indulgentiam obtinerent: non minori portione se haberet ad Thesaurum ex quo sumitur, quàm si vna gutta ad totum Oceanum, vel unius grani milij ad montem sancti Bernardi. cum finiti ad infinitum nulla sit proportio. propter infinitatem enim suam præfatus Thesaurus ex dispersione sua non minuitur,nec decrescit &c. impium esset dicere,ecclesiam errare,& uane operari.etenim uanum est, quod aliqui dicunt, indulgentias non valere ad absoluendum à reatu pœnæ: quã aliquis meretur in purgatorio, secundum iudicium dei: sed solum ad absoluendum ab obligatione:qua sacerdos obligauit penitentem ad pœnam aliquam, uel ab ea, ad quam obligatur ex canonum statutis, has opiniones damnat. 5. doctor super 4.sententiarum.d.20.Art.4. cum sit contra priuilegium beato Petro datum: quod solutum in terra,solutum esset in cælo.dicit etiam,quod valent indulgentiæ, & quantum ad forum ecclesiæ, & quantum ad iudicium Dei ad remissionẽ pœnæ residuæ post contritionem,confessionem, & absolutionem. Ratio est vnitas corporis Christi mistici, in qua multi in operibus penitentiæ supererogauerunt vltra mensuram debitorum suorum. &

multas tribulationes iusti sustinuerunt patienter: per quas multitudo pœnarum poterat expiari, si eis deberetur: quorum meritorum tanta est copia, & meritum Christi infinitate abundans: quod omnem pœnam debitam viuentibus præcellunt. unde meritum infinitate sua efficaciam sacramentorum excedit. super abundãtiam bonorum operum pro tota ecclesia communicat, nõ pro isto tantum: qui remissione indiget. ea enim, quæ sunt communia multitudini distribuuntur singulis de multitudine secundum descretum arbitrium eius, qui multitudini præest. & de ista supererogantia datur debitori: & applicatur, vnde soluunt debitum. causa remissionis culpæ effectiua non est, tantum datum: aut causa, pro qua fit indulgentia; nec in hoc proportionatur quantitas remissionis debitorum: sed supererogantia meritorium ecclesiæ: quæ se habent sufficienter ad tantã pœnam expiandam. Vnde, vt supradictum est, debet concurrere auctoritas in distributione Thesaurorum ecclesiæ ex parte dantis, & ex parte recipientis, charitas. Ex parte causæ pietas. quæ concernat honorem Dei, & vtilitatem proximi. uerum quia clauis ecclesiæ duplex est: ordinis, & iurisdictionis. Clauis ordinis est, quoddam sacramentale. & quia sacramentorum effectus non sunt determinati, ab homine, sed ad eo, non potest taxare sacerdos quantum per clauem ordinis in foro confessionis de pœna debita dimittitur, quantam Deus ordinauit. Clauis iurisdictionis, non est quid sacramentale. sub clauis iurisdictionis est remissio: quæ datur per indulgentias, cum non pertineat ad dispensationem sacramentorum, sed ad dispensationem legati, vel episcopi, non sacerdotes simplices tales indulgentias concedunt: immo contra Bohemorum sectam in generali Constatiensi sinodo damnatam: existentes in peccato mortali, vt dicit. 5. doctor, ubi supra. artic. 4. concedit ex ui iurisdictionis, sibi competentis ad causam dignitati tales indulgentias: quia dare pertinet ad iurisdictionem: quia pœna non remittitur ex ui meritorum concedenti indulgentias: sed ex ui meritorum communium reconditorum, in Thesauris ecclesiæ. uerum indulgentia talis non prodest existentibus in peccato mortali ad dimissionem pœnæ. nec dimittitur pœna, cui non est dimissa culpa. sic nec ueniale peccatum dimittitur ei, qui est in mortali. ut tenet. 5. doctor. super 4. sententiarum. d. 16. art. 3. q. ult. ubi dicit quòd, non restituitur, posterius, nisi priori restituto ueniale opponitur feruori charitatis: feruor est in ipsa charitate: qua diu charitas non restituitur, nec feruor charitatis reparari potest. in qua reparatione consistit uenialis peccati dimissio sicut in reparatione charitatis dimissio mortalis. & ideo non potest ueniale dimitti, cui mortale non dimittitur. Deus solus, cui soli proprie peccatori peccata dimittit auctoritatiuè: & peccatum mortale separat à Deo: quomodo ergo remissionem uenialis peccati sentiet: qui est a Deo separatus? hoc facit pro prælatis uisitantibus qui dant indulgentias: vt dent verè pœnitentibus, & confessis intra certum tempus. vt moris est. vt supra &c.

De

De fructu præmij cœlestis, scilicet aureolæ.

PRæmij fructus, scilicet aureolæ, datur prælato visitari, docenti, prædicanti, & corrigenti, quòd autem aureola dicatur fructus spiritualis dicit. 5. Doctor super. 4. sententiarum. dist. 49. arti. 2. quòd aureola consistit in gaudio, quod habetur de Deo. aureola uero in gaudio, quod habetur de ipsa dispositione operantis secundum graduin spiritualitatis, in quem proficit ex semine uerbi Dei. Vnde fructus inscriptura sacra diuersimode sumitur: aliquando sumitur fructus spiritualiter ad similitudinẽ corporalis fructus iniquitatum. corporalis fructus est quoddam commodum, quo ex labore agriculturę spectatur. ut sic fructus dicatur præmium, quod homo consequitur ex labore, quo in hac vita laborat. sic omne prȩmium quod in futuro habebitur ex nostris laboribus fructus dicitur. sicut dominus Iesus de fructu loquitur diuidens fructum. Matth. 13. c. in fructum trigesimum, sexagesimũ, & centesimum: sic patet ad. Ro. 6. cap. Habetis fructum vestrum in sanctificationem: finem vero vitam æternam. quandoque fructus dicitur quod consurgit ex semine. Spirituale autem semen, quod in nobis seminatur est verbum Dei. vnde quanto aliquis magis spiritualitate conuertitur à carne recedens, tanto in eo est fructus maior verbi Dei. aureola est quoddam accidentale præmium essentiali super additum, fructus autem dicitur esse remuneratio, quæ quibuslibet operibus perfectionis datur: quibus homo maxime Christo conformatur secundum perfectam victoriam. quandoque sumitur fructus pro eo, quod dirigit in via, quamuis non sit vltimus finis: & sic virtutes fructus dicuntur. quia mentem sincera dilectione perficiunt, sic accipitur ad Galat. 5. Fructus autem spiritus, gaudium, pax, & cetera. & consequenter dicit. 5. Doctor. arti. 3. ubi supra in fine: Sicut per martirium, & virginitatem aliquis perfectissimam victoriam obtinet de carne, & mundo: ita perfectissima est victoria, qua vincitur diabolus. non solum, quia aliquis prælatus, vel prædicator diabolo inpugnanti non cedit: sed etiam cum eum à se, & ab alijs expellit: hoc autem fit per doctrinam, & prædicationem. & ideo prædicationi, & doctrinæ aureola debetur sicut virginitati, & martyrio, nec tantum prælatis (dicit. S. Doctor) quibus competit docere, & prædicare: sed quibuscunque illos actus licite exercentibus habitui: quia corona non debetur habitui, sed actuali pugnæ incumbenti. 2. ad Timot. 2. c. Non coronabitur, nisi qui legitime certauerit. exaltatio tamẽ prælationis, non minuit prȩmium vitæ æternæ, nisi illi qui ex tali exaltatione propriam gloriam quærit, qui autem talem exaltationem in vtilitatem aliorum conuertit, ex ea sibi prȩmium acquirit. aureola debetur auctui pœnæ, hoc est, martyrio, & pœnæ, scilicet virginitati & prædicationi: inquam, feruenti. quia salus dirigitur animarum, cum errantes reducuntur in viam veritatis. nam suprema eleemosina, & acceptum Deo sacrificium dicitur. nullum enim (testante Gregorio) omnipotenti Deo tale sacrificium est. quomodo zelus animarum, sicut psal. ait: Zelus domus tuæ comedit me. Exod. vlt. c. iussit deus in tabernaculo

culo testimonij erigi altare aureum,& arcam fęderis, & mensam propositionis, sic dominus in templo gloriæ tria singularissima præmia addidit ad gloriam electis communiter datam, scilicet,aureolam martiribus,qui corpora sua super altare passionis immolauerunt. Secundo virginibus : nam sicut arca fęderis fuit intus,& extra decorata; sic virginitas, intus, & extra animam,& corpus ornat. Tertio,prædicatoribus,qui schola Christi demensa domini ministrãt panes propositionis, & doctrinæ. vnde Gregor. in moralibus, ille apud Deum magis in amore eius est,qui ad eius amorem plurimos trahit. prædicator nedum impugnanti diabolo resistit: sed etiam oues Christi de illius faucibus euellit. excellentissimum opus docilitatis, quæ est species dignior prudentiæ, est euangelizare. quod opus est difficile. oportet ergo quòd euangelizans totus occupetur à spiritusancto, ut scientia sit in intellectu,charitas in effectu, dulcedo in sermone, lux boni exempli in opere. Christus enim ad, euangelizandum se dicit missum, Lucæ.4.c.cum ergo prædicatio sit opus excellentissimum : si sincere,idest,sine cupiditate temporalis lucri,& libere, hoc est, sine timore temporalis damni,exerceatur: non est mirum si exercentes hoc officium super cæteros remuneret Deus, & habeant additionem vltra communem gloriam.Danielis.12.Qui docti fuerũt fulgebunt quasi splendor firmamenti, hi ad iustitiam erudiunt plurimos quasi stellæ in perpetuas æternitates manſuri.

DE FRVCTV ABSOLVtionis pro defunctis & de suffragijs defunctorum, & eorum efficacia.

ABsolutio generalis, quæ in uisitationibus fit pro defunctis,est alius fructus,qui sequitur ex visitatione.Quòd autem suffragia prosint defunctis, patet, quia sicut pertinet ad seueritatem diuinæ iustitiæ bonos propter venialia in purgatorio puniri; ita pertinet ad bonitatem diuinæ misericordię eosdem per suffragia releuari.prosunt quoque suffragia defunctis : non ad meritum vitæ æternæ,sed ad absolutionem pœnæ.& hoc, uel ad pœnarum mitigationem,uel ad celeriorem liberationem. Sunt autem quatuor modi generales suffragiorum; ad quos omnes alij reducuntur,scilicet oratio,ieiunium, eleemosina, & sacramentum altaris, quorum numerus sic accipitur :

Defuncti possunt leuari à pœna duobus modis, scilicet per viã gratiæ,& iustitiæ : Per viam gratiæ dupliciter.primo per intercessionem publicam,quæ est in collatione sacramẽti altaris. Secundo per intercessionem priuatam membrorum, scilicet per orationem iustorum.

Similiter per viam iustitiæ dupliciter, primo per modum redemptionis pœnæ,scilicet in eleemosinarum largitione. Secundo per modum solutionis pœnæ : scilicet in ieiuniorum afflictione.

Sequitur quando valere incipiat id, quod pro se fieri mandauit: dicendum, est,quòd opus operans, idest in meritum actoris, statim consequitur mortuum

tuum de bonis, quæ præcepit pro anima sua fieri, sed non opus operatum, ideſt factum ipſius operis vſque dum opera fiant. quia primum valet ex merito abſoluto: ſecundum ex merito conditionali.

In ſuffragijs mortuorum eccleſia facit varias ſolemnitates, quandoque ſolemnitatem exequiarum: quandoque ſeptenarium: quandoque nouenarium ſiue nouum diem: quandoque trentenarium, quandoque anniuerſarium.

Solemnitas ſepulturæ prodeſt, quia defunctus commendatur, & iuuatur ſingulari patrocinio eorum, qui loco ſacro deſeruiũt, & pro tumulatis apud Deum frequentius, & ſpiritualius orant. Item commendatur interceſsionibus Sanctorum: in quorum honore locus ſacer eſt dedicatus.

Illa, quæ dantur ad ornatum exequiarum ſunt ſolatia viuorum, ſed poſſunt prodeſſe defunctis non per ſe, ſed per accidens, in quantum per hoc excitantur ad compatiendum, & per conſequens ad orandum, uel in quantum ex ſumptibus ſepulturæ pauperes fructum capiunt: vel eccleſia decoratur. oleum, vel cera, vel oblationes panis: vini: argenti: mortuo proficiunt. in quãtum eccleſiæ offeruntur, uel pauperibus dantur: vel in reuerẽtia Dei fiunt, vel ſunt in ſuſtentationem diuini cultus, vel Chriſti miniſtrorum, ut dicit S. Doctor ſuper. 4. ſentẽtiarum. diſtin. 45. arti. 3.

Obſeruatur ſeptenarius dierum numerus pro defunctis, in quo fiunt oblationes, orationes, miſſæ, & ſuffragia, ut animæ ad æternæ quietis ſabbatum pueniant, vel ut dimittantur eis peccata quæ commiſſerunt in uita, quæ per ſeptem dies ducitur. Nouem diebus pariter in multis locis faciunt ſuffragia pro defunctis: ut commendentur precibus ſanctorum, qui fruuntur gloria inter nouem Choros Angelorum, vel ut ipſis Angelis commendentur. Obſeruatur trigenarius, ſeu trentenarius, qui conſtat ex tribus denarijs: ut purgetur in eis quicquid in fide Trinitatis, & tranſgreſsione decalogi deliquerunt. Obſeruatur Anniuerſarium, ut de annis calamitatis perueniant ad annum æternitatis. ſicut ſanctorum anniuerſarium celebramus ad ipſorum honorẽ, & noſtram vtilitatem: ſic Anniuerſarium defunctorum ad ipſorum vtilitatem, & noſtram deuotionem: Sancta, & ſalubris eſt cogitatio pro defunctis exorare, ut à peccatis ſoluantur. ut dicitur. 2. Machabeorum. 12. cap.

De fructu ſpei beatitudinis æternæ.

BEatitudinis æternæ dilectio in ſpe ſequitur ex viſitatione: ex qua procedit vitæ correctio, & lux animæ, ℣ autem audientibus monita prælati viſitantis detur ſpes beatitũdinis æternæ, patet Lucæ. 11. cap. Beati, qui audiunt verbum Dei, & cuſtodiunt illud. Quòd autem correctio detur ſpe ſalutis, inquit Pſal. Sacrificium Deo Spiritus contribulatus: cor cõtritum, & humiliatum Deus non deſpicies. Quod ex bonis operibus ſimus in ſpe beatitudinis æternæ, patet ex ſequentibus. Vnde Dauid: Sacrificate ſacrificium iuſtitię, & ſperate in domino, ſic poteſt homo ſperare in Deo, ſi ſacrificium iuſtitiæ prius obtulerit ad Titum. 2. cap. Sobriè, & iuſtè, & pie viuamus in hoc ſeculo expectantes beatã ſpem. Gregorius in moralibus: Cum opus creſcit;

scit: præmij fiducia proficit, sic securi sunt de regno futuro, qui habẽt pignus spiritus sancti. 2. Corinth. 1. Qui dedit pignus spiritus in cordibus nostris ad Ephe. 1. est pignus hæreditatis nostræ. Item securus est, qui bona facit opera, quasi quædam pignora. Gregorius in moralibus: Sancti viri quot labores cõmendantes exhibent tot iam remunerationis sua pignora intra spei cubiculum clausa tenent. securus potest esse de regno futuro, cui iam in præsenti datum est super se ipsum regnare. Bernardus: non est via ad regnum sine primitijs regni: nec sperare potest cœleste regnum: cui nondum super propria membra regnare donatur. mala etiam, quæ pro Deo sustinemus, spem adiuuant. Rom. 5. Tribulatio patientiã operatur, patientia probationem, probatio autem spem. Grego. Bonorum mẽs quò duriora pro veritate tolerat: eò æternitatis præmia certius sperat. Idem: Tanto spes in Deum solidior surgit: quanto pro illo quisque grauiora pertulerit. Seneca: Vires animi nunquam certã fiduciam sui dare possunt: nisi cum multæ difficultates hinc, & inde apparuerint. & aliquando prius accesserint. ille, qui effudit sanguinem suum, dentes cuius crepuerunt sub pugno: cum magna spe descendit ad pugnam, multum adijcit sibi virtus lacessita certus est de regno futuro, qui multas pro Christo tribulationes sustinuit quibus regnum cœlorum, emittitur. act. 14. Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum cœlorũ & notandum est, quòd cum bona, quæ pro Deo agimus, uel mala, quæ sustinemus, consideramus: debemus ea Dei gratiæ attribuere exemplo Pauli dicentis. 1. ad Cor. 15. Abundantius illis omnibus laborauí: non autem ego, sed gratia Dei mecum. ut autem spes sit iocunda, & fiducia certa, no. quòd. 12. fructus erũt in electis post generalem resurrectionem, qui possunt intelligi. 12. fructus ligni uitę, de quibus Apoc. vlt. legitur:

Fructus electorum in cælo.

PRimus est sanitas absque infirmitate. Psal. Qui sanat omnes infirmitates tuas. Esai. 60. c. Occupauit salus muros tuos.

Secundus iuuentus sine senectute. Psal. Renouabitur, ut aquilæ iuuentus tua: quasi in ætate. 30. annorum semper manebunt. Ephes. 4. c. donec occuramus omnes in virum perfectum, in mensuram ętatis plenitudinis Christi. Item Thessalo. 4. c. Rapiemur obuiam Christo in aera, & sic semper cum domino erimus.

Tertius & satietas sine fastidio. hic non satiatur oculus visu: nec auris auditu: ecclesiast. 1. sed tunc in bonis replebitur desiderium tuum: & saturabuntur ab ubertate domus Dei: & satiabuntur cum apparuerit gloria domini. Psal. Sanabor, cum apparuerit gloria tua. Esai. 49. Non esurient, neq; sitient amplius. Gregorius: Satiati, desiderabimus, ne satietas generet fastidium, desiderantes satiabimur, ne cum anxietate sit desiderium.

Quartus est libertas, ad quam faciunt corporis agilitas, & subtilitas, corpus enim non detinebitur propria grauitate, uel alterius corporis appositione. August. ubi uolet spiritus, ibi erit protinus, & corpus.

Quintus est, pulcritudo, absque deformitate. pulcritudo corporis cõsistit

in

in claritate,& situ debito,& figura mẽ brorum.Sapient.3.Fulgebũt iusti, &c. Matth.13. Tunc iusti fulgebunt in regno patris mei,sicut sol.Philip.3.capi. Saluatorem expectamus Iesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ.

Sextus: impassibilitas, ad quam immortalitas pertinet Esaia.49. Non cadet super eos sol, neque ullus æstus. Esa.25.Præcipitabit mortem in sempiternum.

Septimus: abundantia sine indigentia.Deuteronomo.8.Rerum omnium abũdantia perfrueris. Iudich. 18. Tradet Deus nobis locum, in quo nullius rei penuria erit. Gregor. Nihil exterius, quod fastidiatur.

Octauus, est pax absque perturbatione. Psal. 147. Qui ponit fines tuos pacem.Apost.& pax Dei, quæ exuperat omnem sensum, custodiat corda vestra.

Nonus: securitas sine timore, Esai. 32. Sedebit populus meus in pulcritudine pacis, in tabernaculis fiduciæ:& in requie opulenta, cuius est cognitio absque ignorantia.1.ad Cor. 13.c. Videmus nunc per speculum in ænigmate:tunc autem facie ad faciem.nunc cognosco ex parte,tunc cognoscam, sicut & cognitus sum.

Vndecimus est, gloriam absq; ignominia, Colosſ. 3. Cum Christus apparuerit: tunc & uos apparebitis cum eo in gloria

Duodecimus est gaudium sine tristitia.Esai 25. & Apochal. 8. Absterget Deus omnem lachrimam ab occulis eorum. Esa. 25. Auferet dominus omnem lachrimam ab omni facie: & opprobrium populi sui.ad idem.45.Obliuioni enim traditæ sunt angũstiæ priores.& eiusdem.11.c. Lætitia sempiterna super capita eorum. Gaudium, & lætitiam obtinebunt. fugiet dolor, & gemitus. Matth. 25. Intra in gaudium domini tui, Ioan. 16. Iterum uidebo uos,& gaudebit cor vestrum:& gaudiũ uestrum nemo tollet à vobis. Item pòtest esse spes iucunda, & fiducia certa, ex affluentia bonorum regni cælestis.

De commendatione gloriæ cælestis.

REgnum cæleste commendatur à bonorum copiositate. vnde Aug. de ciuitate Dei: Quod Deus præparauit diligentibus se:spe non attingitur, charitate non compræhenditur.desideria,& vota transgreditur, acquiri potest,extimari non potest. Item Bernardus:Merces sanctorum tam magna est, quòd non potest mensurari. tam multa, quòd non potest numerari. tam copiosa, quòd non potest finiri. tam pretiosa, quòd non potest extimari. De his superabundantibus bonis, & diuitijs regni cælestis dicit August. æterna beatitudo consistit in duobus: scilicet in necessaria absentia omnis mali, & necessaria presentia omnis boni.si enim quæris quid ibi est: non aliter potest responderi, nisi quicquid boni est, ibi est:& quicquid mali est. ibi non est:ergo. recte dicit Gregorius. nihil exterius,quod ibi appetatur, & nihil interiùs, quòd ibi fastidiatur.ideo dicitur Apoc.c.7. Non esurient, neque sitient amplius, & non cadet super illos sol: neque ullus æstus.quoniam agnus,qui in medio troni est,reget eos, & deducet illos ad vitæ fontes, aquarum, ibidem vlt. Ostendit mihi dominus flumẽ aquæ viuæ.qui sitit ueniat:qui vult,

ac-

accipiat aquam uitæ gratis: qui autem biberit ex aqua hac non sitiet iterum, sed fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam, vt habetur. Io. 4. O quã felix patria, o quam beata terra, ubi erit dominus omnia in omnibus, & nullius rei erit penuria seu aliquis defectus. certe hæc patria est locus pascuæ cælestis, ubi nihil deerit, in quo fideles suos dominus suauiter reficiet, & perpetuo collocabit. Vnde Ezech. 34. Dicit dominus: Inducam eos in terram suam, & pascam eos in montibus Israel, in riuis, & in cunctibus sedibus terræ, & pascuis uberrimis pascã eos, & in montibus excelsis erunt pascua eorum: ibi requiescent in herbis uirentibus: & in pascuis pinguibus pascentur supra montes Israel. ipsi enim sancti pascentur in cognitione summæ veritatis, & illa erunt pascua uberrima, siue ingrediantur ad contemplandam diuinitatem: siue egrediantur ad considerandam humanitatem: vtrobique inuenient plenissimam satietatem. Vnde sequitur in Psal. Replebimur in bonis domus tuæ, & quæ sunt illa bona, quibus sancti replebuntur? dic, quòd est illa incomprehensibilis gloria beatorũ. nam, vt dicit Bernar. in sermone dedicationis: Ad imaginem Dei facta anima rationalis ceteris omnibus occupari potest: repleri autem non potest. nã implebimur ab ineffabili gloria, nec solum implebimur, verum etiam vsq; ad summum inebrabimur. Vnde Hie. 31. inebriabo sacerdotum animas cum pinguedine: hoc faciet in Cena magna præparatus Deus. tunc præcinget se, & faciet electos discumbere: & transiens ministrabit illis fercula bonitatis suæ gloriæ, ut vinum miræ suauitatis, & lætitiæ ipsis exhibendo. tunc dicetur illis discumbentibus, illud Canti. 5. Comedite amici, & bibite, & inebriamini charissimi. hinc scribitur Esa. 29. Inebriamini & non à vino. & benetũ inebriabuntur illic certe à gaudio multiplici, & gloria cælesti. O Deus æterne, quomodo dulciter, & plene tunc fideles inebriabuntur ab vbertate domus tuæ: & torrente voluptatis tuæ? quoniam apud te est fons vitæ indeficiens beatitudine, & gloria. Vnde hãc domum decet sanctitudo in longitudinẽ dierum. ipsa est enim domus domini diuitijs referta. & ciuitas Dei nostri bonis omnibus adimpleta. qua propter scribitur. Esai. 33. *Oculi tui videbunt Hierusalem ciuitatem opulentam huius Ciuitatis: epulentia siue bonorum copiositas*, & maxima abundãtia non solum patet ex prædictis: sed etiam specialiter ex multitudine eius pacis, in qua delectabuntur mansueti: qui hæreditabunt terram illam superius expressam. Vnde Esai. 55. cap. in lætitia egrediemini: in pacem deducemini. O quanta ipsius Hierusalem abundantia pacis: cuius nunquam erit finis. scribitur Esai. 9. Item eiusdẽ. 32. Sedebit populus meus in pulcritudine pacis, & tabernaculis fiduciæ & in requie opulenta. igitur benedicitur Thobiæ. 13. In te vident sancti visiones pacis. ubi pax summa, quę exuperat omnem sensum. nec non omnem transcẽdit humanum intellectum, qui tantæ pacis vult esse particeps in cœlis cum sanctis æternaliter discat nunc humiliter pro Christo patti hic in terris. nam ad tam præclaram requiem patiendo vnitur: nec non pœnas sapiens hac pace potitur.

De

De magnitudine præmij cœlestis:

SPes est certa de magnitudine præmij cœlestis ex dictis sanctorum, qui, dictante spiritu sancto, reuelauerunt, & mentiri non possunt. Esai.64. c. Oculus non uidit Deus absque te, quæ præparasti expectantibus te. ad Rom.8.c. Non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis. 1. ad Cor.2.Oculus non uidit:nec auris audiuit:nec in cor hominis ascendit,quæ præparauit Deus his, qui diligunt eũ. Genesi.11.ego sum merces tua magna nimis:Item Matth.17.In transfiguratione dominus ostendit gloriam, quã habitura sunt corpora nostra post resurrectionem,dum sicut sol eius facies resplenduit: & vestimenta alba facta sunt sicut nix.Item si pignora,idest,ossa,vel reliquiæ sanctorum tantum honorantur: in terris:quãtus honor datur in cœlis? non dubium. quia Christus Ioan.3 dixit:Vbi ego sum,illic & minister meus erit. ad idem.Ioannis.17. Pater,quos dedisti mihi, uolo, ut ubi ego sum;& illic sint mecum:ut videant charitatem meam. Item Matth.25. Christus dicit:Venite benedicti patris mei:possidere regnum, quod vobis paratum est,&c.

De personis, quibus promittitur gloria cœlestis.

GLoriam Dei habebunt, primo sapientes. Prouerb.3. Sapientes possidebunt terram. & c.4. Glorificaberis ab ea, cum eam fueris amplexatus.

Item probati fideles. Ecclesi.31. Qui probatus fuerit inuentus;erit illi gloria æterna.

Item Deum diligentes. Psal. Gloriabuntur in te omnes, qui diligunt nomen tuum. Item humiles. Prouer. 30.humilem spiritu suscipiet Deus in gloria.& Hier. 22. qui humiliatus pro domino fuerit,erit in gloria,& qui inclinauerit oculos suos,ipse saluabitur.

Item operantes. Hier.35.Si audierint, & obseruauerint mandata mea: complebunt dies suos in bono, & annos suos in gloria.

Item sustinentes, & patientes.act. 7. Intendens in cœlum Stephanus uidit gloriam Dei.

Item generaliter omnes iusti. Prouer.21.Qui sequitur iustitiam inueniet vitam,& gloriam. Gloriam debemus dare Deo pro tanta spe tripliciter.Primo,omnia bona, quæ facimus, sibi, non nobis attribuendo.Psal.Non nobis domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam. Gloria enim victoriæ, non equo, sed equiti est attribuenda. Prouerb.21. Equus paratur ad diem belli,dominus ante salutem tribuit:Secundo,ipsum laudando, & præconizãdo.Psal. Psalmum dicite nomini eius: & date gloriam laudi eius.Tertio.pie, & honeste conuersando.Vnde Bernar. ad Eugenium Papam: Non dico te sanum dolentem latera.Rom.2.Nomen Dei per vos blasfematur inter gentes. ideo ad Cor.10. siue manducatis, siue bibitis,siue aliquid aliud facitis: omnia in gloriam Dei facite.

DE SINODO FACIENda, & quoties in anno celebrari debet.

PRIMA DIE.

LICET aliqua iura uideantur dicere, quòd sinodus bis in anno debeat celebrari: pri

mo, scilicet ante quadragesimam. Secundo vero circa tempus autumni. vt in c. ab ea re. 18. distin. & alibi 11. Kal. Nouembris cap. placuit. de consecrat. dist. 3. tamen dico hoc esse arbitrarium iuxta oportunitates locorum. & necessitates: tamen conuenienter dico fieri in media hebdomada inter pascha Resurrectionis, & Pentecostem, propter particulares visitationes subsequentes uel in Kalen. Octobris. 12. die eiusdem. super quo sunt monendi omnes habẽtes uenire ad sinodum de necessitate, videlicet: Presbyteri, diaconi, & omnes quot quot se læsos existimant: ad sinodaticam expectent sententiam. per tex. in c. propter ecclesiastica. ca. 18. & hoc modo celebratur.

Sacerdotes, & clerici vniuersi, qui ad Concilium prouinciale, vel sinodum de iure, uel consuetudine venire tenentur: conueniunt in ciuitate, uel alio loco, prout Pontifex ordinauerit. Prima die autem concilij seu sinodi: mane conueniunt in Ecclesiam, in qua debet Concilium, seu sinodus celebrari: vbi Pontifex missam audit: qua finita paratur faldistorium ante medium altaris iuxta inferiorem gradum, per quem ad altare ascenditur. & dictum faldistorium suo tempore, & loco, cum tempus erit, ponitur. Pontifex vero, amictu, stola, pluuiali, rubeis, & mitra præciosa induitur: quibus paratus: baculum pastoralem manu ferens: accedit coram altare, Diacono, & Subdiacono, paratis rubeis seu tempori conuenientibus ornamentis: ac si in missa seruire deberent: ipsum hinc, & inde associantibus. & ante faldistorium sibi paratum genuflexus, deposita mitra, incipit sequentem antiphonam:

EXaudi nos domine, quoniam benigna est misericordia tua: Secundum multitudinem miserationum tuarum respice nos domine.

Psalmus.

Saluum me fac Deus, quoniam intrauerunt aquæ vsq; ad animam meã.

Infixus sum in limo profundi: & non est substantia.

Veni in altitudinem maris: & tempestas demersit me.

Laboraui clamans, raucæ factæ sunt fauces meæ.

Defecerunt oculi mei: dum spero in deum meum.

Multiplicati sunt super capillos capitis mei: qui oderunt me gratis.

Confortati sunt, qui persecuti sunt me inimici mei iniuste: quæ non rapui tunc exoluebam.

Deus tu scis insipientiam meam: & delicta mea à te non sunt abscondita.

Non erubescant in me, qui expectãt te domine: domine virtutum.

Non confundantur super me: qui quærunt te deus Israel.

Quoniam propter te sustinui opprobria: operuit confusio faciem meã.

Extraneus factus fratribus meis: & peregrinus filijs matris meæ.

Quoniam zelus domus tuæ comedit me: opprobria exprobrantium tibi ceciderunt super me.

Et operui in ieiunio animam meã: & factum est in opprobrium mihi.

Et posui uestimentum meum cilitium: & factus sum illis in parabolam.

Aduersum me loquebantur qui sedebant in porta: & in me psallebant, qui bibebant vinum.

Ego uero orationem ad te domine: tempus beneplaciti Deus.

In multitudine misericordiæ tuæ exaudi me: in veritate salutis tuæ.

Eripe me de luto, vt non infigar: libera me ab his, qui oderunt me: & de profundis aquarum.

Non me demergat tempestas aquæ: neque absorbeat me profundum: neq; vrgeat super me puteus os suum.

Exaudi me domine, quoniam benigna est misericordia tua: secundum multitudinem miserationum tuarum respice in me.

Et ne auertas faciem tuam à puero tuo: quoniam tribulor velociter exaudi me domine.

Intende animæ meæ, & libera eam propter inimicos meos eripe me.

Tu scis improperium meum, & confusionem meam: & reuerentiam meã.

In conspectu tuo sunt omnes qui tribulant me: improperium expectauit cor meum, & miseriam.

Et sustinui qui simul contristaretur, & non fuit: & qui consolaretur, & non inueni.

Et dederunt in escam meam fel: & in siti mea potauerunt me aceto.

Fiat mẽsa eorũ corã ipsis in laqueũ: & in retributiones, & in scandalum.

Obscurentur oculi eorum, ne uideãt: & dorsum eorum semper incurua.

Effunde super eos iram tuam: & furor iræ tuæ comprehendat eos.

Fiat habitatio eorum deserta: & in tabernaculis eorum non sit qui inhabitet.

Quoniam quem tu percussisti persecuti sunt: & super dolorem vulnerum meorum addiderunt.

Appone iniquitatem super iniquitatem eorum: & non intrent in iustitiam tuam.

Deleantur de libro viuentium: & cũ iustis non scribantur.

Ego sum pauper, & dolens: Salus tua Deus suscepit me.

Laudabo nomen Dei cum cantico: & magnificabo eum in laude.

Et placebit Deo super uitulum nouellum: cornua producentem, & ungulas.

Videant pauperes, & lætentur: quærite Deum, & viuet anima vestra.

Quoniam exaudiuit pauperes dominus: & vinctos suos non despexit.

Laudent illum cæli, & terra: maria, & omnia reptilia in eis.

Quoniam Deus saluam faciet Syõ: & ædificabuntur ciuitates Iudæ.

Et inhabitabunt ibi: & hæreditate acquirent eam.

Et semen seruorum eius possidebit eam: & qui diligunt nomen eius habitabunt in ea.

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto. Sicut erat in principio, & nũc, & semper &c.

Deinde repetitur antiphona.

EXaudi nos domine, quoniam benigna est misericordia tua: secundum multitudinem miserationum tuarum, respice nos Domine.

Incepto Psalmo, Pontifex sedet, & accipit mitram: & sic manens, quousque Psalmus finiatur, & antiphona repetatur: qua repetita: deposita mitra surgit, & stans uersus ad altare dicit: Oremus.

OMnipotẽs sempiterne Deus: qui misericordia tua nos incolumes in hoc loco, specialiter aggregasti: mẽtes nostras, quęsumus, paraclitus: qui à te procedit, illuminet: & inducat in omnem, sicut tuus promisit filius, veritatem: cunctosque in una fide, & chari

tate corroboret, & excitati à temporali sinodo proficiamus ad æternæ felicitatis augmẽtum, per eundem dominum nostrum, Iesum Christum, filium tuũ, qui tecum uiuit, & regnat in unitate Spiritus sancti Deus per omnia secula seculorum. ℟. Amen.

Finita oratione, Pontifex, accepta mitra, procumbit supra faldistorium: alijs omnibus genu flectentibus: & cantores, dicunt Letaniam:

KIrie eleison, Christe eleison, Kirie eleison. Christe audi nos. Christe exaudi nos.

Pater de cœlis Deus. miserere nobis.
Fili redemptor mundi Deus: miserere nobis.
Spiritus sancte Deus. miserere nobis.
Sancta trinitas vnus Deus. misere nob.
Sancta Maria. ora pro nobis.
Sancta Dei genitrix. ora pro nobis.
Sancta Virgo virginum. ora pro nobis.
Sancte Michael. ora pro nobis.
Sancte Gabriel. ora pro nobis.
Sancte Raphael. ora pro nobis.
Omnes sancti beatorum spirituum ordines. orate pro nobis.
Omnes sancti Angeli, & Archangeli. orate pro nobis.
Sancte Ioãnes Baptista. ora pro nobis.
Omnes sancti Patriarchæ, & Prophetę. orate pro nobis.
Sancte Petre. ora pro nobis.
Sancte Paule. ora pro nobis.
Sancte Andrea. ora pro nobis.
Sancte Iacobe. ora pro nobis.
Sancte Ioannes. ora pro nobis.
Sancte Luca. ora pro nobis.
Sancte Marce. ora pro nobis.
Omnes S. Apostoli, & Euangelistæ: orate pro nobis.
Oẽs S. Discipuli domini: ora. pro nob.
Omnes S. Innocentes. ora. pro nobis.
Sancte Stephane. ora pro nobis.
Sancte Laurenti. ora pro nobis.
Sancte Vincenti. ora pro nobis.
Sancti Fabiane, & Sebast. ora. pro nob.
Omnes Sãcti Martires. orate pro nobis.
Sancte Siluester. ora pro nobis
Sancte Gregori. ora pro nobis.
Sancte Ambrosi. ora pro nobis.
Sancte Augustine. ora pro nobis.
Sancte Hieronime. ora pro nobis.
Sancte Martine. ora pro nobis.
Sancte Nicolae. ora pro nobis.
Omnes sancti Pontifices, & confessores. orate pro nobis.
Oẽs S. Doctores. orate pro nobis.
Sancte Benedicte. ora pro nobis.
Sancte Bernarde. ora pro nobis.
Sancte Antoni. ora pro nobis.
Sancte Dominice. ora pro nobis.
Sancte Francisce. ora pro nobis.
Omnes sancti Monachi, & Eremitæ. orate pro nobis.
Omnes sancti sacerdotes, & Leuitæ. orate pro nobis.
Sancta Maria Magdalena. ora pro nob.
Sancta Agatha. ora pro nobis.
Sancta Lucia. ora pro nobis.
Sancta Cecilia. ora pro nobis.
Sancta Catherina. ora pro nobis.
Sancta Agnes. ora pro nobis.
Sancta Margarita. ora pro nobis.
Omnes sanctæ virginis, & viduæ. orate pro nobis.
Omnes S. & sanctæ Dei. intercedite pro nobis.
Propitius esto. parce nobis domine.
Ab omni malo. libe. nos domine.
Ab ira, & odio, & omni mala voluntate. libera nos domine.
Ab insidijs diaboli. libe. nos dñe.

A fulgure,& tempestate.libe. nos dñe.
A morte perpetua. libera nos dñe.
Per misterium S. incarnationis tuæ. libera nos domine.
Per aduẽtum tuum.libera nos domine.
Per natiuitatem tuam. libera nos dñe.
Per baptismum, & sanctum ieiunium tuum. libera nos domine.
Per crucem, & passionem tuam.libera nos domine.
Per mortem, & sepulturam tuam. libera nos domine.
Per glorioſam resurrectionem tuam. libera nos domine.
Per admirabilem Ascensionem tuam. libera nos domine.
Per aduentum Spiritus sancti Paracliti. libera nos domine.
In die iudicij. libera nos domine.
Peccatores. te rogamus audi nos.
Vt nobis parcas. te rogamus audi nos.
Vt nobis indulgeas. te rog. audi nos.
Vt pacem nobis dones.te rog.audi nos.
Vt ecclesiam tuam sanctam regere,defendere, & conseruare digneris. te rogamus audi nos.
Vt donum Apostolicum, & omnes ecclesiasticos ordines in sancta religione conseruare digneris. te rogamus audi nos.
Vt nos metipsos in tuo sancto seruitio conseruare digneris. te rogamus audi nos.
Vt regibus, & principibus Christianis paceni,& ueram concordiam donare digneris. te rogamus audi nos.
Vt cunctum populum Christianum precioso sanguine tuo redemptum conseruare digneris.te rog.audi nos.
Vt mentes nostras ad cælestia desideria erigas. te rog.audi nos.
Vt animas nostras, & parentum nostrorum, ab æterna damnatione eripias. te rog.audi nos.
Vt omnibus benefactoribus nostris sempiterna bona retribuas. te rogamus audi nos.
Vt omnibus fidelibus, viuis, & defunctis uitam, & requiem æternam donare digneris. te rog.audi nos.
Vt obsequium seruitutis nostræ tibi rationabile facias. te rog. audi nos.

Pontifex surgit, & baculum pastoralem in sinistra tenens, stans uersus ad Concilium, seu Sinodum dicit:

IN hoc præsens Concilium,seu hanc præsentem Sinodum uisitare: & benedicere digneris. *Respon.* te rogamus audi nos.

Producens signum crucis pariter super omnes: quo facto iterum accumbit: cantoribus perficientibus:

Vt nos exaudire digneris. Te rogamus audinos.

Fili Dei. Te rogamus audi nos.

Agnus Dei,qui tollis peccata mundi: parce nobis domine.

Agnus Dei,qui tollis peccata mundi. exaudi nos domine.

Agnus Dei,qui tollis peccata mundi: miserere nobis.

Christe audi nos. Christe exaudi nos. Kirie eleison. Christe eleison. Kirie eleison.

Qua dicta, surgunt omnes: & Pontifex,deposita mitra, dicit stans uersus ad altare: Oremus.

Et ministri:

Flectamus genua: Leuate.

DA quæsumus ecclesiæ tuæ misericors Deus:vt spiritu sancto congregata secura tibi deuotione seruire mereatur, per dominum nostrum Iesum

sum, Christum filium tuum; qui tecum viuit, & regnat in unitate eiusdem spiritus sancti Deus per omnia secula seculorum. Amen.

Deinde Pontifex, accepta mitra, ascendit ad sedem sibi paratam in plano altaris: ita, ut in ea sedens dorsum suum vertat ad altare, & ponit incensum in thuribulo, more solito: ideſt, assistens stans ad dexteram Pontificis, capite inclinatus, offert ei nauiculam dicens:

Benedicite pater Reuerende.

Pontifex accipit cocleare ex nauicula: & assistens eius manus osculatur, & ponit incensum in ignem thuribuli bis, vel ter prout ei placet: interim dicens:

Ab illo benedicaris, in cuius honore cremaberis. in nomine Patris, & Filij, & spiritus sancti. Amen.

Diaconus dalmatica indutus præcedentibus, Thuriferario, & duobus ceroferarijs: & Subdiacono thunicella induto, paramentis tempori conuenientibus: seu rubeis, benedictione accepta à Pontifice cantat in loco conuenienti Euangelium secundum Lucam:

IN illo tempore: Conuocatis Iesus duodecim Apostolis: dedit illis virtutem, & potestatem super omnia demonia: & ut languores curarent: & misit illos prædicare regnum Dei: & sanare infirmos: & ait ad illos: Nihil tuleritis in via: neque virgam: neque peram: neque panem: neq; pecuniam: neque duas tunicas habeatis: & in quācunque domum intraueritis, ibi manete: & inde ne exeatis: & quicunque non receperint vos: exeuntes de ciuitate illa: etiam puluerem pedum vestrorum excutite in testimonium super illos. egressi autem circuibant per castella: euangelizantes vbique.

Quo finito, liber Euangeliorum apertus per subdiaconum portatur Pontifici per eum osculandus. qui & deinde incensatur per diaconum: quo facto, Pontifex ipse ante sedem suam prædictam, deposita mitra, versus ad altare: ac alij omnes in locis suis genuflectunt: tunc Pontifex sic genuflexus: incipit cantando, schola prosequitur hymnum:

VEni creator spiritus, mentes tuorum visita, imple superna gratia, quæ tu creasti pectora.

Qui paraclitus diceris, donum Dei altissimi: fons viuus ignis charitas, & spiritalis vnctio.

Tu septiformis munere dextrę Dei tu digitus: tu rite promissum patris sermone ditans guttura.

Accende lumen sensibus: infunde amorem cordibus: infirma nostri corporis: virtute firmans perpetim.

Hostem repellas longius: pacemque dones protinus: ductore sic te prævio: vitemus omne noxium.

Per te sciamus, da, Patrem: noscamus atque filium: te vtriusq; Spiritum credamus omni tempore.

Gloria Patri domino: Natoque qui à mortuis surrexit, ac Paraclito in seculorum secula. Amen.

Finito primo versu, Pontifex surgit, stans versus altare sine mitra vsque ad finem hymni: similiter omnes alij cum Pontifice surgunt: expleto hymno, omnes sedent in silentio: & Pontifex, accepta mitra, sedens in sede prædicta, supra in plano altaris posita, eos, si placet, in hanc sententiam alloquitur:

VEnerabiles consacerdotes: & fratres nostri dilectissimi: missis domino precibus, oportet, ut ea, quę de diuinis officijs, uel sacris ordinibus,

aut

aut etiam de vestris moribus,& necessitatibus ecclesiasticis: à nobis conferenda sunt:cum charitate, & benignitate vnusquisque;reuerentia,quantum valet,domino adiuuante,perficiat:vel quæ emendatione digna sunt: omni deuotione vnusquisque studeat emendare.& is, cui forte quod dicetur, aut agetur,displiceat:sine aliquo scrupulo contentionis: palam coram omnibus conferat, quatenus, Deo mediante,& hoc ad optimum statum perueniat:ita vt neque discordans contentio ad subuersionem iustitiæ locum in ueniat.neque iterum in perquirenda veritate vigor vestri ordinis,vel solicitudo tepescat.

Allocutionem huiusmodi, vel prius, prout magis placuerit Pontifici, fit per aliquem virum doctum idoneum sermo: in quo tractatur de disciplina ecclesiastica:& diuinis misterijs, & de correctione morum in clerum: secundum ea,quæ Pontifici videbuntur.& mox post sermonem, querelæ si quæ sint, audiuntur. Postremo charitatiue monentur omnes: quòd, durante Concilio,seu sinodo,in ipsa honestate se habeant: in domibus, & extra: ita quod eorum conuersatio cæteris sit merito in exemplum. quo facto surgit Pontifex, & solemniter omnibus benedicit dicens:

Sit nomen domini benedictum, &c.

SECVNDA DIE.

Conuenientibus iterum omnibus in ecclesia: finita missa, Pontifex paratus, vt supra,procedit coram altari: Diacono,& subdiacono paratis, vt supra, ipsum associantibus: & ibi in faldistorio ante medium altaris iuxta inferiorem gradum sibi parato genuflexus deposita mitra inchoat, schola prosequente antiphonam:

Propitius esto peccatis nostris domine,ne quando dicant gentes:ubi est Deus eorum.

Psalmus.

ADiuua nos Deus salutaris noster: & propter gloriam nominis tui domine libera nos: & propitius esto peccatis nostris propter nomen tuum.

Ne forte dicant in gentibus: vbi est deus eorum? & innotescat in nationibus coram oculis nostris.

Vltio sanguinis seruorum tuorum, qui effusus est: introeat in conspectu tuo genitus compeditorum.

Secundum magnitudinem brachij tui:posside filios mortificatorum.

Et redde uicinis nostris septuplum insinu eorum: improperium ipsorum, quod exprobrauerunt domine.

Nos autem populus tuus, & oues pascuæ tuæ confitebimur tibi in seculum.

In generatione, & generationem, anunciabimus laudem tuam.

Gloria patri, & filio,& spiritui sancto.Sicut erat in principio, & nunc, & semper &c.

Deinde repetitur Antiphona.

Propitius esto peccatis nostris domine:ne quando dicunt gentes: vbi est Deus eorum.

Incepto Psalmo, Pontifex sedet, & accipit mitram:sic manens quousque psalmus finiatur: & Antiphona repetatur:

qua

qua repetita, depoſita mitra, ſurgit: & ſtans uerſus ad altare dicit: Oremus.

MEntibus noſtris quæſumus domine ſpiritum ſanctum benignus infunde: quatenus in nomine tuo collecti: ſic iuncti teneamus cum moderamine pietatis iuſtitiam: ut hic à te in nullo diſſentiat voluntas noſtra: ſed ſemper rationabilia meditantes: quæ tibi ſunt placita: & dictis exequamur, & factis, per dominum noſtrum &c. Amẽ

Alia oratio. Oremus. *& miniſtri dicunt* Flectamus genua ℟. Leuate.

DEus, qui nos iuſtiam loqui: & quæ recta ſunt præcipis iudicare: tribue nobis, vt neque iniquitas in ore: neque prauitas inueniatur in mente: vt puro cordi purior ſermo conſentiat: oſtendatur in opere iuſtitia: neque appareat dolus in lingua: ſed ex corde ueritas profluatur, per dominum noſtrum. &c. Amen.

Poſt hæc Pontifex accepta mitra aſcẽdat ad planum altaris, ſedens in faldiſtorio ſicut prima die, & Pontifex imponit incenſum in thuribulo: & benedicit diacono, qui procedit ad locum conſuetum, & cantat Euangelium: Signat, incenſat: & Pontifex ſtat ante ſedem ſine mitra verſus ad diaconum cantantem Euangelium ſecundum Lucam:

IN illo tempore: Deſignauit Ieſus & alios ſeptuaginta duos: & miſit illos binos ante faciem ſuam: in omnem ciuitatem, & locum: quo erat ipſe venturus: & dicebat illis: Meſsis quidem multa, operarij autem pauci. rogate ergo dominum meſsis, vt mittat operarios in meſſem ſuam. ite ecce ego mitto uos ſicut agnos inter lupos. nolite portare ſaculum: neque peram: neque calciamenta: & neminem per viam ſalutareritis. in quamcunque domum intraueritis: primum dicite: Pax huic domui. & ſi ibi fuerit filius pacis, requieſcet ſuper illum pax veſtra, ſin autem ad vos reuertetur. in eadem autem domo manete: edentes, & bibentes, quæ apud illos ſunt. dignus eſt enim operarius mercede ſua. nolite tranſire de domo in domum. & in quamcunque ciuitatem intraueritis: & ſuſceperint uos, manducate quę apponuntur vobis. & curate infirmos: qui in illa ſunt: & dicite illis. Appropinquabit in uos regnum Dei.

Quo finito, & per Pontificem libro oſculato, & ipſo incenſato: Pontifex ſine mitra à te ſedem prædictam, verſus ad altare; ac alijs omnibus in ſuis locis genuflexis, incipit ſchola hymnum: Veni creator, vt primo die. fol. 27. *quem ſchola proſequitur. finito primo verſu, Pontifex ſurgit; Stans verſus ad altare detecto capite vſque ad finem hymni. & ſimili modo faciunt omnes: expleto hymno: omnes ſedent in ſilentio. Tunc Pontifex ſedens in ſede prædicta cum mitra: concilium, ſeu ſinodus his verbis alloquitur, ſi velit:*

VEnerabiles, & dilectiſsimi fratres noſtri: oportet, ut ſicut heſterna die ammonuimus benignam manſuetudinẽ veſtram de diuinis officijs: & ſacris altaris gradibus: aut etiam de moribus veſtris, & neceſſitatibus eccleſiaſticis: quæcunque renouanda, vel emendanda ſunt: charitas omnium veſtrum vbicumque nouerit aliqua emendatione condigna: In medium proferre non ambigat: ut

per

per vestræ charitatis studium, diuino largiente subsidio, ad optimum perueniat statum: ad laudem nominis Iesu Christi domini nostri.

Post allocutionē huiusmodi: vel prius fit sermo, ut prima die. quo finito leguntur constitutiones per Concilium, seu sinodum approbandæ. quibus lectis, habito scrutinio: quę placent: per patres confirmantur. his peractis, Pontifex surgit, benedicit omnibus solemniter, ut prima die: deinde omnes discedunt.

TERTIA DIE.

Conuentione facta in ecclesia, finita missa, Pontifex paratus, ut prima die, assistentibus sibi diacono, & subdiacono paratis: genuflexis in faldistorio iuxta inferiorem gradum ante medium altaris sibi parato: deposita mitra: incipit, schola prosequente antiphonam:

EXaudi nos domine: quoniam benigna est misericordia tua, secundum multitudinem miserationum tuarum: respice nos domine. *Psalmus.* Saluum me fac Deus. quoniam intrauererunt aquæ. &c.

Et dicitur totus, prout habetur in prima die: deinde antiphona:

Exaudi nos domine &c.

Incepto psalmo, Pontifex sedet, & accipit mitram, quousque finiatur Psalmus: & antiphona repetatur: qua repetita. deposita mitra: surgit, & stans versus ad altare dicit: Oremus.

OMnipotēs sempiterne Deus: qui sacro uerbi tui oraculo promisisti. ubi duo, uel tres in nomine tuo congregati essent: te medium fore. adesto propitius cętui nostro: & cor nostrum illumina misericors Deus: ut à bono misericordiæ tuæ nullatenus oberremus: sed rectum iustitię tuæ tramitem in omnibus teneamus, per dominum nostrum Iesum Christum, filium tuum, &c. Amen.

Alia oratio. Oremus. *& ministri dicunt.*

Flectamus genua: ℟. Leuate.

DEus; qui populis indulgentia consulis: & amore dominaris: da eis spiritum sapientiæ tuæ, quibus dedisti regimen disciplinæ: ut de profectu sanctarum ouium, faciant gaudia æterna pastorum. per dominum nostrum, Iesum Christum filium tuum, qui &c. Amen.

Post hæc Pontifex; accepta mitra, ascendit ad planum altaris sedens, &c. sicut prima die, deinde dicitur Euangelium secundum Matthæum:

IN illo tempore: Respiciens Iesus in discipulos suos dixit Simoni Petro: Si peccauerit in te frater tuus, vade, corripe eum inter te, & ipsum solum. Si te audierit: lucratus eris fratrem tuum. Si autem te non audierit: adhibe tecum adhuc vnum, vel duos: vt in ore duorum vel trium testium stet omne verbum. quod si non audierit eos: dic ecclesię. Si autem ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus, & publicanus. Amen dico vobis: Quæcumque alligaueritis super terrā: erūt ligata, & in cœlo: & quæcumque solueritis super terram: erunt soluta & in cœlo. iterum dico vobis: quia si duo ex vobis cōsenserint super terrā: de omni re quamcunq; petierint: fiet illis à patre meo, qui in cœlis est. ubi enim sunt duo, uel tres congregati in nomine meo:

meo: ibi sum in medio eorum. Tunc accedens ad eum Petrus dixit: Domine, quoties peccauerit in me frater meus, & dimittam ei? vsque septies? dixit illi Iesus: Non dico tibi septies, sed vsque septuagies septies.

Quo finito, per Pontificem libro osculator & ipso incensato: Pontifex surgit stans versus ad altare ante sedem prædictam detecto capite: ac alijs omnibus in locis suis genuflexis incipit, schola prosequente hymnum: Veni creator spiritus: fol. 57. *& finito primo versu Pontifex surgit, stans versus ad altare detecto capite vsque ad finem hymni. similiter faciunt omnes alij. expleto hymno omnes sedent in silentio. tunc Pontifex sedens in sede prædicta cum mitra, Concilium, seu sinodum his verbis alloquitur, si uelit. poterit tamen huiusmodi allocutionem omittere. & eius loco, si placebit per aliquem doctum idoneum de his, quæ in allocutione, continentur: & de alijs opportunis sermo fiat.*

VEnerabiles, & dilectissimi fratres: Conuenit, vt ea, quæ ecclesiasticis officijs & sacerdotalibus gradibus: vel etiam canonicis sanctionibus: propter diuersas occupationes: aut quod negare non possumus: propter nostram, aliorumque desidiam nõ tam pleniter, vt oportebat, executa sunt: omnium vestrum unanimi consensu, & voluntate requirantur. & humiliter coram charitate vestra recitentur: & quæ condigna sunt emendatione ad meliorem statum auxiliante domino deducantur: & cui fortasse aliquid displicet: quod digestum est charitati vestræ: omni benignitate, & modestia intimare non differat: quatenus totũ, quod nostra prouinciali, seu sinodali conuentione, siue constitutione statutum fuerit, uel renouatum: absque omni contrarietate: concordia sanctæ pacis: ab omnibus æque custodiatur, ac teneatur: ad augmentum æternæ beatitudinis omnium nostrum.

Post hæc leguntur constitutiones, si quæ sint per Concilium, seu sinodum approbandæ: quibus lectis & per patres, si placet, confirmatis, ac omnibus terminatis, Pontifex sedens cum mitra: omnium orationibus se commendat. Deinde leguntur nomina omnium, qui Concilio, seu sinodo interesse debent: & præsentes ad sua nomina surgunt: & respondent: Ad sum. Absentes vero notantur: & per Pontificem debita pœna mulctantur. demum Pontifex adhuc in sede prædicta cum mitra sedens, si placet, congregatos admonet, & exhortatur sub huiusmodi verbis:

FRatres charissimi, consacerdotes, & cooperatores nostri, nouit fraternitas vestra nos licet indignos locum tenere Aaron, vos autem, Eleazari, & Ithamari: nos fungi uoce 12. apostolorum: uos autem 72. Discipulorum: nos pastores vestros esse: vos autem animarum vobis commissarum: nos de vobis. uos autem de plebibus vobis commendatis domino nostro Iesu Christo rationem esse reddituros. igitur, vt in die tremendi iudicij inter bonos dispensatores inueniamur: admonemus, & obsecramus fraternitatẽ vestram: vt vita, & conuersatio sit irreprehensibilis.

CON-

CONSTITVTIONES.

1 IN Domibus vestris mulieres non cohabitent.

2 Omni nocte ad nocturnas horas surgite.

3 Officium vestrum horis certis decantate.

4 Missam ieiuni tantum:& non inuestibus communibus, sed sacris. Amictu: Alba: Cingulo: Manipulo: Stola: & casula, vestimentis nitidis, quæ ad alios usus non seruiant.parati: deuote, & religiose celebrate, & in ea corpus, & sanguinem domini nostri Iesu Christi cum omni reuerentia, & tremore sumite.

5 Corporalia, & pallæ ex lino fieri debent, & sint mundissima: & alia. & uasa sacra proprijs manibus abluite,& extergite diligenter.

6 Altare sit coopertum mundis linteis saltem tribus diuersis:ad quod nulla mulier accedat. & desuper nihil ponatur,nisi reliquiæ:ac res sacræ, & pro sacrificio opportunæ.

7 Missalia,gradualia, lectionaria,& antiphonaria vestra sint completa, & perfecta.

8 Ecclesiæ vestræ bene sint cooperatæ,& mundę.

9 In sacristijs siue sacrarijs aut iuxta altare maius sit locus aptus ad infundendam aquam ablutionis, corporalium.& lintea minorũ, uasorum:& aliarum rerum sacrarum,ac manuum,postquam sanctum Chrisma, aut oleum Cathecuminorum,vel infirmorum tractaueritis. ibique pendeat mas cũ aqua munda pro lauandis manibus sacerdotum,& aliorum, qui rem sanctam, & officium diuinum sunt peracturi:& pro pe linteum mundum ad illas abstergendum.

10 Atria ecclesiæ sint benè munita.

11 Nullus sine scitu, & consensu nostro per potestatem secularem ecclesiã obtineat.

12 Nullus ecclesiam, ad quam intitulatus est,admittat:& ad aliam quęstuę gratia se transferat.

13 Nullus plures ecclesias sine titulo,& contra sacrorum Canonum dispositiones nancisci præsumat.

14 Nullatenus etiam vna ecclesia inter plures diuidatur.

15 Nullus extra ecclesiam in locis nõ consecratis,vt calcaribus indutus: uel cultellis extra pendentibus celebret.

16 Nullus alterius parochianum, nisi itinerantem:& tunc de Rectoris sui licentia ad communionem recipiat.

17 Nullus in alterius parochia absq; licentia proprij sacerdotis missam celebret.

18 In celebratione quisque calicem, & oblata non circulo, aut digitorum uacillatione,vt quidam faciunt: sed iunctis,& extensis digitis cruce signet;sicque benedicat.

19 Calix,& patena sint aurei,vel Argentei:& non ærei,aut auri calchei:vitrei,uel lignei.

20 Quisque presbyter clericum habeat,uel scholarẽ,qui cum eis psalmos cantet.epistolã,& lectionem legat: & in missa respondeat.

21 Ipse quoque presbiter infirmos visitet, & reconciliet:& iuxta apostolum propria manu communicet,& oleo sancto inungat.

22 Nullus præsumat tradere Communionem laico, aut feminæ ad ferendum infirmo.

23 Nullus pro baptizandis infantibus, siue adultis, aut infirmis reconciliandis: aut mortuis sepeliendis præmium, uel munus exigat.

24 Per negligentiam uestram nullus infans sine baptismo: & adultus sine cõmunione pereat.

25 Nullus vestrum sit ebriosus, aut litigiosus.

26 Nullus arma ferat.

27 Nullus canum, aut auium locis inseruiat: seu in tabernis bibat.

28 Quisque vestrum quantum sapit de euangelio dominico & ceteris festiuis diebus suę plebi annunciet.

29 Verbum domini prædicate.

30 Curam pauperum peregrinorum: viduarum: orphanorum habete: ipsosque peregrinos ad prandium vestrum vocate.

31 Estote hospitales: alijs exinde bonum exemplum perhibentes.

32 Singulis diebus dominicis ante missam aquam, qua populus aspergatur, benedicite: ad quod vas propriũ habetote.

33 Vasa sacra, & vestimenta sacerdotalia nolite negociatori, aut tabernario in pignus dare.

34 Minus digne pœnitentem cuiuscunque rei gratia ad reconciliationem non adducite: nec ei reconciliationis testimonium perhibete.

35 Vsuras non exigite: nec facultates uestras post ordinationem uestram acquisitas alienate: quoniam ecclesiæ sunt.

36 Nullus etiam possessiones, aut mancipium ecclesiæ uendere: commutare: aut quocunque ingenio præsumat alienare.

37 Nullus decimã alterius accipiat.

38 Nullus pœnitentẽ: carnem mã ducare, aut vinum bibere inuitet, nisi pro eo tunc eleemosinam fecerit.

39 Quisque fontes baptismales lapideos habeat bene mundos: quos si habere non poterit, vas aliud ad hoc opus solum deputatum teneat.

40 Omnibus parochianis uestris symbolum, & orationem dominicam, & ieiunia quatuor temporum, & alia ecclesiæ mandata significate obseruanda.

41 Ante quadragesimam, quarta feria populum ad confessionem admonere: & confessis iuxta qualitatem criminum pœnitentiam iniungite.

42 Tribus temporibus in anno, idest Natalis domini: Paschæ, & Pẽtecostes, omnes fideles accedere ad communionem corporis domini nostri Iesu Christi inuitate; & ne desit, quin in pascha communicent.

43 Certis temporibus coniugatos ab uxoribus abstinere exhortemini.

44 Nullus vestrum rubeis, aut uiridibus vestibus utatur.

45 Diem dominicam, & ceteras festiuitates absque opere seruili à uespera ad uesperam celebrari docete.

46 Cantus, & coreas mulierũ in atrio ecclesiæ fieri prohibere.

47 Incantationes super mortuos nocturnis temporibus à vulgo fieri consuetas sub obtestatione Dei omnipotentis, uetate.

48 Cum excommunicatis nolite communicare.

49 Nec quis vestrum eis, uel in eorũ præsentia celebrare præsumat: quod etiam plebi nunciate.

50 Nullus ex plebe uxorem domum ducat, nisi prius nuptiæ temporibus ab ecclesia permissis, publice fuerint celebratæ.

Quod

51 Quod nullus ad raptum, uel consanguineam accedat: aut alterius sponsam ducat omnibus prohibete.

52 Porcarios, & alios pastores, saltem in dominica, faciatis vocari ad missã.

53 Patrinos, ut filios suos simbolum, & orationem dominicalem doceant, aut doceri faciant exhortemini.

54 Sacramẽtum eucharistiæ: sanctum Chrisma: & oleum Cathecuminorum: seu infirmorum in ecclesia in loco mundo condecenti, & securo sub claue, & fida custodia diligenter seruate.

55 Quisque vestrum expositionem simboli, & orationis dominicæ iuxta orthodoxorum Patrum traditiones penes se habeat: easque, ac orationes missarum, & epistolas, euangelia, & canonem bene intelligat: ex quibus prædicando populum sibi commissum sedulo instruat: & maxime non bene credentem.

56 Introitum missæ: orationes: epistolam: graduale: euangelium: simbolum, & cetera non secreta, alta, & intelligibili uoce proferat. secreta uero, & canonem morose, & distincte submissa voce, legat.

57 Psalmorum verba, & distinctiones regulariter cum canticis consuetis intelligibiliter pronunciet.

58 Simbolum Athanasij de trinitate, & fide catholica memoriter teneat.

59 Exorcismus, & orationes ad cathecuminos faciendos, ac reliquas preces super masculum, & feminam pluraliter, uel singulariter, respectiue, distincte proferat.

60 Ordinem baptizandi, & ad succurrendum infirmis. reconciliationis, & cõmendationis animæ: & agendis exequijs defunctorum: iuxta modum canonicum obseruet.

61 Exorcismos, & benedictiones salis, & aquæ pertinenter legat. cantum diurnum, & nocturnum sciat.

62 Computum etiam minorem ad inueniendam literam dominicalem, & tempus interualli diei Paschæ, & maiorum mobilium festorum, non ignoretur. ut per hæc, & alia bona opera una cum populo, vobis credito perpetua beatitudine perfruamini: præstante domino nostro Iesu Christo, cui est honor, & gloria in secula seculorum.

Tunc Pontifex, dimissa mitra, surgit & stans versus ad altare absolute dicit:

Oremus.

EXaudi quęsumus, domine supplicum preces: & confitentium tibi parce peccatis: & quia conscientia remordente tabescimus: ne aut ignorantia nos traxerit in errorem: aut præceps forsitan voluntas impulerit à iustitia declinare: ob hoc te poscimus: terogamus: ut si quid offensionis in hac Sinodi, seu concilij celebritate cõtraximus, remissibile facere, & condonare digneris. illiusque, te miserante, indulgẽtiam sentiamus: ut in eo, quod salutari sumus aggregatum Conciliũ, seu aggregatam Sinodum: a cunctis primum absoluamur nostrorum nexibus delictorum: & quoniam nulla est, domine, humanæ conscientiæ virtus, qua offensæ tuæ voluntatis possint indicia experiri: & imperfectum nostrum vident oculi tui: perfectionem deputa misericors Deus: quia pfecto ęquitatis fine per te singula concludi per optamus: & sicut te in nostris principijs occursorem poposcimus: ita quoque in hoc fine iudiciorum nostrorum excessibus te adesse deprecamur: ut

igno-

ignorantiæ parcas: errores corrigas: perfectis votis: perfectam operis efficaciam largiaris: & transgressoribus tibi confitentibus: venia, & remuneratio subsequatur sempiterna, per Christum dominum nostrum. Amen.

Deinde benedicit solemniter omnibus, dicens:

Sit nomen domini benedictum, &c.

Et dat indulgentiam: quibus peractis, Archidiaconus stans iuxta Pontificem, dicit alta uoce.

Recedamus in pace:
Respondent omnes:
In nomine Christi.

SINODATICVM vnde dicatur.

IN sinodo videtur conuenienter posse, & debere exigi cathedraticum quod episcopis ab inferioribus debetur. quod quidem cathedraticum alio modo dicitur sinodaticum: pro quo soluēdi sunt duo solidi tantum. ut in c. cum quærente. de offi. ord. ibi sinodum. & sinodatici, siue cathedratici Nomine duos solidos propter quam a monasterijs. 10. q. 3. inter cetera & appellatur cathedraticum, quia pro honore cathedrę datur. 10. q. 3. placuit. & sinodaticum, quia sinodo datur. c. olim. de censi. qui duo solidi dabuntur secundum extimationem illius monetæ, quæ antiquitus ab initio solui consueuit: nisi circa solutionem minoris monetæ, quæ modo est, in vsu, sit præscriptum ut in d. c. de cen. olim.

Caueat tamen prælatus, ne etiam vigore alicuius consuetudinis in valore dictorum solidorum, & in tempore exactionis se taliter habeat, quòd incurrat simoniam, & permaxime caueat, ne huiusmodi cathedraticum exigatur in paschali tempore, in quo datur chrisma parochianis: quasi prætextu consuetudinis credat excusari à reatu simoniæ. c. non satis. in fi. de simonia.

Episcopus sit omni die Dominico in sua Ecclesia.

EPiscopus si infirmitate non fuerit impeditus: ecclesiæ, cui proximus fuerit, die Dominico deesse non debet. c. Episcopus. de cons. distin. 3. item quod non nisi in die Dominico est pascha domini celebrandum: & eius cursus debet per prælatos omnibus subditis intimari. c. nosce. cum seq. de consecra. dist. 3.

Episcopi in quibus dispensant.

EST attendendum, quòd episcopi cum illegitime natis dispensant in minoribus ordinibus, & in beneficio sine cura: dummodo sit tale, in quo alias dispensare possint. In alijs dispēsatio Papę requiritur & si dispensatum fuerit cum aliquo, quod non obstante illo defectu, possit ad curatum beneficium promoueri: prętestu illius dispēsationis non poterit duo beneficia simul obtinere. c. 1. de filijs presb. lib. 6. & si ille cum quo super defectu originis in curato beneficio fuerat dispensatum à Papa eo tacito super pluralitate dispensationem obtineat ab eodem: non valet secunda dispensatio. c. fi. eod. tit. permittitur tamen, ut episcopi cum his, qui. 20. annum compleuerint, quòd dignitates, & personatus, quibus animarum cura non immineat valeant obtinere, si aliud non obsistat

canonicum libere dispensare. cap.1.de æta. & qualita.lib.6.& adde quod bigamus hodie est nudatus omni priuilegio clericali,& astrictus foro seculari. nec valet contraria consuetudo.& prohibetur anathemate, ne tonsuram deferat clericalem, nec habitum. c.1. de bigamis.Item,quòd episcopus italię vltramontanum non debet ordinare, nisi de speciali licentia Papæ : uel per patentes literas episcopi sui continentes iustam causam,|quare nolit,uel non possit eum ordinare:& si secus factum fuerit, punitur ordinans pœna condigna:& ordinatus manet suspensus:itaque etiam pœnitentiarius Papę sine illius licentia, illum non poterit absoluere.cap.1.de temp.ord.lib.6.

Episcoporum ornamenta sunt virtutes.

EST attendendum etiam, quòd per ornamenta episcopalia virtutes debent intelligi: quę à Deo eis pro mittũtur:cum dicitur:Sacerdotes eius induam salutari : vnde in ueteri testamẽto varijs uestibus ex præcepto Dei sacerdotes ornati leguntur: quia multis modis uirtutibus debet splendere vita Pontificis.ut gradui conferat decorem,quem ab eo non accipit . non loca, sed uita, & mores sanctos faciunt Episcopos.

Episcopatus an sit ordo.

EPiscopatus autem licet secundum Theologos non sit ordo : secundum Canonistas dicitur esse ordo. vt plane concludit.Ioan. And.in salutatione.6.li.in gl. super Episcopus,pro qua optime facit.tex.in c.aqua de conse. ecclesiæ.uel alta. ubi hoc notat Abbas.

Episcopus debet omnibus esse charus.

BEatus Clemens in epistolis sic dicit : omnis Pontifex crismate perunctus, & in ciuitate constituetus, charus, & precios̃us omnibus esse debet: quem quasi Christi locum tenentem omnes honorare debent: eique seruire, & obedientes ad salutem suam fideliter esse,scientes, quòd siue honor, siue iniuria ei defertur in christum redundat,& à Christo in Deum. Audire ergo eum oportet,& ab ipso suscipere doctrinam fidei.Si quis autem cum episcopo in ecclesia non est,hunc in ecclesia non esse , sed extra in sciśmate constat. frustra sibi blãdiuntur qui pacem sacerdotibus Dei non habentes latenter obrepunt. 7. q.1.scire debes.

Episcopi sunt honorandi.

QVi præsunt iurisdictioni spiritua li,uel temporali, honorãdi sunt: ad Rom. 13. Omnis anima sublimioribus potestatibus subdita sit. nam qui potestatem resistit, Dei ordinationi resistit.11.q.3. qui resistit, & super omnes episcopi honorandi. Vnde beatus Clemens in epistolis: Omnis Pontifex sacro crismate peruncțus scripturis sacris eruditus , charus, & precio omnibus esse debet. & alibi idem beatus Clemens in eiusdem . Si autem uobis episcopis non obedierint omnes presbyteri,& reliqui clerici , & Principes tam maioris ordinis , quàm inferioris atque reliqui populi non solum infames,sed extortes,a regno Dei, & consortio fidelium , & luminibus sanctæ Dei Ecclesiæ sic alieni erunt, 11.q.3.c. si autẽm.& sequitur statim.c. quicunq; ea causa.& q.quicunque contristauerit episcopum doctorem veritatis, peccat in Christum ,& patrem omnium exa

cer-

cerbat Deum: propter quod & vita carebit.

Episcopi pœnitentiarius in quinque casibus non absoluit.

VBi Eps committit casus sibi reseruatos in foro pœnitentiali alicui inferiori in quinque casibus intelligitur commissio excluſiue primus in solemni pœnitentia. Secundus: ubi est excommunicatio contracta: nisi ueniat per speciale mandatum de sententia excom. ca. peruenit. Tertius est vbi confessor inuenit irregularitatem contractam: tunc debet remitti episcopo. vt per eum dispensetur: vel cum literis episcopi ad Papam remittatur: tamen irregularitate ignoranter contracta Episcopus dispensat. Quartus in incendiarijs denũciatis etiam in genere. 23. q. ult. c. si quis membrorum, Quartus: ubi est consuetudo, ꝙ certa crimina, episcopo referantur. sicut est de opprimentibus libertatis ecclesiæ.

Episcopus est Petra Salis.

PEtra salis inter populos est Episcopus, uel sacerdos, qui curare debet, quid singulis dicat. qualiter unumquemque admoneat: vt quisquis prælato iungitur quasi ex salis tactu æternæ vitæ sapore condiatur.

DE MORIBVS EPISCOPI.

Monitio, & informatio ad Episcopum de modo tenendo in victu, vestitu, & oratione. & qualiter se habere debeat in omnibus, ante mensam, in mensa, & post mensam. & hoc idem de dormitione, & qualitate in omnibus exerceat officium suum.

IESVS Christus, Deus, & homo, qui venit ad terram assumere humanitatem, & saluare animas sanguine suo, qui uitam uero illuminauit, aperuitque portam cęli: ipse me misit ad uos.

Audi tu, cui datum est audire spiritualia. Si episcopus iste proponit ire per uiam arctam, per quam pauci ambulant, & esse unus de paucis, deponat primo pondus circunstans, & onerans eum. Sic fecit ille bonus Matthæus, qui vocatus à deo reliquit onus graue nundi, & inuenit onus leue.

Secundo: sit præcinctus ad viam, sicut dicit scriptura. quod Thobias paratus ad viam inuenit Angelum præcinctum stantem. Sed quid significat, ꝙ angelus erat præcinctus, nisi quòd omnis episcopus præcinctus debet esse cingulo iustitiæ, & diuinæ charitatis, paratus ire per viam illam, per quam ille iuit, qui ait: Ego sum pastor bonus qui pono animam meam pro ouibus meis. paratus etiam cum verbis loqui veritatem: Paratur cum operibus, facere iustitiam, tam in seipso, quàm in alijs non dimittendo iustitiam, propter minas, seu opprobria. non propter falsam amicitiam, seu vanum timorem. Omnis igitur episcopus, qui taliter apparet præcinctus ad eum veniet. Thobias idest hominis iusti, & sequentur vitam eius.

Tertio debet comedere panem, & aquam, antequam aggrediatur viam. sicut legitur de Elia, qui excitatus à somno inuenit ad caput suum panẽ, & aquam. Quis est iste panis datus Prophetæ, nisi bonũ corporale, & spirituale, quod administrabatur eis? Nam præparabatur ei in eremo panis corporalis propter exemplũ. licet enim Deus potuisset sustentare Prophetam sine

cibo

cibo corporali.uoluit tamen prẽparari panem ei corporalem, ut intelligeret homo Deo esse placitum. quod vtatur bonis donis Dei temperate ad consolationem carnis. Quoniam igitur in omni verbo Dei viuit homo, monemus episcopum sumere bucellam panis, hoc est, diligere Deum super omnia, hanc bucellam inuenit ipse ad caput suum. idest, quia ratio sua dicet Deum suum super omnia, & prę omnibus diligendum: tum propter creationem, & redemptionem, tum propter longam patientiam, & suam bonitatẽ. Rogamus cum etiam habere puxillum aquę, hoc est intime cogitare amaritudinem passionis Christi. quis enim digne sufficiat cogitare angustias humanitatis Christi, quas tunc patiebatur, quando petijt transferri à se calicem passionis, quando guttę sanguinis decurebant in terram. bibat ergo episcopus aquam istam, cum pane charitatis, & confortabitur ad progrediendum in via Iesu Christi. incepta igitur via salutis, si episcopus vltra progredi voluerit, vtile est ei à prima hora diei regratiari Deo totó corde, recogitare solicite actus suos, & petere auxilium à Deo, ad faciendam voluntatem eius.

Deinde cum induit, se vestibus, orat in hunc modum: cinis tenetur esse cũ cinere, & terra cum terra; verumtamen; quia ex prouidentia Dei, episcopus sum, induo te corpus meum vestibus, quæ ex terra sunt, non propter pulcritudinem & superbiã, sed propter operimẽtum, ne nuditas tua appareat. nec curo, vtrum indumẽtum tuum melius sit an vilius, sed tantum ut ad reuerentiam Dei episcopalis agnoscatur habitus: & ex habitu discernatur episcopalis auctoritas. ad correctionem, & informationem aliorum. ideo rogo te piissime Deus, ut tribuas mihi in animo stabilitatem, ne superbiam de cinere & terræ pretio. nec inaniter glorier de colore puluereo. Sed præsta fortitudinẽ: vt sicut habitus episcopalis discretus, & honorabilis est prę alijs propter auctoritatem diuinam: sic habitus animę respiciatur apud te Deum. ne propter auctoritatem indiscretè, & indigne habitam, deprimat profundius. seu propter habitum laudabilem inaniter portatum, denudet ignominiosus ad meam damnationem.

Deinde legat, vel decantet horas, quo enim homo ad altiorem gradum ascenderit, eo maiorem honorem tenetur Deo reddere. Post dictam missam, exerceat episcopale officium suum, cauendo sollicite, ne plus attendat ad corporalia, quam ad spiritualia, cum uero accedit ad mensam, cogitationem habeat talem: O domine Iesu Christe, qui corpus, quod corrumpitur cibo corporali, sustentari præcipis; da mihi auxilium, sic corpori meo dare necessaria, vt non improbe contra animam insolescat caro, ex ciborum superfluitate, nec lenteſcat in seruitio tuo indiscreta parcitate. Sed inspira moderantiam congruam: ut cum terra de terrenis sustentatur, dominus terrę à terra sua, ad iram non prouocetur, cum vero in mẽsa fuerit, permittitur ei moderata consolatio, & collocutio, in qua cauetur scurilitas, & vanitas, nec tale verbum proferatur. uel audiatur, quo audientes occasionem habeant ad peccandũ, sed omnia sint honesta, & salutaria. Si-

cet enim in mensa corporali deficientibus pane, & vino, omnia sunt insipida, sic in mensa episcopali, & spirituali deficiente bona doctrina, & exhortatione, omnia apposita insipida sunt animæ. & ideo, ut cuitetur vanitatum occasio, legatur, uel recitetur aliquid in mensa tale, vnde ædificentur assistentes. perfecta uero refectione, & redditis in benedictione Deo gratijs, inquirat agenda, uel certe reuoluat libros, ex quibus trahi potest animæ perfectio.

Post cœnam vero consolari se poterit cum familiaribus suis, attamen sicut mater ablactans infantem perungit vbera cinere, seu aliqua alia amaritudine, donec infans desuescat à lacte, & assuescat cibis solidioribus: sic episcopus: attrahat Deo familiares suos talibus verbis, quibus timeant Deum, & diligant. ut & ipsorum sit pater per diuinam auctoritatem, & eorum mater per spiritualem educationem. si uero scit scienter aliquem suorum familiarium peccare ad mortem animæ, qui, auditis admonitionibus, non resipiscit; remoueat eum à se. quê si retinuerit propter commodum, & consolationem temporalem, non erit immunis à peccato eius.

Pergens vero ad lectum suum examinet diligẽter facta. & effectus ipsius diei iam præteriti cogitando taliter: O Deus creator corporis mei, & animæ, vide me misericordia tua, & præsta gratiam tuam, ut ex somni abundantia non tepescam in seruitio tuo. nec somni inquietudine deficiã à seruitio tuo, Sed modera somnum meum ad honorem tuum, quem ad corporis eleuationem haberi præcepisti, & da mihi fortitudinem, ut inimicus diabolus non inquietet me, nec abstrahat à tua pietate. Surgens autem à lecto diluat cõfessionem, si quas negligentias caro passa est. ne sequentis noctis somnus cum præteritæ delictis oriatur.

Item loquitur Dei mater: dic episcopo, quod cum incesserit per viam dictam; tunc tria difficilia occurrẽt ei: Primo quod uia est arcta: Secundo, q̃ in ea sunt spinæ pungitiuæ: Tertio, quòd via est petrosa, & inæqualis. contra hæc tria dabo tibi tria consilia:

Primum est, quòd induat se episcopus vestibus fortioribus, & subtiliter consutis, contra uiam arctam.

Secundum est, quòd habeat decem digitos ante oculos suos, inter quos respiciat, tanquam per cancellos, ne pungatur à spinis.

Tertium est, quòd caute ponat pedes suos, & in quolibet vestigio attentet, si pes positus subsistit solidè. nec præcipitanter ponat ambos pedes simul, nisi prius certificatus fuerit de qualitate viæ.

Quid vero significat via arcta, nisi malitiam hominum prauorum contra iustos? qui derident opera iusta, & deprauant vias, & monita iustorum recta. & quicquid humile, & pietatis est; parui pendunt. Contra tales homines induat se episcopus veste patientiæ, & constantiæ, quia patientia grauia facit esse suauia, & illas contumelias, gaudenter tolerare.

Quid uero significant spinæ, nisi aduersitates mundi? contra has habendi sunt digiti decem præceptorum Dei, & continorum eius. ut cum pupugerit spina aduersitatis, & paupertatis, cor-

ſideretur paſsio,& paupertas Chriſti. cum vero pungit ſpina iræ,& inuidię, conſideretur charitas Dei,quam nobis ſeruare præcepit.Charitas enim vera non quærit quæ ſua ſunt , ſed ſe totam exponit ad honorem Dei , & proximi vtilitatem.quod vero debet eſſe cautus in ponendis pedibus , ſignificat, quòd vbique debet rationabiliter timere. nam bonus homo tenetur habere quaſi duos pedes . Primus eſt deſiderium æternorum . Secundus eſt faſtidium mundi . in deſiderio uero æternorum debet eſſe diſcretio,ne deſideret æterna ſoli ſibi,tanquam digno, ſed totum deſiderium ſuum,& voluntatem,& remunerationem ponat in manus Dei. In faſtidio uero mundi debet eſſe cautio , & timor , ne faſtidium ſit propter aduerſitates mundi, & vitæ impatientiam.ne ſit etiam propter uitæ temporalis maiorem requiem.ſed ſolummodo fiat propter peccata abominationem , & deſiderium vitæ æternæ . his *igitur difficultatibus* uitæ ſuperatis , *adhuc* præcaueo epiſcopum de tribus inimicis, qui ſunt in uia ſua . Primus quippe hoſtis nititur ſibilare in aures epiſcopi,ut obſtruat auditum eius.Secundus ſtat ante eum , ut pungat oculos eius . Tertius eſt ante pedes eius clamans alte,& habens laqueum,quo pedes illaqueat , quando eleuat eos à terra . Primus hoſtis ſunt homines illi,ſiue infuſiones illæ,qui nituntur epiſcopum trahere à via recta dicentes: Cur tantum aſſummis tibi laborem, & pergis per uiam tam arctam , diuerte ergo magis in viam floridam,per quã vadunt plures . quid ad te,quomodo illi viuant?quid ad te, offendere, & obiurgare illos , a quibus honorari , & amari poſsis ? ſi non offendunt te , & tuos, quid tibi curæ eſt, quomodo viuant, aut ſi offendant Deũ? ſi uero tu ipſe bonus es.quid ad te iudicare alios Da magis munera , & accipe , utere amicitia hominum,ut lauderis, & bonus uoceris in uita tua. Secundus hoſtis deſiderat ex cæcare te, ſicut philiſtei Sanſonnem. hi ſunt pulcritudo & poſſeſsio mundi,fluxus ueſtium,& diuerſus apparatus rerum, honores hominum,& fauores cum enim iſta offeruntur , & placent oculis excæcatur ratio , & tepeſcit amor mandatorum Dei .

Tertius hoſtis clamat ad te habens laqueum,& dicens:cur,inquit, ſic vadis caute , & inclinato capite ? cur in tantum humilias te ipſum,qui à pluribus debes & poſsis honorari. eſto magis ſacerdos , ut ſedeas cũ primis.eſto epiſcopus , ut honorari poſsis à pluribus procede ad maiores dignitates,vt maiora obtineas ſeruitia , & maiori fruoris quiete. Congrega Theſauros, quibus alios iuuans tecum , ab alijs conſolari poſsis , & vbique eſſe lætus. Cumq; animus talibus inclinatus fuerit affectionibus,&ſuggeſtionibus mox affectus eleuatur. quaſi pede quodam prauæ delectationibus ad terrenam cupiditatem,qua ita inuoluitur laqueo curæ mundialis,quòd vis conſurgit ad conſiderationem ſuæ miſeriæ , & ad præmiorum,ſeu ſuppliciorum æternorum.nec mirum: Scriptura enim dicit: Qui epiſcopatum deſiderat , bonum opus deſiderat ad honorem Dei. nunc autem plerique deſiderant honorem, & refugiunt laborem , in quo animæ eſt ſalus ſempiterna.propterea epiſcopus iſte ſtet in gradu,quem habet,nec

appetat altiorem donec Deo placuerit ei aliter prouidere.

Loquebatur mater Dei.

EGO exponere uolo episcopo, quod tenetur facere Deo, & quid est honor Dei, omnis itaque episcopus debet habere infulam in brachijs suis benè custoditam, non vendere eā pro pecunia, non concedere alij propter amicitiam carnalem, non perdere propter negligētiam, & tepiditatem. quid vero significat infula episcopalis, nisi dignitatem, & potestatem episcopalē? ordinare scilicet clerum, & conficere chrisma. corrigere errantes, excitare exemplo negligentes. quid vero custodire stricte infulam, nisi sedule cogitare, quomodo accepit ipsam potestatē? ad quid obtinuit eam, quomodo eam tenuerit, & quid erit ei facturus, si ergo cogitare voluerit, quomodo obtinuit eam; attendat primo si desiderauit eam propter se, an propter Deū. si propter se, timeat rationabiliter, si uero propter Deum, meritorium est, & spirituale. Si vero attendat, ad quid obtinuerit potestatem, & dignitatem, ego dicam ei, ad hoc scilicet, ut esset consolator animarum, & liberator meriti sui, de quorum eleemosinis viuit, ut esset nutritor pauperum, diuitum quoque pater. adiutor Dei in spiritualibus. & pro Deo æmulator. Si uero scire fructum voluerit potestatis, hoc bene declarat Paulus, cum inquit: Qui bene ministrauerit, duplicem habebit honorem, corporalem scilicet, & spiritualem. qui vero episcopalem habet vestem: sed non uitam, qui quærit honorem, sed negligit laborem; hic duplici confusione dignus erit. quid uero significat, ꝙ potestas non debet vendi, nisi quod episcopus non debet scienter esse simoniacus, nec in alijs tolerari, si sciuerit: non ordinare aliquos, nec promouere propter pecuniam, non exercere officium suum propter honorem hominum, & fauorem: nec propter preces carnales exaltare illos, quos indignos nouerit, & malæ uitæ. quid uero est, ꝙ non debet alijs concedere suam potestatem propter amicitiam, nisi quòd non debet simulare peccata aliorum propter falsam misericordiam, non tacere propter amicitiam, non portare in dorso suo peccata aliorum, quæ potest, & tenetur corrigere propter aliquam carnalitatem. est enim episcopus speculator domini, & ideo sanguis mortuorum exquiritur de manu speculatoris, si uidit periculum, & nō clamauit, aut si dormiebat, & nō curabat. quod uero episcopus non debet perdere coronam, seu infulam per negligentiam, hoc significat, quòd episcopus non debet illam concedere alijs ad faciendum, quod ipse personaliter tenetur facere, & potest facere, nec propter quietem suam tepidam, illam debet dimittere, quæ ipse personaliter fructuosius, quàm alia posset implere. nec etiam ignorare debet vitam eorū, quibus committit officia sua, sed inquirere occulte, & aperte vitam eorum, quibus committit, & quomodo seruant iustitiam, quia officium episcopale, non est quietis, sed solicitudinis, & laboris. Cumque episcopus, sicut iam dixi, benè custodierit infulā, oportet, quòd habeat etiam sub brachijs suis fasciculum florum, quibus alliciātur oues remotæ, & vicinæ. Solet enim bonus pastor, per flores, & fœnum trahere

here poſt ſe oues ſuas. Quid eſt iſte faſciculus florum, niſi prædicatio diuina, quæ pertinet ad epiſcopum. quæ vera ſunt brachia duo, niſi operatio duplex, facere ſcilicet bona opera in aperto propter incitamentum aliorum, & facere bona in occulto propter timorem Dei, & exemplum vicinorum: ergo ſi prædicatio coniungatur cum his duobus operibus, pulcherrimus erit faſciculus florum, poſt quem oues vicinæ in epiſcopatu ſuo gaudenter current: oues etiam, quæ remotæ ſunt, audientes famam eius, libenter deſiderabunt eum: & propter verba bona, & propter opera charitatis, quæ ſequentur verba. nam iſti ſunt ſuauiſsimi flores, ad alliciendum oues. facere ſcilicet virtuoſa opera, & ea alios docere. non in verboſa ſcientia, ſed in paucis verbis, & charitate plenis. nec enim decet præconem Dei eſſe mutum, nec ſpeculatorem domus Dei eſſe cęcum. adhuc etiam deficit epiſcopo vnum. cũ enim *ipſe* peruenerit ad portam, decet eum aliquid præſentare ſummo Regi. ideo conſulimus ei, quòd præſentet. Regi vas ſibi chariſsimum, & illud vacuum; ornatum. Vas itaque epiſcopo chariſſimum cor ſuum eſt. hoc ergo præſentet, & offerat Deo, totum ornatum virtutibus, ſed vacuum voluntate propria, & amore carnis. & ſic tunc quando epiſcopus appropinquauerit portę, occurret ei exercitus ipſe Deus; & homo ſuſcipiens eum. angeli quoque dicent: O domine Deus, ecce epiſcopus, qui fuit mundus in carne, in ſacerdotio purus: apoſtolicus in prædicatione, epiſcopus vigilans in officio ſuo: virilis in operatione, humilis in poteſtate, ecce quem deſideraſtis propter puritatem ſuam. & ideo præſentamus eũ tibi, quia deſiderauit te propter charitatem tuam. Tunc quoque dicturę ſunt animæ ſanctæ in cœlo exiſtentes. ecce domine Deus, gaudium noſtrum eſt in te. attamen gaudemus etiam de iſto epiſcopo. nam florem portauit in ore, quo vocabat plures oues, florem portabat in manibus, quo reficiebat ad venientes oues. flores transmittebat habitantibus de longe, quibus excitabat dormientes oues. & ideo, quia floribus verborum ſuorum augmentauit chorum noſtrum, gaudemus in eo. gaude & tu domine in homine iſto, & de honore eius. quia ſuper omnia deſiderauit te. Tunc quoque dicturus eſt epiſcopo dominus dator gloriæ: O amice veniſti præſentare mihi vas cordis tui vacuum à te, & deſideraſti impleri de me. ideo veni, & ego implebo te me ipſo. tu eſto in me, & ego in te. gloria enim tua, & lætitia nunquam habet finem.

Epiſcopus quidem ſapiens, pulcher, & diues.

IN ciuitate quadam erat quidam epiſcopus, ſapiens, & pulcher, & diues, qui de pulchritudine, & ſapientia ſua laudatus non regratiabatur Deo, ut debuit, qui dedit ei ipſam ſapientiam. laudabatur quoque, & honorabatur de diuitijs ſuis, & ideo dedit multa propter mundi fauorem. plurima quoque concupiuit, ut largius daret, & amplius honoraretur. iſte epiſcopus habebat quendam clericum literatum in epiſcopatu ſuo, qui taliter ſecum cogitabat: iſte, inquiens; epiſcopus diligit Deum minus, quàm expedit: uita eius tota tendit ad ſeculaia.

ideo

ideo si placeret Deo, libenter desiderarem episcopatum eius ad faciendum honorem Deo, non desidero quidem propter mundum, quia honor mundi non est aliud, nisi sicut aer. non propter diuitias: quia sunt graues tanquam onus grauissimum, non propter quietem carnis, & commodum proprium, quia non teneor esse inquietus nisi rationabili, sic vt corpus stare possit in seruitio Dei, sed propter solum Deum desidero. & quáuis indignissimus sim honore, tamen ut plures lucrifacerem Deo, & pluribus proficerem, verbo, & exemplo, pluresque sustentarem de bonis ecclesiæ. libenter susciperé onus episcopale. nam Deus scit, quod charior esset mihi mors dura, & dulcius ad ferendum amarum supplicium, quàm episcopalis dignitas. quia licet passibilis sim, sicut ceteri, tamen qui episcopatum desiderat, bonum opus desiderat. ideo libenter desidero honorem episcopalem; honorem quidem propter salutem plurimorum; onus vero propter salutem meam, & amorem Dei, & animarum ad hoc solum, ut bona ecclesiæ possim distribuere largius pauperibus, animas instruere liberius, errantes instruere fiducialius, vexare carnem meam abundantius, moderare me ipsum sollicitius in exẽplum aliorum. iste autem canonicus increpauit suum occulte & prudenter. episcopus vero ægre ferens verba, confundit clericum aperte, & imprudenter, iactans se ad omnia sufficientẽ, & moderatum. Canonicus autem plorauit excessum episcopi. Patienter ferens illata. sed Episcopus deridens charitatem, & patientiam canonici, obloquebatur ei, in tantum, quòd canonicus i arguebatur, & reputabatur fatuus, & mendax. Episcopus vero iustus, & circunspectus, tandem procedente tempore, episcopus, & canonicus migrauerunt, & uocati sunt ad iudicium Dei, in cuius conspectu & præsentia angelorum posita videbatur quædam sedes aurea, & ante sedem infula episcopalis, & totus eius ornatus. multi quoque demones sequebantur cupientes inuenire aliquid mortiferum in eo, quia de Episcopo sic erẽt certi: Sicut qui inter procellas seruant cãtulos suos viuos in uentre suo, propositis uero multisque rimonijs contra Episcopum, cur scilicet, & qua intentione suscepisset Episcopatum, cur superbiuit de bonis animarum, quomodo animas sibi commissas rexisset, quid vero Deo pro facta sibi gratia respondisset, cumque Episcopus nihil iustitiæ haberet, quod responderet ad proposita; respondit iudex: Ponatur, in capite Episcopi, sex pro infula, in manibus autem pix pro cirothetis, lutum in pedibus, pro sandalijs, pro camisia, & linteo episcopali pannus meritricalis, pro honore suscipiat dedecus, pro lata familia habeat sæuientem turbam demoniorum. Deinde addidit iudex: Ponatur in capite canonici corona fulgida, sicut sol, in manibus eius cirothecæ deauratæ. Calciate pedes eius sotularibus. in super induatur habitu episcopali. cum omni honore. qui statim ueste episcopali circumdatus ab omni exercitu cęlesti, præsentatus iudici, tanquam Episcopus cum honore. episcopus discedit sicut fur, habens in collo funem, à cuius conspectu iudex auertebat oculos misericordiæ suæ, & omnes sancti cum eo. Ecce quomodo propter voluntatem

tem bonam multi obtinẽt dignitatem ſpiritualiter.

Epiſcopus mundanus flabello comparatur, & teſtudini.

SScriptura dicit: Qui diligit animã ſuam in hoc mundo, perdet eam. iſte uero epiſcopus diligit animam ſuam iuxta omnem voluptatem ſuam, & ſpiritualis delectatio non eſt in corde eius. ideo bene cõparari poteſt flabello pleno vento iuxta conflatorium. nam ſicut carbonibus conſumptis, & ære ignito fluente, adhuc remanet uentus in flabello; ſic ipſe, quamuis naturæ ſuæ tribuat omne, quod appetit, conſumens tempus ſuum inutiliter, tamen remanet ſibi eadem delectatio, ſicut ventus in flabello. nam uoluntas eius eſt ad ſuperbiam, & cupiditatem mundi, ex quibus induratis corde, dat occaſionem, & exemplum peccandi, qui conſumpti in peccatis defluunt in infernum. non ſic diſpoſitus fuit ille bonus Ambroſius Epiſcopus: eius denique cor plenum fuit diuina voluntate, eius cibi & ſomnus rationabilis, qui exufflans peccati uoluptatem, tempus ſuum conſumpſit utiliter, & honeſte. ipſe quippe poteſt bene uocari flabellum virtutum. Sanauit enim vulnera peccati verbis ueritatis, incendit frigidos diuina charitate, & bonorum operum ſuorum exemplo, feruentes quoque uoluptate peccati. refrigerunt ex eius munda uita. & ſic ipſe multos iuuit, ne intrarent mortem inferni, quia diuina delectatio in eo permanſit quandiu uixit. Iſte uero Epiſcopus ſimilis eſt teſtudini, quæ iacẽs in innata putredine trahit caput in terram. ſic iſte iacet, & delectatur in peccati abominatione, trahens animum ad terrena, non ad ſempiterna. Tria reducat ſibi ad memoriam: Primo quomodo tenuerit officium ſacerdotij. Secundo quid ſignificat illud uerbũ euangelij. veſtimenta ſunt ouium, intrinſecus autem ſunt lupi rapaces. Tertio, cur ea, quæ temporalia ſunt tantum feruent in corde. Creator uero omniũ frigidus in corde eius.

Epiſcopus ſimilis ſimiæ; propter quatuor.

EPiſcopus iſte ſimilis eſt ſimiæ, habenti quatuor conditiones, quarum prima eſt, quòd præparantur ei ueſtes tendentes ad inferiorem partem, & anteriora uelantes. ſed uerecundiora eius apparet tota nuda. Secunda conditio eſt, quòd digitis ſuis tangit fætentia, & applicat ori ſuo. Tertia eſt quod faciem quidem habet humanam, ſed colorem, & ſpeciem reliquam beluinam. Quarta eſt, quod licet habeat manus, & pedes, attamen cum digitis, & manibus calcat lutum. Sic epiſcopus iſte fatuus eſt, quaſi ſimia, curioſus in mundi uanitate, deformatus à laudabili operatione. Habet enim veſtes, ideſt, ordines epiſcopales, qui ſunt ualde honorabiles, & præcioſi apud Deum, ſed uerecũdiora ſua apparẽt nuda, quia leuitas morum ſuorum, & affectus carnalis oſtenditur hominibus ad animarum deſtructionem. contra quæ dicit ille miles egregius, quod uerecundiora hominis maiorem honeſtatem habent, notans per hoc, quod motus beſtiales clericorum celari debẽt bonis operibus, ne exemplo eorum infirmi ſcandalizentur. Simia quoque tangit, & odorat fætentia, quid facit digitus niſi demonſtrationem rei uiſæ? ſicut ego uidens deum in humani

tate

tate ait Io. Bapt. Ecce, inquiens, agnus dei. quid ergo sunt digiti episcopi, nisi mores eius laudabiles, quibus demonstrare deberet iustitiam Dei, & eius charitatem? nunc autem in operibus suis demonstrat, quòd est diues, & generosus, & sapiens mundi, & prodigus pecuniarum, quid autem sunt hæc omnia, nisi tanquam mittere manum in fætentia. nam gloriari de carne, & lata familia, quid aliud est quam gloriari de inflatis saccis. Simia quoque habet faciem humanam, sed speciem aliquam beluinam. sic iste animam quidē habet signaculo dei insignitam, sed propriam cupiditatem deformatam quarto, sicut simia tangit, & calcat cum pedibus, & manibus lutum, sic iste affectu, & opera, terrenis inhiat, auertens vultum suum à cælestibus, & inclinās ad terrena, tanquam animal obluuiosum. nec talis mitigat iram Dei, sed magis prouocat contra se iustitiam Dei.

Episcopus quomodo se habeat in cura animarum.

EPiscopus primo debet confringere peccatores cum operibus iustitiæ ex diuina charitate, ut confractis seris uitiorum, peccator pertingat ad pretiosum Thesaurum, & quamuis nō possit omnes peccatores percutere, faciat, ut tenetur, quæ possit, & potissime his, qui sunt sub manu sua, non parcendo paruo uel magno, propinquo, uel cognato, inimico, uel amico, sic fecit ille sanctus Thomas de Anglia, qui passus est multas tribulationes pro iustitia, & in fine occubuit dura morte, quia non pepercit percutere corpora cum iustitia ecclesiastica, ad hoc ut anima minorem pœnam pateretur, cuius uitam imitatur iste Episcopus, quatenus omnes audientes intelligant, quod odit peccata propria, & aliorum, & tunc ictus zeli diuini audietur super omnes cœlos in conspectu Dei, & angelorum. & multi conuertentur, & meliorabuntur dicentes: Non odit nos, sed peccata nostra, resipiscamus ergo, & erimus amici Dei.

Episcopus similis Papilioni.

ISte episcopus potest assimilari Papilioni vermi, qui habet alas latas colore albo, rubeo, & blauio respersas. cum vero tangitur, color eius spissus remanet in digitis tanquam cinis. hic vermis modicum habet corpus; sed grossum os, duo cornua in fronte, & occultum locum in ventre, per quem immunda ventris emittuntur. Alæ vero huius vermis, id est episcopi, sunt humilitas eius, & superbia. nam humilis apparet extra in verbis, & gestubus humilis, in vestibus, & operatione: sed intus est superbia qua magnus est in cōspectu sui, tumidus de ore ambitiosus de fauore hominum, & arrogans, alijs sua præferendo: & aliena iudicando. his igitur duabus alis, uolat per humilitatem apparentem coram hominibus, ut singulis placeat, & in ore sit omnium. Per superbiam uero sibi ipsi, qua se existimat multis sanctiorem. tres vero colores alarum sunt tres species palliantes mala eius. nam color eius rubeus significat, quod continue de passione Christi disputat, & miraculis sanctorum, ut uocetur Sanctus, sed certe sunt à corde ipsius, quia minime sapiunt sibi. Color vero blaueus significat, quòd exterius videtur non curare de temporalibus, sed mortuus esse mundo. & totus cœlestis, sicut blaueum

ueum ſpeciem habet cœli: ſed certe color iſte ſecundus, non maiorem coram deo ſtabilitatem, & fructum affert, quàm ille primus. Color vero albus indicat ipſum in ueſtibus religioſum, in moribus ſuper laudabilem. ſed tanta dulcedo eſt, & perfectio in colore tertio, qualis in duobus primis. ſicut enim color papilionis ſpiſſus eſt, & ad hæret manibus, uel tamen relinquens manibus niſi quaſi cinerem; Sic opera ſua videntur admiranda, quia deſiderat eſſe ſolus, ſed ad utilitatem propriam uacua, & infructuoſa ſunt. quia non ſincere quærit, nec diligit diligendum. Cornua uero duo, duplex eſt voluntas eius. nam deſiderat habere vitam ſine incommodis in hoc mundo; poſt mortem uero vitam æternam, vt & honore magno non fraudetur in terris, & in cœleſtibus, perfectius in cælo coronetur. Iſte epiſcopus ſimillimus eſt etiam papilioni, qui cogitat portare cœlum in cornu uno, & terram in altero, qui tamen, ſi poſſet, non ſuſtentaret minimum quid ad honorem Dei. Sic iſte: eccleſiæ Dei ſe credit, & cogitat proficere uerbo ſuo, & exemplo: tanquam ſi ſine illo non ita creſceret, terrenoſque homines per merita ſua germinare ſpiritualiter ſuſpicatur. & ideo tanquam miles, qui certauerat, cogitat. Ad quid uocor deuotus, & humilis, ad quid extendam ad arctiora uitam meam, ſi pecco in quibuſdam delectabilibus, ſine quibus non delectabiliter uiuo, maiora merita & opera mea me excuſabunt. cum enim cœlum per hauſtum aquæ frigidæ obtineri poterit, quid neceſſe eſt ultra naturam laborare. Papilio quoque habet latum os, ſed maiorem habet latitudinem cupiditatis, in tantum, quòd ſi omnes muſcas uoraret præter unam, adhuc illam concupiſceret ſolam, & deuoraret. ſic iſte, ſi unum denarium obtinere poſſet cum multis, tali modo, ꝙ non notaretur, & eſſet occultum, reciperet quidem, ſed nunquam fames cupiditatis extingueretur. Papilio quoque habet occultum exitum immunditiæ ſuæ. Sic ipſe improbè effundit iram ipſam, & impatientiam, ut & latentia ſua alijs oſtendantur. Item ſicut Papilio habet modicum corpus, ſic iſte modicam charitatem, quia quod deficit ſibi in magnitudine charitatis, totum ſuppletur in alarum latitudine, & extenſione. ideo ſi quis aliquam ſcintillam charitatis habet, ſemper ſpes eſt uitæ, & ſalutis. Sed non charitatem ſicut habuit Iudas, cum tradendo dominum dixit: Peccaui prodendo ſanguinem iuſtum, uoluit quippe uideri habere charitatem, ſed non habebat.

Epiſcopus ſimilis Bruco.

ISTE epiſcopus poteſt ſimilari bruco, qui terreum habens colorem cum ſonitu magno euolat, & ubicunque reſederit, mordet intolerabiliter, & cum dolore; ſic iſte paſtor terreum habet colorem, quia cum ad paupertatem vocatus eſt, magis deſiderat eſſe diues, quam pauper; magis præeſſe, quàm ſubijci; magis habere voluntatem propriam, quam aliorum obedientia diſciplinari. Euolat quoque cum ſonitu magno, quia pro diuinis ſermonibus abundat verboſa eloquentia; pro doctrina ſpirituali diſputat de mundi vanitate. & pro ordinis ſui ſimplicitate laudat, & imitatur mundi uanitatem. Habet inſuper duas alas, ideſt duas conſiderationes. Prima eſt, quòd

omnibus vellet dare uerba pulcra, & placentia ad hoc, vt ab omnibus honoraretur. Secunda est, ꝙ vellet, vt omnes se inclinarent, & obedirent. Item brucus mordet incõsolabiliter, sic iste mordet damnose ad animam, nã cum sit animarum medicus, non dicit accedentibus ad se periculum eorum, & infirmitatem, nec utitur resecationis ferro. Sed loquitur eis placentia, vt uoce tur mitis, & ne ab aliquibus deuitetur. Ecce in istis duobus episcopis mirabile magnum est, alter enim apparet extra pauper, solitarius, & humilis, vt vocetur spiritualis; alius desiderat possidere mundum, vt uocetur misericors & largus. alius iterum vult videri possidere nihil, & tamen concupiscit omnia possidere occulte. aliter possidere in aperto plurima, vt tribuat multa, & sic honoretur multum, propter secundum vulgare prouerbium, quia ipsi seruunt mihi taliter, quòd non uideo, quia non approbo, ideo remunerabo eos taliter, quòd non videbunt, ait dominus.

Episcopi quomodo se habeant erga familiam.

CIrca familiam episcoporum, non sit nimis magna propter superbiam, sed sit bene moderata secundum necessitatem regiminis vestri officij, & iuxta exigentiam uestri status. Illos uero clericos, quos ad nihil aliud sustentatis, nisi ad cantandum diuinum officium, aut ad aliquod addiscẽdum, aut ad docendum alios, aut ad scribendum, tot habeatis, quot uobis placuerit, & tamẽ expedit vobis, quòd quam melius potestis de eorum correctione curam habeatis diligentem, & de ipsorum salute animarum. attendatis etiã de reliquis seruitoribus uestris, vt quilibet eorum habeat suum officium. & si aliqui fuerint superflui, propter uanam gloriam non teneantur, ne eleuetur cor vestrum habendo maiorem familiam, quàm alij pares vestri: illos quoque, quos uobiscum habetis familiares, uere necessarios, expedit quòd semper in mente habeatis illorum vitam perseuerando solicite, vt uerus pater familias, eorum quoque actus uitã & mores corrigendo, eosque paternaliter, & bonis informationibus fouendo, & admonendo, vt ipsi peccata, & vitia fugere addiscant. Deumque semper super omnia amare studeant. Deo quippe magis acceptum est, uobisque magis utile, vt nullo modo aliquem familiarem uobiscum habeatis, qui sanis consilijs noluerit acquiescere, neque suas transgressiones humiliter emendare.

Episcopi quomodo se gerant in victu, & vestitu.

DE Indumentis vestris consulo, quod nunquam plus simul, quam tria paria in possessione habeatis, & omnia, quę supefuerint statim ipsi Deo tribuatis. de Lectisternijs, & manugijs, & mensalibus, tantum pro uobis tenete, quantum vobis necessarium est, & utile. reliqua autem Deo date. De vasis argenteis. tantum pro uobis reseruate, quantum personæ vestræ, & hospitibus in propria vestra mensa comedentibus sufficiat. & illa, quæ super fuerint donate hilari mente Deo, qua alia similia vestra, & hospites in alijs mensis sedentes bene possunt in uasis stamneis, & terreis, aut ligneis, siue vitreis absque vlla erubescentia manducare, & bibere: nam illa cõsuetudo,

quæ

quæ nunc est in domibus dominorum episcoporum, in quibus auri, & argenti nimia abundat superfluitas, valde abominabilis est ipsi Deo, qui pro nobis, omni paupertati se subiecit, & animabus multum damnosa. Item cauete à pluralitate ferculorum, & nimium delicatorum. Item, ne nimis magnos equos, & præciosos habeatis, sed moderate in magnitudine, & pretio. nam illi talibus equis indigent pro defensione iustitiæ, & tuitione uitæ, non pro superbia bellorũ periculis se exponẽt. ego enim dico vobis quod prælati, qui super magnos equos ascendũt propter superbiam, & vanam gloriam toties super illorũ corda diabolus ascendit.

Episcopus sit liberalis in pauperes.

SI nihil pauperibus erogent: & in vanum nomen episcopi portent. 86. dist. fratrem nostrum. & c. non satis. item si negligenter defendunt viduas & orphanos, & pauperes, & alias personas miserabiles, ad ecclesiæ defensionem spectantes. 87. dist. per totum. item si nimiam curam habent de rebus temporalibus: cum tamen scriptum sit quod episcopi nullam rei familiaris curam personalem ad se reuocent: sed lectioni, & orationi, & verbo prædicationis tantummodo vacent. 88. distin. per latum. cum seq. item si plura beneficia vni personę cõferant. 88. d. singula item si habeat yconomos. sub quorum testimonio res ecclesiæ gubernentur. 89. distin. volumus. & c. quia in quibusdam. 16. q. 6. quoniam. q. 3. cum simus. & nolunt habere yconomos. laicos. 89. dist. indicatum. 16. q. 7. in nona actione vel consanguineos 89. dist. decentes. alias suspendatur ad annum. episcopus & yconomus induplum puniatur. item si vnus inuidet alij, & laborat, ut cadat: & ad inuicem discrepant in diuinis. 90. dist. c. pen. & fi. item si appropriant sibi omnia bona ecclesiastica: solus enim episcopus incumbit bonis. solus sibi vẽdicat vniuersa, solus occidit vniuersos. hoc est principium litis & detestationis, & origo criminis. & ideo a clericis accusantur & damnantur. & a domino Iesu Christo. & clamor eorum intrat in aures domini. 94. dist. diaconi. item si contemnunt presbyteros: & ubi sunt non permittunt eis officium facere & c. 95. distin. olim. cum enim presbyter Christum consecret, quod maius est: quare pręsente episcopo non poterit prædicare. 95. dist. ecce ego. alias si nõ habent eos, ut principes patiantur. Si non habent eos ut fæneratores. eo. dist. esto subiectus. Item si ordinant per pecuniam: quia tales incurrunt lepram. j. q. 1. cum ordinaretur episcopus, eos & c. cito turpem & de radice infecta. bonus fructus exire non potest. eod. defertur, & nisi renunciet, saluari non potest. q. 1. si quis neque. & adde quod in altari, in quo episcopus missam celebrauit, presbyter eo die aliam celebrare missam non potest. cap. in altari. de consec. dist. 2.

Episcopus sit monogamus.

EPiscopus monaganus esse debet: & senior non tam ętate, quam sapientia, vnde presbyter dicitur. c. nunciatum cum seq. 83. distin. hospitalitas etiam vsque adeo episcopis necessaria est: ut hospitalitatem nescius non sit faciendus episcopus. c. 1. 75. dist. doctorem, etiam episcopum oportet esse, ne inferiorum culpę in eum refundantur,

qui docēdi officium accepit, quod exequi nescit, vel negligit. negligentiæ namque rectoris imputantur culpę inferiorum, & non excusat eos dilectio, aut amicitia, quia licet homines sint diligendi: sunt tamen peccata odio habēda. alias qui negligit emendare quod potest, facientis culpam habet. 85. dist. Florentinam. cum seq. qui uero in corripiendo modum excesserit: non à subditis, sed a domino veniam petat. c. in eod. dist.

Prælati clericos tractent ut filios.

PRælati ergo tractent clericos, ut filios, & fratres: benigne, ac fraterna charitate foueant eos. c. 1. de excess. prę lato. & propterea, licet in ecclesia, & in publico super indumentis lineis. hoc est rochetis uti debeant. c. clerici. in fi. de ui. & hon. cleri. intra domum tamen non, sed collegas presbyterorum se esse cognoscant: nec coram se stare presbyterum patiantur. sed sedere faciant. cap. episcopus. cum seq. 98. d. secundū modernos. adde. not. in cap. humilit. de maio. & obe. honor suus tamen vnicuique seruandus est. 60. 6. dist. mons antiquus.

Prælatus raro à minutis peccatis est immunis.

NOn est etiam credendum possibile esse prælatum sine minutis peccatis reperiri, etiam omnibus notis: putaque in cibo, aut potu plus nō accipiat, quam necessarium sit, vel quòd plus loquatur, quam oporteat, aut plus taceat, quàm expedit, aut pauperem importune petentem non exasperet, aut corpore sanos alijs ieiunantibus prandere non velit, aut somno deditus tardius ad ecclesiam surgat, aut si cōiugatus, excepto filiorum desiderio vxorem suam cognouerit; aut in carcerem positos tardius redemerit, & infirmos tardius visitauerit, aut discordes ad concordiam reuocare neglexerit, aut si plus proximum, vel vxorem, vel filium, aut seruū exasperauit, quā oportet, vel si plus blāditus fuerit quā oportet, vel si cuicunq; maiori personæ, aut ex voluntate, aut ex necessitate adulari voluerit, vel si pauperibus esurientibus nimis delicioſa, uel sumptuosa conuiuia præparauit. Item si in ecclesia, vel extra, fabulis ecciosis, de quibus in die iudicij ratio reddenda est, occupauerit, vel si dum incaute iuratur, quod per aliquam necessitatem impleri non possit, vtique peieratur.

Peccata Episcoporum.

EPiscoporum multa sunt peccata, ut si conferant ordines indignis, si consecrent non virgines, si conferant ecclesiastica beneficia indignis, si non resideant in sua cathedra, & ecclesia, sine rationabili causa, si non intersint diuino officio, saltem dominicis diebus: si non visitent, aut in uisitatione seruent iura tam de inquirēdis, & prouidendis, quàm de prædicando procurationibus & si non instituant prædicatores in ecclesia cathedrali, potentes in opere, & sermone: si non celebrent sinodum, si non prouideat de idoneis ministris, videlicet vicario, assessore, notario &c. Si negligant executionem legatorum. si enim non corrigant uerbo, & facto, subditos, vt opus est, sinó conficiant Crisma annis singulis, si non dispensent redditus suos pauperibus, & ecclesiæ, vt debent: si negligunt, ut magistri instituantur ad docendum opportuna, & artes liberales: si negligant pascere oues sibi creditas. ex Caiet.

Præ-

Prælatorum singularis exhortatio.

ADuertant tam ad præterita cũ multa reminiscentia, quàm ad præsentia cũ multa intelligentia, quàm etiam ad futura cum multa prouidentia, quod ei à prælatis agitur, cito trahitur à subditis in exemplum. iuxta quod dominus in Leuitico inquit ad Moysem: Si sacerdos, qui est unctus, peccauerit, faciet delinquere populum c. magnæ. de uoto. dum tamen uere nõ recedamus à tramite ueritatis, non habemus curare quod os loquentium cu iuscunque loquatur, ut ibi iuxta illud: Componitur orbis regis ad exemplũ. 11. q. 1. præcipue. sunt enim prælati tanquam signum positi ad sagittam. vnde histriones uitam eorum inspiciunt: ea qualiter, & quando de accusat. & dicit Gregorius in pastorali, quòd plures occidimus exemplo, quàm gladio, & tot mortibus digni sumus: quot proximis nostris mala exempla monstramus, vt in d. c. præcipue. debent ergo prælati esse prudentes, sicut serpentes, dicente domino: Estote prudentes, sicut serpentes, & simplices, sicut colũbæ: vt prius attendant tempus tacendi, postea loquendi: & ut quisque sit paratus reddere rationem omni poscenti de ea fide. & spe, quæ in eis est. & intendere debent, lectioni, exhortationi, & doctrinæ. & ideo debent semper sacris literis insistere, nec non discere, cum ex officio alios debent docere. vt in c. qui ecclesiast eis 36. dist.

Prælati sint in negocijs secularibus periti.

PRela i non possunt esse prudentes, qui sunt secularium negociorum imperiti: quia hoc tempore talis in reiminis debet arce constitui: qui non solum de salute animarum, uerum et de extrinseca utilitate, & cautela sciat esse solicitus. c. Petrus. eod. d. ex his nã que patet, secularium negociorum peritiã prælatis necessariã esse, qui subditis non solum debent spiritualia, sed etiam carnalia subsidia ministrare: exemplo Christi, qui turbas sequentes non solum docebat uerbo, sed etiã virtute sanabat: & corporalibus alimentis reficiebat, debent ergo prælati secularium negociorum habere peritiã: vt hæc oĩa possint esse: & corũ cautela ecclesiæ seruentur indemnes: & cuique necessaria pro suo modo ministrentur. unde in episcopum electus à beato Gregorio pro sua simplicitate repellitur: ne eius occasione res ecclesiasticæ dilapidarentur.

Prælatus non sit momentaneus.

EST aduertendum postremo, q qui heri erat cathecumenus, hodie non est faciendus episcopus: qui heri erat in theatro: hodie non sedeat in ecclesia, qui vespere erat in circulo hodie non ministret altari, qui dudum fuerat fautor histrionum: hodie non sit consecrator uirginum: ne secundum Apostolum elatus in superbiam, tanquam religio Christiana plurimum eo egeret, incidat in ruinam diaboli. momentaneus nanque sacerdos nescit humilitatem: aut modos personarum, uel se contemnere. non ieiunauit: non fleuit: non se correxit: non se pauperibus erogauit: Sed in arrogãtiam, quæ est mira, diaboli incidit, qui puncto horæ, necdum discipulus, fit magister, & sicut Innocentius ait, miserum est cum fieri magistrum: qui nec dũ didicit esse discipulus. cap. cum in magnum de elect. cum similibus. vnde Gregorius:

eius: Casum appetit, qui ad summi loci fastigia, post positis gradibus, per arrupta quærit ascensum.

Prælati iniuria ad Christum pertinet:

PRælati sunt columnæ ecclesiæ, Apostolorum successores: ideo iniuria, quæ in eis infertur, ad Christū pertinet. pro quo funguntur legatione Christi in personis ipsorum operante. 2. ad Corinth. 5. c. & in d. c. accusat. qui enim contristat episcopum doctorem veritatis, peccat in Christum, & patrē exacerbat Deum: propter quod & vita carebit, inquit beatus Petrus in ordinatione Clementis transumptiuè. 10. q. 3. cap. quicunq; cap. si episcopis non obedierint principes maioris, uel inferrioris ordinis, & reliqui populi: non solum infames, sed extorres idest separati erunt à regno Dei, à consortio fidelium, & à limitibus sanctæ matris ecclesiæ alieni.

Prælati non corrigentes subditos quibus comparentur.

COntra prælatos ex simplicitate, vel vecordia non corrigentes facit illud prouerbio. 23. eris sicut dormiens in medio maris. & quasi sopitus gubernator, amisso clauo, ad cuius propositum Isidorus Prælatum negligentem dormienti assimilat, de cuius manu baculus cadit pastoralis. pictores namque pingunt talem accumbentem in cathedra super cubitum somno grauatum, & cadentem de manu eius baculum pastoralem. tales dicuntur Esa. 58. cap. ipsa pietas. Sunt aliqui fatui, qui remissionem, misericordiā putāt, cum potius sit crudelitas. 23. q. 4. cap. ipsa pietas misericorditer agitur cum frenetico, cum ligatur, & à desiderijs suis nociuis compescitur. Ecclesiastic. 7. quem Deus despexit nemo potest corrigere.

Prælati mali in tenebris ambulant, & in magno sunt periculo.

COntra negligentes fructum subaratum, & annulis designatum imporperat. S. Iob. in c. 24. Oculus adulteri, scilicet prælati, spiritualem ornatum sponsæ suæ, & fructum suæ præsidentiæ contemnentis obseruat caliginem: operit vultum suum: perfodit in tenebris: quasi in luce: in tenebris ambulat iniquitatis: maledicta sit pars eius in terra: nec ambulet per viam vinearum. super quo verbo Grego. lib. 6. moralium sic dicit: Via vinearum est rectitudo iustitiæ, per carnale adulterium non tenetur in via vinearum: ambulare, est sanctæ ecclesię pastoris prędicationes, & monita, velut dependētes bonos aspicere, quisquis peruerse agit, nec donorum largitate compescitur: & prosperari in suo statu videtur: reatu perpetuæ maledictionis ligatur. in tenebris quasi in luce ambulāt: quia ita gaudent in nocte peccati, ac si eos lux iustitiæ circumfundat: tanquam cęci delitijs mundi lætantur, quasi iam solo nomine æterna luce perfruantur. perfodit igitur in tenebris qui vineam domini vitiat, ut tēporalia in tenebris peccati colligat: non vt spiritualia in sanctę operationis metat. vnde ad propositum præmissorum dicit Augusti. Nullum maius signum esse reprobationis, quàm male agere, & prosperari quasi indigni transitoria correptione. Vnde dominus per prophetam Esaiā. 26. Misereamur, inquit impio: & non discet facere iustitiā, misericordia hæc super eam omnem, testāte Bernar. qui alibi vnum auditu mirabile ait, velint, nolint,

nolint,& agunt:& patiũtur homines; quicquid prudentia ſumma diſponit.

Prælatus ſubditis adulari non debet.

PRelatus docilis debet laudabiliter viuere,auctoritatẽ magiſterij Deo, nõ ſibi tribuere,Chriſtus magiſter omnium habet in celo cathedram, ſcholã in terra,caput docet membra.item debet habere doctrinam claram,breuem & vtilem, diſtinguendo modos virtutum,pericula vitiorum, plus inſiſtens vtilitati,& correptioni, quàm facudiæ & adulationi.conſequenter ad vbertatem docilitatis epiſcopi uiſitãtes, ſicut inſtruere debent ad bonum,ita debent arguere,& deteſtari uitia ſecundum conditionem,& diuerſitatem perſonarum.

Ira non debet eſſe in prælatis.

EST attendendum inſuper quod prælati non ita iraſcibiles,& perturbati ſenſus eſſe debent,ut alios percutiant: ſed debent eſſe patientes, imitantes eum,qui dorſum poſuit ad flagellum. Vnde Grego. ait verborũ correptione non verberibus timere epiſcopos debemus, nec aſperis ſed blandis ad fidẽ verbis aliquos prouocãdos,ne ſæueritate, ſed beneuolẽtia ſubditos corripiendos,& ſicut nõ vult quiſquã fratrum aliorum ſe iudicio pręgrauari:ita non audeat alij inferre quod ſibi non vult fieri.cap.quando.ante & cap. qui ſincera cum ſeq.45. diſtin.& cap. licẽt non nunquam vbi circa corrigendos plus beneuolẽtia,quàm ſæueritas, plus cohertio,quam comminatio,plus charitas operatur,quam poteſtas.

Ordo bene viuendi ſecundum Auguſtinum.

EX quibus paſsibus ſcripturæ ſacræ elicitur inſtructio recte uiuẽdi ſecundum Deum & puram conſciẽtiam, qui vult prudenter viuere,debet ordinate viuere. ordo eſt ſecundum Auguſtinum.39. de ciuitate Dei,pariũ diſpariumque rerum ſua cuique loca tribuens diſpoſitio, & ordinate viuit qui mentis quiete viuit. vnde Auguſtinus in libro ſuarum confeſsionum: Minus ordinata inquieta ſunt, ordinata vero quieſcunt, quia in prælato docili potiſsima ſors eſt prudentia.

PRAEPARATIO AD MISSAM Pontificalem.

Antiphona.

NE reminiſcaris domine delicta noſtra, vel parentum noſtrorum, neque vindictam ſumus de peccatis noſtris.

Deinde proſequitur ſequentes pſalmos;

QVam delicta Tabernacula tua domine virtutum: concupiſcit, & deficit anima mea in atria domini.

Cor meum,& caro mea: exultauerunt in Deum viuum.

Etenim paſſer inuenit ſibi domum: & turtur nidum, ubi reponat pullos ſuos.

Altaria tua domine virtutum, rex meus,& Deus meus.

Beati qui habitant in domo tua domine:in ſecula ſeculorum laudabũt te.

Beatus vir,cuius eſt auxilium abſte; aſcenſiones in corde ſuo diſpoſuit in valle lacrimarum: in loco, quem poſuit.

Etenim benedictiones dabit legiſlator: ibunt de uirtute in uirtutem: uidebitur Deus Deorum in Syon.

Do-

Domine Deus virtutum exaudi orationem meam: auribus percipe Deus Iacob.

Protector noster aspice Deus: & respice in faciem Christi tui.

Quia melior est dies vna in altrijs tuis: super millia.

Elegi abiectus esse in domo Dei mei: magis quam habitare in tabernaculis peccatorum.

Quia misericordiam, & ueritatem diligit Deus: gratiam, & gloriam dabit dominus.

Non priuabit bonis eos, qui ambulant in innocentia: Domine uirtutum beatus homo, qui sperat in te.

Gloria Patri. Sicut erat.

Alius Psalmus.

BEnedixisti domine terram tuam: auertisti captiuitatem Iacob.

Remisisti iniquitatem plebis tuæ: operuisti omnia peccata eorum.

Mitigasti omnem iram tuam: auertisti ab ira indignationis tuæ.

Cõuerte nos Deus salutaris noster: & auerte iram tuam à nobis.

Nunquid in æternum irasceris nobis: aut extendes iram tuam à generatione in generationem.

Deus tu conuersus viuificabis nos: & plebs tua lætabitur in te.

Ostende nobis domine misericordiam tuam: & salutare tuum da nobis.

Audiam quid loquatur in me dominus Deus: quoniam loquetur pacem in plebem suam.

Et super sanctos suos: & in eos, qui conuertuntur ad cor.

Verumtamen prope timentes eum salutare ipsius: ut inhabitet gloria in terra nostra.

Misericordia, & veritas abuiauerunt sibi: iustitia, & pax osculatæ sunt.

Veritas de terra orta est: & iustitia de cælo prospexit.

Etenim dominus dabit benignitatem: & terra nostra dabit fructum suũ.

Iustitia ante eum ambulabit, & ponet in uia gressus suos.

Gloria Patri.

Alius Psalmus.

INclina Domine autem tuã, & exaudi me: quoniam inops, & pauper sum ego.

Custodi animam meam: quoniam sanctus sum: saluum fac seruum tuũ, Deus meus sperãtem in te.

Miserere mei domine, quoniam ad te clamaui tota die: lætifica animam serui tui: quoniam ad te domine animam meam leuaui.

Quoniam tu domine suauis, & mitis & multæ misericordiæ: omnibus inuocantibus te.

Auribus percipe orationem meam: & intende voci deprecationis meæ.

In die tribulationis meæ clamaui ad te: quia exaudisti me.

Non est similis tui in dijs domine: & non est secundum opera tua.

Omnes gentes, quascunque fecisti: venient, & adorabunt coram te domine: & glorificabunt nomen tuum.

Quoniam magnus es tu, & faciens mirabilia. tu es Deus solus.

Deduc me domine in via tua, & ingrediar in veritate tua: lætetur cor meum, & timeat nomen tuum.

Confitebor tibi domine Deus meus in toto corde meo: & glorificabo nomen tuum in æternum.

Quia misericordia tua magna est super me: & eruisti animam meam ex inferno inferiori.

Deus

Deus, iniqui insurrexerunt super me:& Sinagoga potentium quesierunt animam meam: & non proposuerunt te in conspectu suo.

Et tu domine Deus miserator, & misericors: patiens, & multæ misericordiæ, & verax.

Respice in me, & miserere mei, da imperium tuum puero tuo: & saluum fac filium ancillæ tuæ.

Fac mecum signum in bonum, ut videant qui oderunt me.& confundantur:quoniam tu domine adiuisti me,& consolatus es me.

Gloria patri. *Alius Psalmus.*

CRedidi, propter quod locutus sum: ego autē humiliatus sum nimis.

Ego dixi in excessu meo:omnis homo mendax.

Quid retribuam domino:pro omnibus,quæ retribuit mihi.

Calicem salutaris accipiam:& nomen domini inuocabo.

Vota mea domino reddam coram omni populo eius: preciosa in conspectu domini mors sanctorum eius.

O domine quia ego seruus tuus:ego seruus tuus, & filius ancillæ tuæ.

Dirupisti vincula mea,tibi sacrificabo hostiam laudis: & nomen domini inuocabo.

Vota mea domino reddam in conspectu omnis populi eius:in atrijs domus domini in medio tui hierusalem.

Gloria patri. *Alius Psalmus.*

DE profundis clamaui ad te domine:domine exaudi vocem meam.

Fiant aures tuæ intendentes: in uocem deprecationis meæ.

Si iniquitates obseruaueris domine: domine quis sustinebit.

Quia apud te propitiatio est,& propter legem tuam sustinui te domine.

Sustinuit anima mea in verbo eius: speranit anima mea in domino.

A custodia matutina vsque ad noctem: speret Israel in domino.

Quia apud dominum misericordia, & copiosa apud eum redemptio: & ipse redimet Israel:ex omnibus iniquitatibus eius.

Gloria patri,& filio.

Et repetitur antiphona.

NE reminiscaris,domine delicta nostra:uel parentum nostrorum: neque vindictam sumas de peccatis nostris.

Finitis psal.& antipho. prædictis: & caligis cum sandalijs sibi indutis,surgit Pontifex,& detecto capite: stans versus ad altare dicit:

Kirie eleison.

Christe eleison.

Kirie eleison.

Pater noster. &c.

Et ne nos inducas in tentationem.

℟. Sed libera nos à malo.

℣. Ego dixi domine miserere mei.

℟. Sana animam meam, quia peccaui tibi.

℣. Conuertere domine aliquantulū.

℟. Et deprecare super seruos tuos.

℣. Fiat misericordia tua dñe sup nos.

℟. Quemadmodū sperauimus in te.

℣. Sacerdotes tui induātur iustitiam.

℟. Et sancti tui exultent.

℣. Domine exaudi orationem meā.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo. Oremus.

AVres tuę pietatis,mitissime deus, inclina precibus cōstris:& gratia sancti spiritus illumina cor nostrum: vt tuis misterijs digne ministrare, te-

quę æterna charitate diligere mereamur. *Alia oratio.*

DEus, cui omne cor patet: & omnis voluntas loquitur: & quem nullum latet secretum: purifica per infusionem sancti spiritus cogitationes cordis nostri: ut te perfecte diligere, & digne laudare mereamur. *Alia oratio.*

VRE igne sancti spiritus: renes nostros, & cor nostrum domine, vt tibi casto corpore seruiamus, & mũdo corde placeamus. *Alia oratio.*

MEntes nostras quæsumus domine paraclitus: qui à te procedit, illuminet: & inducat in omnem, sicut tuus promisit filius, veritatem:

Alia oratio.

ADsit nobis, quæsumus domine. virtus spiritus sancti: quæ & corda nostra clementer expurget: & ab omnibus tueatur aduersis. *Alia oratio.*

Deus, qui corda fidelium sancti spiritus illustratione docuisti: da nobis in eodem spiritu recta sapere: & de eius semper consolatione gaudere.

Alia oratio.

COnscientias nostras quęsumus domine visitando purifica: vt ueniens dominus noster Iesus Christus filius tuus: paratá sibi inueniat mãsionẽ: qui tecũ viuit, & regnat in unitate spiritus sancti Deus per omnia secula seculorum. Amen. *Dicit Pontifex:*

CAlcia me, domine, caligas iocunditatis: & corrobora genua mea debilitatis: vt indefessus valeam per semitam mandatorum tuorum ad te peruenire. *Alia Oratio.*

CAlcia domine pedes meos in præparationẽ euangelij pacis: & protege me in velamento alarum tuarum.

Deinde, his dictis, exuitur cappa. prius dicens:

EXue me domine veterem hominẽ cum moribus, & actibus suis: & in due me nouum hominem: qui secundum Deum Creatus est: in iustia, & sanctitate veritatis.

Deinde lauat manus, & abstergit.

DA domine virtutem manibus meis: ad abstergendam omnem maculam immundam, vt sine pollutione mentis, & corporis valeam tibi seruire.

Dum induunt amictum, Pontifex dicit:

POne domine galeam salutis in capite meo: ad expugnandas omnes diabolicas fraudes: inimicorum omnium versutias superando.

Deinde Albam.

DEalba me domine: & à delicto meo munda me: vt cum his, qui stolas suas dealbauerunt in sanguine agni, gaudijs perfruar sempiternis.

Deinde cingulum.

Præginge me, domine, cingulo fidei: & virtute castitatis lumbos meos: & extingue in eis humorem libidinis, vt iugiter maneat in me uigor totius castitatis. *Deinde Crucem.*

MVnire digneris me dñe Iesu Christe ab omnibus insidijs inimicorum omnium: signo sanctissimæ crucis tuæ: ac concedere digneris mihi indigno famulo tuo: vt sicut hanc crucem sanctorum tuorum reliquijs refertam ante pectus meum teneo, sic semper mente retineam, & memoriam passionis, & sanctorum uictorias martyrum.

Deinde stolam.

REdde mihi domine obsecro stolã immortalitatis: quã perdidi in præuaricatione primi parentis, & quã

uis

uis indignus accedere præsumo ad tuum sacrum misterium cum hoc ornamento: præsta, vt in eodem in perpetuum merear lætari.

Ad Tunicellam.

TVnica iocunditatis, & indumento lætitiæ induat me dominus.

Deinde induitur Dalmatica.

INdue me domine indumẽto salutis: & vestimento lætitiæ: & dalmatica iustitiæ circunda me semper.

Ad cirothecas.

CIrcũda domine manus meas mũdicia noui hominis, qui de cęlo descẽdit: vt quemadmodum Iacob dilectus tuus: pelliculis hedorum opertus manibus paternam benedictionem, oblato patri cibo, potuque gratissimo, impetrauit, sic & oblata per manus nostras salutari hostia: gratiæ tuæ benedictionem merear, per dominum nostrum Iesum Christum, filium tuum: qui in similitudinem carnis peccati pro nobis obtulit semetipsum.

Deinde planetam.

DOmine, quia dixisti: iugũ meũ suaue est: & onus meũ leue: præsta, vt illud portare sic valeam, quod possim consequi tuam gratiam.

Admitram.

MItrã, domine, & salutis galeã impone capiti meo, vt contra antiqui hostis: omniumque inimicorum meorum insidias in offensus euadam.

Deinde portatur annulus, & Pontifex dicit:

COrdis, & corporis mei domine digitos virtute decora, & septi formis spiritus sanctificatione circunda.

Postremo ponitur gremiale super gremium Pontificis.

Ad manipulum.

MErear precor domine manipulũ portare mẽte flebili: vt cũ exultatione portionem accipiam cu iustis.

DE OFFICIO PSALMISTATVS.

Psalmista, idest cantor potest absque licentia episcopi: sola iussione presbiteri officium suscipere cantandi: dicente sibi presbitero:

VIde, vt, quod ore cantas: corde credas: & quod corde credis, operibus comprobes.

Et si Episcopus Clericum ordinans hæc faciat, bene facit.

DE CLERICO FACIENDO.

Clericus fieri potest quocunque die, loco, & hora; parentur forfices pro incidendis capillis, & bacile pro illis imponendis, & quisquis ordinandorum habeat suum superpellicium, & candelam. & vocantur omnes tonsurandi nominatim. e sigillatim per notarium: & quilibet nominatus respondet: Ad sum domine. quibus ante altare coram Pontifice in sal distorio cum mitra sedente genuflexis: Pontifex ad eos conuersus interdicit: ne quis se ad recipiẽdam primam tonsuram, ingerat: qui non sit examinatus, & approbatus. quo facto surgit cum mitra, & dicit:

℣. Adiutorium nostrum in nomine domini:
℟. Qui fecit cælum, & terram.
℣. Sit nomen domini benedictum:
℟. Ex hoc nunc, & vsque in seculum.

ORemus, Dilectissimi fratres, dñm nostrum Iesum Christū: pro his famulis suis: qui ad deponendas comas capitum suorum pro eius amore festinant. vt donet eis spiritum sanctū: qui habitum religionis in eis perpetuo conseruet: & à mundi impedimento, ac seculari desiderio corda eorum defendat: vt sicut immutantur in cultibus, ita dextera manus eius virtutis tribuat eis incrementa: & ab omni cæcitate: spirituali, & humana oculos eorum aperiat: & æternæ gratiæ lumē eis concedat, qui viuit, & regnat in unitate eiusdem spiritus sancti Deus, per omnia secula seculorum.

Post hæc, sedente Pontifice, schola incboat, & prosequitur Antiph.

Tu es domine qui restitues hæreditatem meam mihi. *Psalmus.*

COnserua me domine, quoniam speraui in te: dixi domino Deus meus es tu: quoniam bonorum meorum non eges:

Sanctis, qui sunt in terra eius: mirificauit omnes voluntates meus in eis.

Multiplicatæ sunt infirmitates eorum: postea accelerauerunt.

Non congregabo conuenticula eorum de sanguinibus: nec memor ero nominum eorum per labia mea.

Repetitur tota antiphona.

Tu es domine, qui restitues hæreditatem meam mihi.

Incepto Psal. Pontifex cum forficibus incidit unicuique extremitates capillorum in quatuor locis: videlicet, in fronte, in occipitio: & ad vtramque aurem: deinde in medio capitis tres crines capillorum, & in bacile deponit: & quilibet cum tonditur dicit:

Dominus pars hæreditatis meæ, & calicis mei: tu es, qui restitues hæreditatem meam mihi.

Omnibus tonsis, mitra deposita, surgit Pontifex, & stans versus ad illos dicit:

Oremus.

PRæsta quæsumus Omnipotens deus: vt hi famuli tui, quorum hodie comas capitum pro amore diuino deposuimus: in tua dilectione perpetuo maneant: & eos sine macula gratia tua in sempiternum custodias, per Christum dom. nostrum. Amen.

Tunc schola incohat, & prosequitur antiphonam sequentem: qua incepta, Pontifex sedet cum mitra. Antiphona.

Hic accipiet benedictionem à domino, & misericordiam à deo salutari suo, quia hæc est generatio quærentiū dominum.

Psalmus.

DOmini est terra, & plenitudo eius, orbis terrarum: & vniuersi, qui habitant in eo.

Quia ipse super maria fundauit eum: & superflumina præparauit eum.

Quis ascendet in montem domini: aut quis stabit in loco sancto eius?

Innocens manibus, & mundo corde: qui non accepit in uano animam suam: nec iurauit in dolo proximo suo.

Hic accipiet benedictionem à domino: & misericordiā à deo salutari suo.

Hæc est generatio quærentium eū: quærentium faciem Dei Iacob.

Attollite portas principes vestras, & eleuamini portæ æternales: & introibit rex gloriæ.

Quis est iste rex gloriæ? dominus fortis & potens: dominus potens in prælio.

At-

Attollite portas principes vestras: & eleuamini porte æternales: & introibit Rex gloriæ.

Quis est iste Rex glorie: dominus virtutum ipse est rex gloriæ.

Gloria patri, & filio &c.

Deinde repetitur tota antiph.

Hic accipiet benedictionem a domino, & misericordiam a Deo salutari suo: quia hæc est generatio quærentium dominum.

Qua finita, surgit Pontifex sine mitra, & ad altare conuersus dicit: Oremus. & ministri dicũt. Flectamus genua ℟. Leuate. & mox ante omnes genuflexos, Pontifex dicit:

ADesto domine supplicationibus nostris: & hos famulos tuos benedicere dignare: quibus in tuo nomine sanctum habitum sanctæ religionis imponimus: vt te largiente, & deuoti in ecclesia tua persistere: & vitam percipere mereantur æternam, per Christum dominum nostrum, Amen.

Tunc Pontifex sedet cum mitra, & accipiens in manum superpellicium dicit singulis:

Induat te dominus nouum hominem, qui secundum Deum creatus est in iustitia, & sanctitate veritatis.

Et mox imponit illud seriatim cuilibet: repetendo: Induat te, &c. immittens usque ad scapulas, et immediate trahens: si unum tantum sit superpellicium: sicq; facit vsque ad ultimum, qui eo totaliter induitur. Si vero quisque suum superpellicium habeat: singuli totaliter induuntur, quo expedito, sine mitra surgit Pontifex versus ad illos dicit: Oremus.

OMnipotens sempiterne Deus propitiare peccatis nostris: & ab omni seruitute secularis habitus hos famulos tuos emunda: vt dum ignominiam secularis habitus deponunt: tua semper in eum gratia perfruantur: & sicut similitudinem coronę tuæ eos gestare faciamus in capitibus: sic tua uirtute hæreditatem tuam subsequi mereantur ęternam in cordibus. per dominũ nostrum Iesum Christu, filium tuum, qui tecum viuit, & regnat in unitate spiritus sancti Deus, per omnia secula seculorum Amen.

Deinde Pontifex sedit cum mitra, & annunciat illis qualiter facti sunt de foro ecclesiæ, & priuilegia clericalia sortiti sunt. quodque caueant, ne propter culpas suas illa perdant: & quòd habitu honesto: bonisque moribus, ac operibus Deo placere studeant.

DE MINORIBVS ordinibus.

Quatuor minores ordines dari possunt diebus dominicis, & festiuis, & omnes quatuor eodem die. & ordinandi ad quatuor minores omnes debent esse cum superpellicijs.

DE ORDINATIONE Ostiarij.

Pro ostiaris ordinandis parentur claues ecclesiæ, & Archidiaconus uocet ordinandos dicens:

ACcedant qui ordinandi sunt ad officium ostiariorum.

Mox notarius singulos nominatim legit, & quilibet respondit: Ad sum domine. Omnibus in superpellicijs cum candelis in manibus coram Pontifice genuflexis, interdicit Pontifex publice sub ana-

anathemate: nequis ad susceptionem illius ordinis se ingerere præsumat: qui non fuerit canonice examinatus, & approbatus: & nemo, ordine uno susceptо, alium sine licentia recipiat. Deinde instruit, & admonet illos dicens:

SVscepturi filij charissimi officium ostiariorum: videte quæ in domo Dei agere debeatis: ostiarium oportet percutere cimbalum; & campanam; aperire ecclesiam, & sacrarium, & librum aperire ei, qui prædicat. Prouidete igitur, ne per negligentiam vestram illarum rerum, quæ intra ecclesiam sunt, aliquid depereat: certisque horis domum Dei aperiatis fidelibus, & semper claudatis infidelibus: studete etiam, ut, sicut material.bus clauibus ecclesiam visibilem aperitis, & clauditis: sic & inuisibilē Dei domū: corda scilicet fidelium dictis, & exemplis vestris claudatis diabolo: & aperiatis Deo, ut diuina verba, quæ audierint: corde retineant; & opere cōpleant: quod in vobis dominus perficiat per misericordiam suam.

Deinde Pontifex claues ecclesiæ de altari, seu manibus ministri recipiens illas manu dextra tenet, & illis ostendens dicit.

SIC agite, quasi reddituri Deo rationem pro his rebus, quæ his clauibus recluduntur.

Et mox cuilibet eorum ad se accedenti, & manu dextra tangenti, tradit seriatim claues ipsas. post hæc Archidiaconus ducit eos ad ostium ecclesiæ, & facit illos claudere, & aperire. tradit etiam eis funes campanarum faciens eos campanas pulsare: deinde illos reducit ad Pontificem: quibus coram Pontifice genuflectentibus stans cum mitra Pontifex versus ad ipsos ordinatos dicit:

DEum, patrem omnipotentem, fratres charissimi, supplicite deprecemur: ut hos famulos suos bene † dicere dignetur: quos in officio ostiariorum eligere dignatus est: ut sit eis fidelissima cura in domo Dei, diebus, & noctibus ad distinctionem certarum horarum, ad inuocandum nomen domini nostri Iesu Christi. adiuuāte eodem domino nostro Iesu Christo, qui cum patre, & spiritu sancto viuit, & regnat Deus per omnia secula seculorum. Amen.

Tum, mitra deposita, stans Pontifex, & conuersus ad altare dicit: Oremus. *Et ministri subiungunt*. Flectamus genua. ℟. Leuate. *& statim versus ad illos genuflexos stans sine mitra dicit:*

DOmine sancte pater omnipotens æterne Deus, bene † dicere dignare hos famulos tuos in officiū ostiariorum, ut inter ianitores ecclesiæ tuæ, tuo pareant obsequio; & inter electos tuos partem tuæ mereamur habere mercedis, per dominum nostrum Iesum Christum, filium tuum, qui tecum viuit, & regnat &c. Amen.

Post hæc ordinatim, suggerente Archidiacono, redeunt ad loca sua.

DE ORDINATIONE lectoris.

Pro lectoribus ordinandis paretur liber lectionum, & vocantur per Archidiaconum hoc modo: Accedant qui ordinandi sunt ad officium lectorum. & max nominantur per notarium, ut supradictū est; quibus coram Pontifice cum candelis in manibus genuflexis: Pontifex iterum

ponit

ponit interdictum publice sub anathemate &c. ut supra. deinde admonet eos, & instruit dicens:

ELecti fratres charissimi: ut sitis lectores in domo Dei nostri: officium vestrum agnoscite, & implete. potens est enim Deus, ut augeat vobis gratiam perfectionis æternæ. lectorem si quidem oportet legere ea, quæ prædicat: & lectiones cantare: & benedicere panem, & omnes fructus nouos. studete igitur verba Dei: videlicet lectiones sacras distincte, etiam aperte ad intelligentiam, & ædificationem fidelium, absque omni mendacio falsitatis proferre, ne veritas diuinarum lectionum in curia vestra ad instructionem audientium corrumpantur. quod autem ore legitis, corde credatis: atque opere compleatis: quatenus auditores vestros verbo pariter, & exemplo vestro docere possitis. ideoque dum legitis, in alto loco ecclesiæ stetis: ut ab omnibus audiamini, & videamini figurantes positione corporali: uos in alto cunctis, à quibus audimini, & videmini: cœlestis vitę formã præbeatis. quod in uobis Deus impleat per gratiam suam.

Deinde Pontifex accipiens, & tenens in manibus, & eis ostendens codicem, siue lectionarium, de quo locuti sunt, dicit:

ACcipite, & estote verbi Dei reuelatores, habituri: Si fideliter & vtiliter impleueritis officium vestrum: partem cum his, qui verbum Dei bene ministrauerunt ab initio.

Et mox successiue cuilibet ad eum accedenti, & manu dextra tangenti tradit librum ipsum tangendum: quibus expeditis, illis genuflexis, Pontifex stans cum mitra versus ad eos dicit:

ORemus, dilectissimi, Deum patrẽ omnipotentem, ut super omnes famulos suos: quos in ordine lectorum dignatur assumere: bene † dictionem suam clementer infundat: quatenus distincte legantur, quæ in ecclesia Dei legenda sunt: eadem operibus impleãtur, per dominum nostrum Iesum Christum, filium tuum, qui cum eo viuit, & regnat in vnitate spiritus sãcti Deus per omnia secula seculorum.

Tunc Pontifex deposita mitra conuersus ad altare dicit: Oremus. *Et ministri subiungunt*: Flectamus genua. ℟. Leuate. *Deinde conuersus ad ordinatos genuflexos dicit sine mitra:*

DOmine sancte pater, omnipotens æterne Deus, bene † dicere dignare hos famulos tuos in officio lectorum. ut assiduitate lectionũ instructi sint, atque ordinati: & agenda dicãt: & dicta opera compleantur, ut in vtroque sanctæ ecclesiæ: & exemplo sanctitatis suæ, consulant, per dominum nostrum, &c.

Postea ordinati redeant ad loca sua.

DE ORDINATIONE exorcistarum.

Paretur liber exorcismorum. cuius loco dari potest liber pontificalis, uel missalis. exorcistæ vero uocantur per archidiaconum modo consueto: Accedant, qui ordinandi sunt ad officium exorcistarum. quibus coram Pontifice cum candelis in manibus genuflexis Pontifex ponit indictum, ut dictum est. deinde admonet, & instruit eos dicens:

Or-

ORdinandi fratres inofficium exorciſtarum debetis noſcere, quid ſuſcipitis: exorciſtam etenim oportet abijcere dæmones: & dicere populo: vt qui nõ cõmunicat, det locũ: & aquã miniſterio fundere. accipitis itaque poteſtatem imponendi manum ſuper energumenos: & per impoſitionem veſtræ manus: gratia ſpiritus ſancti: & verbis exorciſimi pelluntur ſpiritus immundi à corporibus obſeſsis. ſtudete igitur, vt ſicut à corporibus aliorũ dæmones expellitis, ita à mentibus, & corporibus ueſtris omnem immunditiam, & nequitiam eijciatis, ne illis ſuccumbatis: quos ab alijs veſtro miniſterio effugatis: diſcite per officium ueſtrum vitijs imperare. ne in moribus veſtris aliquid ſui iuris inimicus ualeat uendicare. tunc etenim recte dæmonibus imperabitis: cũ prius in uobis eorum multimodam nequitiam ſuperatis. quod uobis dominus agere concedat per ſpiritum ſuum ſanctum.

Poſt hæc Pontifex accipiens, & tenens in manu librum, in quo exorciſmi ſcripti ſunt, vel pontificalem, & eis illum oſtendens dicit:

ACcipite, & commendate memoriæ: & habete poteſtatem imponendi manus ſuper energumenos, ſiue baptizatos, ſiue catecumenos.

Et mox cuilibet appropinquanti ſibi, & manu dextra tangenti; tradit ſucceſſiue librum ipſum: poſtea uero omnibus deuote genuflexis Pontifex cum mitra ſtans dicit:

DEum patrem omnipotentem, fratres chariſsimi, ſupplices deprecemur, ut hos famulos ſuos bene † dicere dignetur in officium exorciſtarum, vt in ſpirituales imperatores ad abijciendos dæmones à corporibus obſeſsis omni nequitia eorum multiformi: per unigenitum filium ſuum dominum noſtrum, Ieſum Chriſtum, qui ſecum uiuit, & regnat Deus in unitate ſpiritus ſancti: per omnia ſecula ſeculorum.

Tunc conuerſus ad altare, depoſita mitra, dicit: Oremus. *& miniſtri*: Flectamus genua. ℟. Leuate. *& mox conuerſus ad ordinandos genuflexos dicit*:

DOmine Sancte pater, omnipotens æterne Deus bene † dicere dignare hos famulos tuos in officium exorciſtarum: vt per impoſitionem manuum ſuarum: & oris officium: poteſtatem, & imperium habeant ſpirituum immundorum nequitiam per verbum Chriſti filij tui domini noſtri coercendi: atque probabiles ſint medici eccleſiæ tuæ gratia curationum: virtuteque cæleſti confirmati, per eundem dominum noſtrum, Ieſum Chriſtum, &c. Amen.

Poſt hæc redeunt ad loca ſua:

DE ORDINATIONE Accolitorum.

Parentur candelabrum cum cereo extincto: & vrceolus vacuus, ſeu ampulla pro vino pro ſacramento, quibus coram Pontifice cum candelis in manibus genuflexis Pontifex ponit interdictum, ut prius: deinde admonet, & inſtruit eos ſedens dicit:

SVſcepturi Chariſsimi Accolitorũ officium: penſate, quod ſuſcipitis, Accolitum etenim oportet ceroferariũ ferre: luminaria eccleſiæ accendere: vinum, & aquam ad euchariſtiam, ſeu ad

miniſterium ſanguinis Chriſti miniſtrare. Studete igitur ſuſceptum officium digne implere. non enim Deo placere poteritis: ſi lucem Deo manibus: præferentes operibus tenebrarū inſeruiatis: & per hoc alijs exempla perfidiæ præbeatis, ſed ſicut veritas dicit, luceat lux veſtra corā hominibus, vt videant opera veſtra bona, & glorificent patrem veſtrum, qui in cælis eſt. & ſicut Apoſtolus Petrus ait: in medio rationis prauæ atque peruerſæ poſiti: lucetæ, ſicut luminaria in mundo: verbum vitæ cōtinentes. ſint ergo lumbi veſtri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus veſtris, vt filij lucis ſitis: Abijciatis opera tenebrarum: & induamini arma lucis: fuiſtis enim aliquando tenebræ: nunc autem lux in domino, ut filij lucis ambulate. quæ ſit uero iſta lux, quæ tantopere eluceat, Apoſtolus ipſe demonſtrat ſubdens: Fructus enim lucis eſt: in omni bonitate iuſtitia, & ueritate. eſtote igitur ſoliciti in omni iuſtitia: bonitate, & veritate: ut & vos, & alios, & Dei eccleſiam illuminetis. Tunc etenim in Dei ſacrificio digne vinum ſuggeretis, & aquā: ſi vos ipſi Deo ſacrificium per caſtam vitam, & bona opera oblati fueritis. quod uobis dominus concedat per miſericordiam ſuam:

Poſt hæc Pontifex accipit, & tradit cuilibet candelabrum cum candela extincta, quod ſinguli ſucceſſiue manu dextra tangant omnibus communiter, dicente Pontifice:

ACcipite ceroferarium cum cereo: & ſciatis vos ad accendenda eccleſiæ luminaria mancipati in nomine domini.

Tunc accipit & tradit eis vrceolum vacuum: quem ſimiliter omnes tangere debent ſucceſſiue dicens communiter omnibus:

ACcipite vrceolum ad ſuggerendū vinum, & aquam in euchariſtiā, ſanguinis Chriſti in nomine domini.

Poſtea eis genuflexis permanentibus, Pontifex ſtans cum mitra uerſus ad eos dicit:

DEum Patrem omnipotentē, chariſsimi fratres, ſuppliciter deprecemur: vt hos famulos ſuos bene † dicere dignetur in ordine accolitorum: quatenus lumen viſibile manibus præferentes: lumen quoque ſpirituale moribus præbeant: adiuuante domino noſtro Ieſu Chriſto: quicum eo, & Spiritu ſancto uiuit & regnat Deus: per omnia ſecula ſeculorum.

Tum Pontifex ad altare ſe cōuertens, depoſita mitra ſtans dicit: Oremus, *& miniſtri.* Flectamus genua. ℟. Leuate, *& mox Pōtifex cōuerſus ad ordinandos genuflexos dicit*:

DOmine ſancte Pater, omnipotens æterne Deus, qui per Ieſum Chriſtum filium tuum dominum noſtrum: & Apoſtolos eius in hunc mundum lumen charitatis tuæ miſiſti: quique, ut mortis noſtræ antiquum aboleres Chirographum: glorioſiſsimæ illum Crucis vexillo affigi: atque ſanguinem, & aquam ex latere illius pro ſalute generis humani affluere uoluiſti: bene † dicere, & ſanctificare † dignare hos famulos tuos in officium accolitorum, ut ad accendendū lumē eccleſiæ tuę & ad ſuggerendum vinum, & aquam ad conficiendum ſanguinem Chriſti filij tui: in offerenda Euchariſtia Sanctis altaribus fideliter ſubminiſtrent. Accende domine mentes eorum, & corda ad

amorem gratiæ tuæ, ut illuminati vultu ſplendoris tui: fideliter tibi in ſancta eccleſia tua deſeruiant, per eundē Chriſtum dominum noſtrum. Amen.

Alia Benedictio.

Oremus.

DOmine ſancte pater, omnipotens æterne Deus, qui ad Moyſem, & Aaron locutus es, vt accenderentur lucernæ in Tabernaculo teſtimonij: bene † dicere, & ſancti † ficare dignare hos famulos tuos: ut ſint Accoliti in eccleſia tua, per Chriſtum dominum noſtrum, Amen.

Alia Benedictio.

Oremus.

OMnipotens ſempiterne Deus: fons lucis, & origo bonitatis: qui per Ieſum Chriſtum filium tuum lumen veſtrum mundum illuminaſti: eiusque paſsionis miſterio redemiſti: bene † dicere dignare hos famulos tuos quos in officio Accolitorum conſecramus: poſcentes clementiam tuam: ut eorum mentes, & lumine ſcientiæ tuæ illuſtres: & pietatis tuæ rore irriges, ut ita acceptum miniſterium, te auxiliante, peragant, quod ad æternam remunerationem peruenire mereantur, per eundem Chriſtum dominum noſtrum. Amen.

DE RECONCILIATIONE Cemeterij.

Hæc fieri poterit quocunque die, hoc ordine: in mane diei, qua reconciliatio fieri debebit, parantur in medio Cemeterij faldiſtorium pro Pontifice: & vas aquæ mundæ: & vas ſalis. deinde hora conuenienti Pontifex indutus in Sacriſtia, aut alio conuenienti loco, amictu, alba, cingulo, ſtola, pluuiali albi coloris, & mitra ſimplici: baculum paſtoralem in manu tenens: accedit ad medium cemeterij, ubi ſupra faldiſtorium ornatum procumbit: & cantores ibidem incipiunt letaniam, quam require fol. 26. & vbi peruentum fuerit ad eum locum.

VT obſequium ſeruitutis noſtræ tibi rationabile facias, Te rogamus audi nos.

Pontifex ſurgit cum mitra: & baculum paſtoralem in manu ſiniſtra tenens producit ſignum crucis ſuper cemeterium dicens:

Vt hoc Cemeterium reconci † liare, digneris.

Te rogamus audi nos.

Vt hoc Cemeterium reconci † liare & ſancti † ficare digneris.

Te rogamus audi nos.

Vt hoc Cemeterium reconci † liare, ſancti † ficare, & conſeruare digneris:

Te rogamus audi nos.

Quibus dictis, Pontifex iterum ſuper faldiſtorium procumbit, cantoribus letaniam perficientibus: qua finita ſurgit Pontifex ab accubitu, & benedicit ibi aquam ſimpliciter, ut habetur fol. 6. Quo facto, Pontifex in eodem loco ſtans ſine mitra incohat, ſchola proſequente antiphonam:

ASperges me domine hiſſopo, & mundabor lauabis me, & ſuper niuem dealbabor. Pſal.

Miſerere mei Deus ſecundum magnam miſericordiam tuam.

Et dicitur totus ſine Gloria patri.

¶ *Incepta antiphona, Pontifex mitrā accipit: & dum antiphona, & Pſalmus prædicti dicuntur: circuit totum Cemeterium: incipiens ad eius dextram: aſpergēs ſemper ubique aquam benedictam cum*

aſper-

aſperſorio: & potiſſime in loco ubi pollutio, uel uiolatio cõmiſſa eſt. quo peracto redit ad locum, ubi letania dicta fuit. finito Pſalmo prædicto: & Cemeterio undique aſperſo, Pontifex ſtans ante faldiſtorium ſuum, depoſita mitra, dicit: Oremus, *& Miniſtri:* Flectamus genua. ℟. Leuate.

OMnipotens, & miſericors Deus: qui Sacerdotibus tantam præceteris gratiam contuliſti: ut quicquid in tuo nomine digne, perfecteque ab eis agitur à te fieri credatur: quæſumus immenſam clementiã tuã: ut quicquid modo viſitaturi ſumus, viſites; & quicquid benedicturi ſumus, benedicas: ſitque ad noſtrę humilitatis introitum, Sanctorum tuorum meritis, fuga dęmonum: & Angeli pacis ingreſſus, per Chriſtum dominum noſtrum. Amen.

Alia oratio.

Oremus.

Miniſtri. Flectamus genua. ℟. Leuate.

AVfer à nobis quæſumus domine cũctas iniquitates noſtras, vt ad ſancta ſanctorum puris mereamur mentibus introire per Chriſtum dominum noſtrum. Amen.

Alia oratio. Oremus.

Miniſtri dicunt: Flectamus genua.

℟. Leuate.

DOmine pie, qui agrum figuli pretio ſanguinis tui in ſepulturam peregrinorum cõparari voluiſti: quæſumus dignanter reminiſcere clementiſſimi huius miſterij tui: tu es enim domine figulus noſter: tu quietis noſtrę ager: tu agri huius es preciũ: tu dediſti etiam, & ſuſcepiſti, tu de pretio, & in pretio tui viuifici ſanguinis nos quieſcere feciſti, & donaſti. tu ergo domine, qui es offenſionis noſtræ clementiſſimus indultor: expectatiſſimus iudicator: iudicij tui ſuperabundantiſſimus miſerator, iudicium tuæ iuſtæ ſæueritatis abſcondẽs poſt miſerationem tuæ piæ redemptionis adeſto exauditor, & effector noſtræ reconciliationis. hocque Cemiterium, mauſoleum peregrinorum tuorum, cæleſtis patriæ incolatum: benignus purifica, & reconcilia: & hic tumulatorum, & tumulandorum corpora, de potentia, & pietate tuæ reſurrectionis ad gloriam in corruptionis, nõ damnans, ſed glorificans, reſuſcita, qui uenturus es iudicare uiuos, & mortuos, & ſeculum per ignem. Amen.

His dictis Pontifex ſtans in loco prædicto, dat benedictionem ſolemnem populo dicens: Sit nomen domini benedictum, &c. & tunc redit ad ſacriſtiam: aut alium locum, in quo paramenta accepit: ubi depoſitis ſacris veſtibus, vadit in pace.

Quis poteſt benedicere paramenta veſtes: & vaſa eccleſiæ.

COnſecrare ſeu benedicere veſtes & paramenta & huiuſmodi non poteſt ſimplex ſacerdos, niſi ex commiſsione Papæ. Sixtus tamen quartus, ſecundum Roſel. in ver. conſecratio. §. indulſit ſacerdotibus ſimplicibus ordinis minorum, ut poſsint benedicere, quæcunque ornamenta eccleſiæ, vel altaris, & veſtes ſacerdotales, & alia, corporali excepto. item in priuilegijs Eremitarum ſic dicitur: Tibi generali, tuoque vicario, pro tempore poteſtatem ſacrandi, benedicendique corporalia, veſtes, & eaque ſacris vſibus neceſſaria ſunt concedimus. & quia fratres prædicatores per eundem Sixtum

quartum, habent priuilegia & gratias aliorum mendicantium: ideo & ipsi supradicta facere possunt. De pollutione cemeterij, vide supra cemeterium, & quomodo reconciliatur, in priuilegio minorum, quo gaudent fratres prædicatores per breue Leonis decimi, qđ incipit: cum inter cęteros; sic dicitur: quodque generalis illius, nec non prouinciales, ac eorum vicarij eiusdem ordinis minimorum corporalia & alia ornamenta ecclesiastica suorum locorum ac domorum pręter calices & patenas benedicere valerent concessimus, statuimus, & ordinamus.

CONSECRATIO ECCLESIAE.

COnsecratio ecclesiæ, altarium, vestium, & vasorum. secundū Thomam. 3. par. q. 82. arti. 1. ad tertium reseruatur episcopo. tanquam principali ecclesiastici totius ordinis: & potest fieri tam diebus festiuis, quam ferialibus. c. tua. eod. tit. modus consecrandi, ponitur in pontificali, aquo non est recedendum. ç. omnes basilicę. de consec. dist. 1. neque sine missa debet consecrari. in c. quod sicut de elect. ecclesia non consecrata potest reconciliari per simplicem sacerdotem aqua exorcizata tantum. in cap. fin. eod. tit. quia aqua potest exorcizari per simplicem sacerdotem. ex quo patet, quod non requiritur licentia episcopi secundum gl. in d. c. fi. non autem hæc procedunt, quando ecclesia est consecrata. ecclesia reputatur consecrata secundū Inno. quando vnus testis affirmat de visu, vel auditu, vel si extant aliqua scripta in libris ecclesiæ, vel aliqua signa in columnis, vel parietibus, quia hoc non est in præiudicium tertijs. in quo casu vnus testis sufficiens est. de consecra. dist. in 4. c. paruulos. & c. cum itaque. ecclesia consecrata debet reconsecrari secundum Panorm. in c. proposuisti eo. tit. quando nescitur, ne fuerit consecrata. quia non apparēt signa supradicta. Secundo, quando parietes sunt combusti, & decrustati in toto, vel pro maiori parte simul oportet reficere etiam ex eisdem lapidibus. de consec. dist. 1. c. si fabricam. secus secundum gl. ibi si successiue fuerint reparati, licet Panor. in d. c. proposuisti non sequatur illam gl. sed in hoc casu dicat esse reconsecrandam, tamen prima opinio melior, quia fundatur super dicto Tho. 3. parte. q. 82. ad 3. alia etiā opinio potest teneri.

Benedictio patenæ.

℣. Adiutorium nostrum in nomine domini.

℟. Qui fecit cęlum, & terram.

ORemus fratres dilectissimi: ut diuinæ gratiæ benedictio consecret, & sanctificet hanc patenam ad confringendum in ea corpus domini nostri Iesu Christi: qui crucis passionem sustinuit pro salute omnium nostrum.

Tunc, deposita mitra, dicit:

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo. Oremus.

OMnipotens sempiternę Deus: qui legalium institutor es hostiarum: quique inter eas conspersam similaginem deferri in patenis aureis, & argenteis ad altare tuum iussisti: benedicere: consecrare: & sanctificare digneris hanc patenam: in administrationem eucharistiæ Iesu Christi, filij tui, qui pro nostra, omniumque salute se ipsum tibi Deo patri in patibulo crucis eligit immolari: ac tecum viuit, & regnat in vnitate spiritus sancti

Deus:

Deus: per omnia ſecula ſeculorum. Amen.

Tunc Pontifex, accepta mitra, facit cum pollice dextræ manus, chriſmate intincto, crucem ſuper patenam anora in oram: & mox linit, & perungit totam eius ſuperficiem cum ipſo pollice dicens:

COnſe † crare, & ſancti † ficare dignare domine Deus hanc patenam per iſtam vnctionem, & noſtram bene † dictionem in Chriſto Ieſu domino noſtro: qui tecum viuit, & regnat in vnitate ſpiritus ſancti Deus per omnia ſecula ſeculorum. Amen.

Deinde ſtans adhuc cum mitra procedit ad benedictionem calicis dicens:

ORemus dilectiſsimi fratres, ut Deus, & dominus noſter calicē hunc in vſum ſui miniſterij conſecrandum: cęleſtis gratiæ inſpiratione ſanctificet: & ei ad humanam conſecrationem, plenitudinem diuini fauoris ac commodet, per Chriſtum dominum noſtrum.

Tum depoſita mitra dicit:

℣. Dominus vobiſcum.

℟. Et cum ſpiritu tuo. Oremus.

DIgnare domine Deus noſter calicem iſtum bene † dicere: in vſum miniſterij tui pia famulatus deuotione formatum, & ea ſancti † ficatione perfunde, qua Melchiſedech famuli tui ſacratum calicem perfudiſti: & quod arte, uel metalli natura effici non poteſt: altaribus tuis dignum fiat tua bene † dictione ſanctificatum, per Chriſtum dominum noſtrum. Amen.

Deinde, accepta mitra, facit crucem cum pollice dextræ manus de chriſmate intra ipſum calicem: à labio eius in labium: & mox linit, & perungit interius ipſum totum dicens:

COnſe † crare, & ſanctificare digneris domine Deus calicem iſtum: per iſtam vnctionem: & noſtram bene † dictionem, in Chriſto Ieſu domino noſtro, qui tecum viuit, & regnat in vnitate ſpiritus ſancti Deus per omnia ſecula ſeculorum, Amen.

Tunc, depoſita mitra, dicit ſuper calicem, & patenam:

℣. Dominus vobiſcum.

℟. Et cum ſpiritu tuo. Oremus.

OMnipotens ſempiterne Deus: manibus noſtris opem, quæſumus, tuæ benedictionis infunde, & per noſtram bene † dictionem hoc vaſculum, & patena ſanctificentur, & corporis, & ſanguinis domini noſtri Ieſu Chriſti nouum ſepulcrum ſancti ſpiritus gratia efficiantur, per eundem dominum noſtrum, Ieſum Chriſtum, filium tuum &c. Amen.

Demum aſpergit calicem, & patenam cum aqua benedicta, quod fieri debet in his omnibus quarumlibet benedictionibus rerum. quo facto abſtergi facit per aliquē ſacerdotem patenam, & calicem cum mica panis: & bene mundari: deinde exterſiones proijciuntur in ignem, vel ſacrarium.

BENEDICTIO Corporalium.

Pontifex corporalia benedicere volens ſtans ſine mitra dicit:

℣. Adiutorium noſtrum in nomine domini.

℟. Qui fecit cœlum, & terram.

℣. Dominus vobiſcum.

℟. Et cum ſpiritu tuo.

Oremus.

Oremus.

CLemẽtisime domine Deus, cuius inenarrabilis est virtus: cuius misteria arcanis mirabilibus celebrantur: tribue, quæsumus, ut linteamen tuę propitiationis benedi†ctione sanctificetur: & ad consecrandum super illud corpus domini, & Dei nostri, Iesu Christi, filij tui, dignum efficiatur, per eundem Christum dominum nostrum. Amen. *Alia oratio.*

Oremus.

OMnipotens sempiterne Deus: bene † dicere: sancti † ficare: & conse † crare digneris linteamen istud ad tegendum: inuoluendumque corpus, & sanguinem domini nostri Iesu Christi, filij tui: qui tecum viuit, & regnat in vnitate spiritus sancti Deus, per omnia secula seculorum. Amen.

Alia oratio.

Oremus.

OMnipotens Deus: manibus nostris opem tuæ benedictionis infunde: ut per nostram bene†dictionem hoc linteamen sanctificetur, ac corporis, & sanguinis redemptoris nostri: nouum sudarium, spiritus sancti gratia efficiatur, per eundem dominum nostrum, Iesum Christum, filium tuũ: qui tecum viuit, & regnat in vnitate spiritus sancti Deus per omnia secula seculorum. Amen.

Deinde aspergit ea aqua benedicta.

SPECIALIS BENEDICTIO cuiuslibet indumenti.

℣. Adiutorium nostrum in nomine domini.
℟. Qui fecit cœlum, & terram.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo. Oremus.

DEus omnipotens: bonarum virtutum dator: & omnium benedictionum largus infusor: supplices te rogamus: vt manibus nostris opem tuę benedictionis infundas: *& has caligas, & sandalia, uel amictum, uel albam, uel cinctorium, vel stolam, uel manipulum, uel tunicam, uel dalmaticam, uel planetam diuino cultui præparatam* virtute sancti spiritus bene†dicere: sancti†ficare: & conse†crare digneris: & omnibus ea utentibus: gratiam sanctificationis sacri ministerij tui benignus concede: vt in conspectu tuo sancti, & immaculati, atque irreprehensibiles appareant: & auxilium misericordiæ tuæ acquirant per dominum nostri, Iesum Christum, filium tuum, qui tecum viuit, & regnat in unitate spiritus sancti Deus, per omnia secula seculorum, Amen.

Deinde aspergit ea aqua benedicta.

BENEDICTIO MAPPARVM, seu linteaminum sacri altaris.

Pontifex mappas, seu linteamina sacri altaris benedicturus: stans sine mitra dicit:

℣. Adiutorium nostrum in nomine domini.
℟. Qui fecit Cęlum, & terram.
℣. Dominus vobiscum:
℟. Et cum spiritu tuo. Oremus.

EXaudi domine preces nostras: & hæc linteamina sacri altaris vsui præparata: bene†dicere, & sancti†fica re

re digneris: per Christum dominum nostrum. Amen. Oremus.

DOmine Deus omnipotens, qui ornamenta, & linteamina facere Moysem famulum tuum: per quadraginta dies docuisti: & fecit in usum ministerij tabernaculi fœderis: sancti†ficare: bene†dicere, & conse†crare digneris hæc linteamina: ad tegendum, inuoluendumque altare glorioſissimi filij tui domini nostri Iesu Christi: qui tecum viuit, & regnat in unitate spiritus sancti Deus, per omnia secula seculorum. Amen.

Deinde aspergit ea aqua benedicta.

BENEDICTIO. sacrorum vasorum in genere, & aliorum ornamentorum.

Pontifex stans sine mitra dicit:

℣. Adiutorium nostrum in nomine domini:
℟. Qui fecit cęlum, & terram.
℣. Dominus vobiscum:
℟. Et cum spiritu tuo. Oremus.

EXaudi domine, pater clementissime preces nostras: & hæc purificanda uasa, & ornamenta sacri altaris, atque ecclesiæ tuæ sacri ministerij usui præparata bene†dicere, & sancti†ficare digneris, per Christum dominum nostrum. Amen.

Alia Oratio. Oremus.

OMnipotens sempiterne Deus: à quo omnia immunda purgãtur: & in quo omnia purgata clarescunt: supplices filij tui omnipotentiam tuã inuocamus: vt ab his uasis: ornamentis, & ministerijs, quæ tibi offerunt famuli tui: omnis spiritus immundus con fusus longe discedat: & per tuam bene dictionem† ad vsum, & ministerium sancti altaris & ecclesiæ tuæ sanctificata permaneant: per Christum dominum nostrum. Amen.

Deinde aspergit ea aqua benedicta.

BENEDICTIO TAbernaculi, siue vasculi pro Eucharistia conseruanda.

Pontifex stans sine mitra dicit:

℣. Adiutorium nostrum in nomine domini.
℟. Qui fecit cœlum, & terram.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo. Oremus.

OMnipotens sempiterne Deus: maiestatem tuam supplices deprecamur: vt uasculum hoc pro corpore filij tui domini nostri Iesu Christi in eo condendo fabricatum: bene†dictionis tuæ gratia dicare digneris: per eundem dominum nostrum Iesum Christum, filium tuum, qui tecum viuit, & regnat in vnitate Spiritus sancti Deus per omnia secula seculorum: Amen.

Deinde aspergit illud aqua benedicta.

BENEDICTIO Gariofolorum secundũ usum eccle się Lateranen. in vigilia Natiuitatis S. Ioannis Baptistæ antequam dicatur Matutinum, & sic incipit *Pontifex*:

℣. Deus in adiutorium meũ intende.
℟. Domine ad adiuuandum me festina &c.
℣. Glòria patri:
℟. Sicut erat &c.

Creator

CRreator, & conſeruator humani generis, dator gratiæ ſpiritualis, & largitor æternæ ſalutis : tu domine mitte benet dictionem tuam, & benet dicere digneris hunc fructum gariofolorum, quem nos in tuo nomine benet dicimus, vt qui eum portauerint, aut guſtauerint, in tua pace conſiſtant : & in tua uoluntate permaneant: in amore tuo uiuant, & ſeneſcant: multiplicentur in longitudine dierum: ſintque armati virtute cæleſtis defenſionis, ac proficiat eis ad æternam ſalutem, per Chriſtum dominum noſtrum.

Alia oratio. Oremus.

BEnedicat † vos guſtantes, & portantes hunc fructum gratioſolorum Deus: cuſtodiat vos etiam dominus Ieſus Chriſtus, oſtendatque dominus faciem ſuam in uobis, & miſereatur ueſtri, conuertatque vultum ſuum ad uos, & det uobis pacem: impleat vos Chriſtus omni benet dictione ſpirituali, in remiſsionem omnium peccatorum veſtrorum, pariterque habeatis vitam æternam. Amen.

Deinde aſpergatur aqua benedicta.

FINIS.

TERTIA PARS
SACERDOTALIS,
PRO HOMINIBVS ECCLESIASTICIS.

Officia ecclesiastica si habeant diligentem auscultatorem, magnam gignunt suauitatem.

QVæcunque in ecclesiasticis officijs, rebus, ac ornamentis consistunt, diuinis plena sunt signis, atque mysterijs: ac singula sunt cælesti dulcedine redundantia: si tamen diligentem habeant inspectorem, qui norit mel de petra sugere, oleumque de durissimo saxo. quis tamen nouit ordinem celi, & rationes ipsius ponere in terra? scrutator quippe maiestatis, opprimetur a gloria. Si quidem puteus altus est, & in quo aquam hauriam, non habeo, nisi porrigat ille, qui dat omnibus affluenter, & non improperat: vt inter medium montium transeuntem hauriam aquam in gaudio de fontibus Saluatoris. licet igitur non omnium, quæ a maioribus tradita sunt ratio reddi possit. ff. de leg. l. non omnium. 23. q. 4. Nabuchodonosor in princ. quia tamen quod in his ratione caret extirpandum est. 68. dist. Corin. Episcopi. 12. dist. omnia. idcirco. dicit Guliel. durand. pulsans pulsabo ad ostium, si forte clauis Dauid aperire dignetur: vt me introducat rex in cellam vinariam, in qua mihi supernum demonstretur exemplar, quod Moysi fuit in monte monstratum: quatenus de singulis, quę in ecclesiasticis officijs, rebus aut ornamentis consistunt: quid significent, & figurent, eo valeam reuelante clare & aperte disserere: & rationes ponere: qui linguas infantium facit disertas: cuius spiritus vbi vult spirat, diuidens singulis, prout vult. extra. de renuncia. cap. nisi ad laudem & gloriam trinitatis.

Figuræ in diuinis sunt virtutum signa.

SAne, hic sacramenta pro signis accipimus, seu figuris: quæ si quidem figuræ non sunt virtutes: sed virtutum signa, quibus tanquam scripturis vtēs docentur. signorum autem alia sunt

naturalie:alia positiua:de quo, & quid sacramentum sit.dicetur in quarta parte sub septima particula canonis super verbo, misterium fidei.

Prælati, & sacerdotes scientia & virtutibus debent eminere.

SAcerdotes, & Prælati ecclesiæ quibus datum est nosse misteria: prout in Luca. 8. habetur: & sacramentorum partitores, & dispensatores existunt.43.dist. dispensatio. sacramenta intelligere, & virtutibus, quæ per illa significantur, fulgere debent, vt ex eorum luce cæteri similiter illuminentur, alioquin cæci sunt,& duces cæcorum. extra de renunciatio.cap.nisi. iuxta illud propheticum:obscurētur oculi eorum,ne uideant.37. dist.§. itaque. sed proh dolor, ipsi hodie, vt plurimū de his,quæ vsuquotidiano,in ecclesiasticis contrectant rebus,& proferunt officijs,quid significent,& quare instituta sunt,modicum apprehendunt:adeo vt impletum esse ad literā illud ꝓpheticum uideatur : & erit sicut populus, sic sacerdos. Esaias 24.ferentes si quidem panes propositionis ad mensam domini: atque misteria, qui neque intelligunt, neque uident : tantum inde nimium iusto Dei iudicio habituri, quantum & iumenta panes ad vsum portantia aliorum. de qua ignorantia rationem reddituri sunt in die uindictæ, & iræ:quid ergo faciet virga deserti:eis enim per prophetam dicitur:Ipsi vero non cognouerunt vias meas, quibus iuraui in ira mea, si introibunt in requiem meam.

Sacerdotibus imperitis non est detrahendum.

VErum licet sacerdotibus scientia sit ualde necessaria ad doctrinam.extra de hęre. cum ex iniuncto.38.dist.sedule.non est tamen simplicibus sacerdotibus etiā a scholasticis detrahendum.38.dist.quamuis:iuxta illud, Exod.22. Dijs non detrahes. unde secundum Augustinum non uidebunt,si forte aduerterint aliquos antistites & ministro ecclesiæ,vel barbarismis,& solecismis. Deum inuocare, uel eadem uerba,quæ pronunciant,nō intelligere, perturbateque distingūere:ideo,quia talia corrigenda nō sunt; sed piè à scientibus toleranda.

Rationale, vnde hoc nomen sortitum.

SAne rationalis vocabulo describitur. nam quemadmodum in Rationali iudicij, quod legalis Pontifex ferebat,in pectore scriptum erat: Manifestatio,& veritas:sic &hic rōnes varietatum in diuinis officijs, & eorum veritates describuntur,& manifestantur: quas inscrinio pectoris sui ecclesiarum Prælati,& Sacerdotes debent fideliter conseruare.39. dist. §. ecce. & sicut in illo erat lapis : in cuius splendore filij Israel Deum sibi fore propitium agnoscebant: sic & deuotus lector ex huius lectionis splendore in diuinorum officiorum misterijs eruditus agnoscat, Deum nobis fore propitium, nisi forte eius indignationem, culpæ offendiculo,improuide incurramus.illud quoq; quatuor coloribus, auroque contexto erat,& hic,ut primum est,rationes varietatum in ecclesiasticis rebus, atque officijs quatuor sensibus,videlicet:Historico, Allegorico, Tropologico, & Anagogico,fide media, colorantur.

DE ECCLESIA, ET eius partibus.

PRius necesse est, ut de ecclesia, & eius partibus videamus. Notãdũ est ergo, ꝙ Ecclesiarum, alia est corporalis, in qua videlicet diuina officia celebrantur, alia spiritualis, quę est fidelium collectio. de consec. dist. 1. ecclesia. siue populus per ministros conuocatus, & in vnum congregatus ab eo, qui vnanimes habitare facit in domo. sicut enim corporalis ex congregatis lapidibus constituitur, sic & spiritualis ex diuersis hominibus congregatur.

Ecclesia quid, & cur varie appelletur.

ECclesia ergo Grecè, dicitur conuocatio Latinè, quia omnes ad se vocat. Quod nomen magis proprie conuenit ecclesiæ spirituali, quàm corporali; quoniam homines non lapides conuocantur. sæpè tamen nomen signati attribuitur signanti. Ecclesia autem materialis, spiritualem designat. ut dicetur. Rursus Ecclesia græcè dicitur catholica, ideſt, vniuersalis. 11. dist. catholica: quia per totum mundũ est cõstituta, seu diffusa, quia vniuersi in Deum credentes, in vna debent esse congregatione: vel quia in ea est generalis doctrina ad institutionem omniũ fidelium, quando templum dicitur quasi tectum amplum, in quo Regi Deo sacrificia offeruntur. 26. d. 9. sed illud. & quandoque Dei Tabernaculum. de consecratio. distin. 4. c. nequaquam. quia in præsenti vita peregrina est: & in itinere ad patriam pergens.

Ecclesiæ fundamentum qualiter, & à quibus iaciendum.

EST autem ecclesia sic ędificanda: Parato nanque fundamenti loco, iuxta illud: Bene fundata est domus domini supra firmam petram: Debet Episcopus, vel sacerdos de eius licentia ibi aquam aspergere benedictam ad abigendas inde dæmonum phantasias: & primarium lapidẽ, cui impressa sit crux, in fundamento ponere, de consec. dist. 1. c. nemo.

Ecclesiæ caput, cur orientem spectare debeat.

DEbet quoq; sic fundari, ut caput recte inspiciat versus orientem, videlicet versus ortum solis æquinoctialem, ad denotandum, quod ecclesia, quæ in terris militat temperare se debet æquanimiter in prosperis, & in aduersis: & non versus solsticialem: ut faciũt quidam: Cęterum si muros Hierusalem, quę ędificatur, ut ciuitas ędificari per Iudæos iubetur secundum Prophetam, quanto magis & nos muros ecclesiæ nostrę ędificare debemus: Si quidem Ecclesia materialis, in qua populus ad laudandum Deum conuenit, sanctam significat.

Cementum ex quibus componatur.

CEmentum autem, sine quo muri stabilitas esse non potest, fit ex calce, sabulo, & aqua: calx, charitas feruens est, quæ sibi coniungit sabulũ, ideſt terrenum opus. quia vera charitas solicitudinẽ maximam habet mixtam, pro uiduis, senibus, pupillis, debilibus. 88. dist. desolatio. & ideo student operari manibus, ut habeãt unde ei benefaciant. ut autem calx, & terra ad ædificium muri, ne corruant, aquæ commixtione conglutinantur, siquidẽ aqua spiritus est, sicut enim sine cemẽto lapides muri non simul iunguntur

ad muri ſtabilitatem: ſic nec homines ad muri ædificium cœleſtis Hieruſalē poſſunt ſimul ſine charitate iungi: quā ſpiritus ſanctus operatur: omnes muri lapides poſiti ſunt, & quadrati. ideſt ſancti, & mūdi: qui videlicet p manus ſummi artificis diſponuntur in eccleſia permanſuri: quorum quidam feruntur, & non ferunt, ut ſimpliciores in eccleſia alij feruntur & ferunt: ut medij: alij tantum ferunt & non feruntur niſi a ſolo Chriſto, qui eſt ſingulare fundamentum, ut perfecti. omnes quidem vna charitas more cementi coniungit: dum viui lapides pacis compage colligantur. Chriſtus noſter murus fuit in conuerſatione: & ante murale in paſsione.

Eccleſiæ forma humani corporis portionibus reſpondet.

DIſpoſitio autem eccleſiæ materialis, modum humani Corporis tenet, Cancellus namq; ſiue locus, vbi altare eſt, caput repræſentat: & Crux ex vtraque parte brachia & manus, reliqua pars ab occidente, quicquid corpori ſupereſſe videtur ſacrificium altaris, votum ſignificat cordis. ſed & ſecundum Ricardum de Sancto Victore, diſpoſitio eccleſiæ, triplicem ſtatum in eccleſia ſaluandorum ſignificat, ordinem virginum, chorum continentium, corpus coniugatorum. ſtrictius eſt enim ſanctuarium, quam chorus, & chorus, quàm corpus, quia dignior eſt ordo virginum, quam continentium, & illorum, quàm coniugatorum.

Eccleſia ſpiritualis quibus, & quot partibus conſtet.

AD hæc eccleſia ex quatuor parietibus conſtiſtit: ideſt ex doctrina quatuor euangeliſtarum, longa, lataque ſurgit in altum. ideſt in altitudinem virtutum: longitudo, cuius longanimitas eſt: quæ patienter aduerſa tolerat: donec ad Patriam perueniat. Latitudo, charitas eſt, quæ dilatione mentis amicos in Deo: & inimicos diligit propter Deū: altitudo vero ſpes eſt futuræ retributionis: quæ proſpera & aduerſa contemnit, donec videat bona domini in terra viuentium.

Eccleſiæ ſpiritualis quæ ſint fundamenta.

RVrſus in templo Dei, ſeu gratiæ, eſt fundamentum Fides: quæ eſt de re non viſa. Lectum, charitas: quę operit multitudinem peccatorum. 1. Pet. 4. oſtium, obedientia: de qua dominus inquit Mar. 19. Si vis ad vitam ingredi, ſeruamandata: pauimentum humilitas, dē qua. Pſal. 118. Adhęſit pauimento anima mea.

Eccleſiæ parietes laterales quid notent.

QVatuor laterales parietes ſunt quatuor principales virtutes: Iuſtitia, Fortitudo, Prudentia, & Temperantia: hæc ſunt in Apocalipſi quatuor latera ciuitatis ęqualia. Feneſtræ ſunt, hoſpitalitas cum hilaritate, & miſericordia cum largitate, de hac domo dominus ait: Veniemus ad eum, & manſionem apud eum faciemus. quædam tamen eccleſiæ in modum Crucis formantur, ad notandum nos mundo Crucifigi: ſeu Crucifixū ſequi debere, iuxta illud: Qui vult venire poſt me, abneget ſemetipſum, & tollat Crucē ſuam, & ſequatur me.

Chorus Clericorū quid, & unde dicatur.

SAne chorus clericorum, eſt continſio canentium, vel multitudo in ſacris collecta. dictus eſt autem chorus

à chorea

à chorea, vel corona olim enim in modum coronæ circum aras ſtabant,& ita Pſalmos concorditer cõcinnebant.ſed Flauianus,& Theodorus alternatim pſallere conſtituerunt,edocti ab Ignatio, qui ſuper hoc fuit diuinitus edoctus. Duo ergo chori pſallentium,designant Angelos,& Spiritus iuſtorum quaſi reciproca voluntate laudantium, & in ſe ad bonam operationem inuicem exhortantium. Alij chorum dixerunt à concordia, quæ in charitate conſiſtit : quia qui charitatem non habet, conuenienter cantare non poteſt.

Atrium eccleſiæ quid notet.

ATrium eccleſiæ ſignificat Chriſtum, per quem in cæleſtem Hieruſalem patet ingreſſus: quod & porticus dicitur ſic dicta à porta : uel quod ſit aperta.17. q. 4. ſi quis cum & cap. ſi quis in atrio.

Turres eccleſiæ quid ſignent.

TVrres eccleſiæ prædicatores ſunt, & Prælati eccleſiæ,qui ſunt munimen, & defenſio eius.vnde ſponſus ad ſponſam in canticis amoris ſic alloquitur : Collum tuũ ſicut turris Dauid ædificata cum propugnaculis. Canti. 4. Pinnaculum turris vitam, uel mentem Prælati,quæ ad alta tendit, repræſentat.

Gallus in ſummitate eccleſiæ fixus quid ſignet.

GAllus ſupra eccleſiam poſitus, prædicatorem deſignat. gallus enim profundæ noctis peruigil horas ſuo cantu diuidit:dormientes excitat: diem approquinquantem præcinit,ſed prius ſeipſum alarum verbere ad cantandum excitat. Hæc ſingula miſterio non carent. nox enim eſt hoc ſæculum:dormientes ſunt filij huius noctis in peccatis iacentes. Gallus prædicatores,qui diſtincte prædicant, & dormientes excitant,ut abijciant opera tenebrarum clamantes. Vnde dormiẽtibus: Exurge,qui dormis: lucem venturam prænunciant dum diem iudicij, & futuram gloriam prædicant:& prudẽter ante,quàm alijs virtutes prædicent ſe a ſomno peccati excitantes corpus ſuum caſtigant. 3. q. 7. idem teſtatur Apoſt. vnde : Caſtigo corpus meum, &c.hi etiam ſicut & Gallus, contra uẽtum ſeuertunt,quando increpando, & arguendo contra rebelles fortiter reſiſtunt : ne Lupo veniente, fugiſſe arguantur:extra.de renun. niſi cum quidẽ. Virga ferrea,in qua gallus ſedet, rectum repræſentat prædicantis ſermonem:vt non loquatur ex ſpiritu hominis,ſed Dei:iuxta illud : Si quis loquitur quaſi ſermones Dei &c.

Feneſtræ eccleſiæ quid ſignificent.

FEneſtræ eccleſiæ uitreæ, ſunt ſcripturæ diuinæ,quæ uentum,& pluuiam repellunt:ideſt nociua prohibẽt, dum claritatem veri ſolis, ideſt, Dei in eccleſiam, ideſt in corda fidelium tranſmittunt,inhabitantes illuminant. Hæ intus latiores ſunt, quia miſticus ſenſus amplior eſt, & præcedit literalem:de conſecra.diſt. 4. c.nullus autẽ. Item per feneſtras quinque ſenſus corporis ſignificantur, qui extra picti eſſe debent,ne uanitates hauriant:& intus patere ad dona ſpiritualia liberius capienda.

Quid Cancelli.

PER cancellos vero, qui ſunt ante feneſtras:Prophetas,vel alios doctores obſcuros intelligimus eccleſiæ militantis, in quibus duo charitatis præcepta, quandoque duæ columnę dupli-

duplicantur. secundum quod apostoli bini ad prædicandum mittuntur.

Quid ostium.

OStium ecclesiæ, est Christus. vnde in euangelio: Ego sum ostium, dicit dominus. Apostoli etiam portæ sunt. dictum est autem ostium ab obsistendo his, qui foris sunt; uel ab ostendendo aditum. ualua verò dicitur à voluendo: porta, aportando: quia per eam portantur, quęcunque offeruntur.

Columnæ ecclesiæ quid notent.

COlumnæ vero ecclesiæ, Episcopi, & doctores sunt, qui templũ dei, per doctrinam sicut, & euangelistæ Thronum Dei spiritualiter sustinent. hi nanque pro sonoritate diuini eloquij argenteæ columnæ dicuntur: iuxta illud in canticis canticorum: Columnas fecit argenteas. Vnde & Moyses in ingressu tabernaculi posuit quinque columnas: & ante oraculum, idest sancta sanctorum. Licet autem columnæ plures sint: tamen septem esse dicũtur: iuxta illud: Sapientia ædificauit sibi domum: & excidit columnas septẽ, quoniam episcopi esse debent septiformi gratia spiritus sancti repleti &c. Iacob. & Ioan. ut ait Apostolus, videbantur columnæ. Bases columnarum sunt Apostolici Episcopi uniuersalis ecclesię, machinam supportantes. Capita columnarum sunt mentes Episcoporum, & doctorum. sicut enim capite membra, sic mente uerba nostra diriguntur, & opere. capitella quoq; sunt verba sacræ scripturæ, quorum meditationi subdimur, & obseruantiæ.

Quid Pauimentum.

PAuimentum ecclesiæ, est fidei nostræ fundamentum. In ecclesia vero spirituali pauimentum sunt pauperes Christi; scilicet pauperes spiritu: qui se in omnibus humiliant: quare propter humilitatem pauimento assimilantur. Rursus pauimentum, quod pedibus calcatur, vulgus est: cuius laboribus ecclesia sustentatur. trabes, quæ domum coniungunt, sunt Principes, vel prædicatores sæculi: qui ecclesiæ muniuntur vnitate, hi uerbis, illi facto.

Lumen in ecclesia Christum denotat.

LVmen, quod in ecclesia accẽditur, Christum significat. iuxta illud: Ego sum lux mundi: & Ioannes erat &c. vel luminaria ecclesiæ significant apostolos, & ceteros doctores, quorũ doctrina fulget ecclesia: ut sol, & luna: de quibus dominus ait: Vos estis lux mundi: idest bonum operum exempla. vnde ipse admonens eos ait: Luceat lux vestra coram hominibus. &c.

Crux in medio ecclesiæ quid denotet.

CRux triunphalis in plerisque locis in medio ecclesiæ ponitur: ad notandum, quòd de medio corde Redemptorem nostrum diligimus: qui iuxta Salomonem corpus suum media charitate constrauit propter filias Hierusalem: ut omnes signum victoriæ videntes dicant: Aue salus totius seculi arbor salutifera: & ne vnquam à nobis dilectio Dei obliuioni tradatur: qui ut seruum redimeret, tradidit vnicum filium, ut crucifixum imitemur. crux autem in altum dirigitur. Vnde Christi victoria designatur.

Altare qui primum extruxerint: & vnde fluxerit hodiernus vsus.

SCiendum est autem, quòd Noè primus: deinde Isaac: Abraham, & Iacob,

cob, altaria ædificasse leguntur: quæ non aliud, quam lapides erecti intelliguntur: su per quos sacrificia mactabant, quæ suppositio igne cremabant. Moyses etiam fecit altare de lignis sethim, & inde altare Timiamatis, qđ vestiuit auro purissimo, pro ut legitur in Exodo, cap. 27. est autem sethim nomen montis, & arboris, quæ similis est albæ spinæ in folijs, & est leuissimum lignum, & imputribile, & incremabile. oleumque ad luminaria, aromata, vnguenta, & timiama boni odoris. vbi etiam ponitur forma ipsius altaris. Salomon quoque; sicut legitur. 3. Regum & prope finem altare aureum fabricauit; ab his quidem antiquis patribus altaria modernorum sumpserũt exordium, quæ in cornua quatuor eriguntur, quorum quædam vnius sunt lapidis, quædam ex pluribus componuntur.

Constantinus Imperator constituit in Basilica Lateranen. Arcam Testamenti.

TEmpore Siluestri Papę, Constantinus Imperator construxit Basilicam Lateranen. in qua posuit Arcã Testamenti, quam Titus Imperator asportauerat de Hierusalem. Candelabrum aureum, cum septem infusoris lucernis: in qua Arca sunt hæc: Anuli: & vectes aurei: tabulæ testamenti. siue testimonij, & virga Aaron. manna, panes ordeaci; vrna aurea, vestis incõsutilis, & arundo. & vestimentum sancti Ioannis Baptistæ, & forcipes, cum quibus tonsus fuit sanctus Ioannes Euangelista. homo sane habens altare, mensam, candelabrum, & arcã, templum Dei est. oportet siquidem eum altare habere, vbi recte offerat, & recte diuidat: altare est cor nostrum, in quo debemus offerre: vnde Exod. 20. Præcepit dominus in altare offerre holocausta: quia de corde debent procedere opera igne charitatis accensa.

DE PICTVRIS, ET CORtinis, & ornamentis ecclesiæ.

PIcturæ, & ornamata ecclesię sunt laicorum lectiones, & scripturæ: vnde Gregorius. de conse. dist. 3. c. per latum. aliud est picturã adorare: aliud per picturę historiam; quid sit adorandum, addiscere: nam quod legentibus scriptura, hoc idiotis cernentibus præstat pictura: quia in ipsa ignorantes vident quid sequi debeant: in ipsa legũt, qui literas nesciunt. Sane Caldei ignẽ adorant: & cogunt alios idem facere, alia idola conburentes. Pagani vero imagines, seu icones, & idola adorant; quod Saraceni non faciunt, qui imagines, nec habere, nec videre volũt, moti ex verbo illo: Non facies tibi omnem similitudinem eorum, quæ in cœlo, vel in terra, vel in aquis, vel sub terra sũt, Exod. 20. & alijs auctoritatibus; quæ sequuntur: nos ualde super hoc increpantes: sed nos illas nõ adoramus: nec Deos appellamus: nec spem salutis in eis ponimus. quia hoc esset idolatria: sed ad memoriam, & recordationem rerum olim gestarum, eos veneramur.

Christus qua, & quotuplici forma pingendus.

SCiendum autem est, quòd Saluatoris imago tribus modis conuenientius in ecclesia depingitur, videlicet, aut residens in throno, aut pendens in crucis patibulo, aut ut residens in matris gremio: quia vero. Ioan. Baptista

Chri-

Christum digito demonstrauit dicens: Ecce agnus Dei. ideo quidam depingebant Christum sub specie agni, quia tamen vmbra transiuit. & Christus est verus homo: dicit Adrianus Papa. de consec. dist. 3. c. sextam. quod ipsum in forma humana depingere debemus. non enim agnus Dei in cruce principaliter, depingi debet: sed homine depicto, non obest, Agnum in parte inferiori, uel posteriori depingi, cum ipse sit verus agnus Dei, qui tollit peccata mundi, his quidem, & alijs diuersis modis Saluatoris imago depingitur propter diuersas significationes.

Christus quadruplici corona depingitur.

COnsiderandum est, quòd Iesus semper coronatus depingitur, quasi dicat: Egredimini filiæ Hierusalé & videte regem Salomonem in diademate, quo coronauit eum mater sua: fuit enim Christus coronatus triplicíter, primo a matre corona misericordiæ in die conceptionis, quæ corona duplex est propter naturalia, & gratuita. Secundo à nouerca corona miserię in die passionis. Tertio a patre corona gloriæ in die resurrectionis, unde: Gloria, & honore coronasti eum domine. demum coronabitur a familia corona potentiæ in die vltimę reuelationis.

Angeli varie effinguntur.

DEpinguntur etiam Angeli tanquã in ætate iuuenili florentes: nunquam enim senescunt. quãdoq; etiam circunpingitur Arcangelus Michael, draconem subpeditans: iuxta illud. Io. in Apoca. factum est prælium in cælo. Michael cum dracone pugnabat, quæ pugna est dissidium Angelorum: confirmatio bonorum, & ruina malorum: aut in præsenti ecclesia persecutio fidelium.

Paradisus ad quid pingatur in ecclesia.

RVrsus depingitur Paradisus in ecclesijs: ut aspicientes ad delectationem præmiorum alliciat: & quandoque infernus: ut eos formidine pœnarum à vitiis deterreat: quandoq; flores, & arbores cum fructibus, ad repręsentandum fructus bonorum operum, ex virtutum radicibus prodeuntium.

Ecclesiæ ornatus in quibus consistat.

ORnamenta ecclesiæ in tribus consistunt, idest, in ornatu ecclesiæ, chori, & altaris ornatus ecclesiæ consistit in cortinis, & auleis, & palleis sericis, & purpureis, & similibus ornatus chori in dorsalibus, tapetis, substratoriis, & bancalibus. Dorsalia sunt panni in choro pẽdentes à dorso clericorũ substratoria, quę pedibus substernũtur. Tapeta etiam sunt panni, qui pedibus substernuntur quasi stratio pedum; & præcipue pedibus Episcoporum, qui mundana pedibus calcare debent. Bancalia sunt panni: qui super sedes, uel bancas in choro ponuntur. Altaris vero ornatus, consistit in capsis, in palleis in philateriis, in candelabris, in enicibus, in aurifrigio, in vexillis, in codicibus, in velaminibus, & in cortinis.

Hostiarum tabernaculum, quid notet.

ET nota, quòd capsa, in qua hostiæ cõsecratæ seruãtur, significat corpus Virginis glorioſæ, de qua dicitur in Psal. Surge domine in requiem &c.

Philaterium quid.

PHilaterium est cartula, in qua decem præcepta legis describuntur: huiusmodi cartulam solebant Pharisei ante se signum religionis portare. unde in euangelio dilatare Philacteria sua dicebantur &c.

Candelabra in vtroque altaris cornu, quid notent.

IN cornibus altaris duo sunt candelabra constituta: ad significandum gaudium duorum populorum, de Christi Natiuitate lætantium: quæ candelabra taculas ferunt accensas: Angelus enim inquit: Anuncio uobis gaudium magnum, quod erit omni populo: quia natus est vobis hodie Saluator mũdi. hic est verus Isaac, qui risus interpretatur. lumen enim candelabri fides est populi: nam ad iudaicum populum inquit propheta: Surge illumina re Hierusalem, quia uenit lumen tuum: & gloria domini super te orta est. Ad populum uero gentilem dicit Apostolus: Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in domino. nam ortu Christi noua stella apparuit Magis, secundum uaticinium Balaam: Orietur, inquit, stella ex Iacob: & consurget virga ex Israel.

Crux altari super ponitur. quid signifi.

CRux quoque super altare ponenda est: & eam inde tollit baiulus Crucis, in quo recolitur: quia crucem de Christi humeris sublatam tulit Simon cireneus. inter duo candelabra Crux in altari media collocatur: quoniam inter duos populos Christus in Ecclesia mediator exiſtit: ipse enim est lapis angularis: qui fecit utraque vnũ: ad quem pastores à Iudea, & Magi ab Oriente venerunt.

Dominicæ sex quadragesimæ quid notẽt.

HOC etiam ideo fit in sex diebus dominicis: quia nulla fuit ætas, in qua non fuerit gaudium æternum, gaudium quidem figuratum, quod de cœlo uelatur: quod per uelum illud significatur: inde est, quòd diebus dominicis non ieiunamus: & hoc propter gloriam dominicæ resurrectionis: nã prima dominica significat gaudium, quod habuerunt primi parentes in paradiso ante peccatum. secunda dominica significat gaudium, quod pauci habuerunt in arcam Noè, alijs omnibus diluuio submersis. Tertia, quod habuerunt filij Israel, alijs sub Ioseph fame afflictis. Quarta, quod habuerunt sub Salomone in pace viuentes. Quinta; quod habuerũt redeuntes de captiuitate Babilonis. Sexta, quod discipuli habuerunt à resurrectione vsq; ad Ascensionem. quando cum eis præsentialiter fuit sponsus.

Oua quid notent in ecclesia.

RVrsus aiunt quidam, quòd Struthio tanquam auis obliuiosa derelinquit in sabulo oua sua: demum quadam stella visa recordatur, & redit ad illa aspectu suo fouens ea oua. ergo in ecclesijs suspenduntur ad notãdum, q̃ si homo propter peccatum à Deo derelictus sit, tandem diuino lumine illustratus, recordatus delictorũ suorum pœnituerit, & ad ipsum redierit per aspectum lumine illius fouetur, per quem etiam modo dicitur. in Luc. quòd Respexit dominus Petrum, post quam negauit Christũ. l. dist. fidelior. suspenduntur etiam, vt in illis vnusquisque contempletur, quòd homo facile Deum obliuiscitur, nisi per stellã, idest, spiritus sancti gratiam in fluctem illustratus ad eum redire per bona opera recordetur.

SACRIFICIVM ANTIQVITVS quibus vasis, & cuius generis, fiebat.

SANE in primitiua ecclesia sacrificium fiebat in vasis ligneis,& vestibus communibus: tunc enim erant lignei calices;& aurei sacerdotes,nunc vero, contra est. Sed Seuerinus Papa, instituit, quòd in vitreis fieret; quia uero fragilia erant, ideo Vrbanus Papa: & etiam Concilium Remen.de consecra. dist.1.ut calix.de celebra.miss.c.fi.statuit,quòd in argenteis, vel aureis vasis sacrificetur:vel propter paupertatem in stamneis, quæ nõ eruginantur: non tamen in ligneis:uel ex auricalco. non ergo debet esse de vitro propter periculum effusionis; nõ de ligno, quia cum sit porosum, & spongiosum corpus,sanguinem absorberet: nõ de ære vel auri calco:quoniam ob uini virtutem erugitum, vel uomitum prouocaret.

Calicis nomen vnde Tractum.

ET nota,quòd calicis nomen, à veteri, & nouo testamento originẽ traxit.Hier.12. Calix aureus Babilon inebrians omnem terram. & Dauid: Calix in domo domini vini meri plenus mixto: & ibi: Calicem salutaris accipiam: & nomen domini inuocabo: item in euangelio:Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum; item accipiens calicem gratias egit.

Calix aureus quid notet, quid argenteus, quid stamneus.

CAlix autem aureus significat Thesauros sapientiæ in Christo absconditos: Argenteus munditiam culpæ. Stamneus innuit similitudinem culpæ, & pœnæ. Stamnum enim est medium,inter argentum & plumbum: & caro Christi licet non fuerit plumbum:idest peccatrix: fuit tamen carni similis peccatrici.& licet non fuerit argentum, idest passibilis propter suam culpam: fuit tamen passibilis propter nostram culpam: quia languores nostros ipse portauit.

Vestimenta ecclesiæ destinata,ne trahantur in priuato vsu.

STephanus Papa statuit quoque ea dist.uestimenta.ne vestimentis ecclesiæ in alijs usibus quis utatur:quodque nisi à sacris hominibus tangantur, ne ultio, quæ Balthasar regem Babilonis percussit, super hoc transgredientes veniat.

Ornamenta altaris à Diaconis lauanda.

QVando vero pallæ, idest corporalia & vela, idest ornamenta altaris, seu cortinæ super altare pendentes sordidatæ fuerint,diaconi cum ministris humillibus illa lauent, intra sacrarium,& non extra. Pro uelis autem lauandis, quæ ad cultum altaris pertinent,noua peluis habeatur. Pallæ vero, idest corporalia in alia pelui lauentur.Vela quoque ianuarum:idest Cortinæ, quæ extenduntur in ecclesijs in festis, & quadragesima, in alia pelui lauẽtur.hinc est, quòd statutum est in Concilio Ilerdensi de consecr. dist.4 omnis. quæ ad corporale lauandum, & ad pallas altaris habeantur vasa foris,in quibus nihil aliud lauetur. Sed secundum eundem Clementem,ea dist.in.altaria. si altaris palla.idest vestimenta altaris,uel cathedra, in qua sedet Sacerdos sacris vestibus indutus, vel candelabrum,uel velum,idest pan

nus

mus, uel cortina super altare pendens fuerint vetustate consumpta, crementur,& cineres,uel in baptisterio,uel in pariete, aut in fossa pauimentorum, ubi non sit transitus,iaciantur. & nota, quòd ecclesiastica ornamenta benedicuntur,

DE CAMPANIS.

Campanæ quid: & vbi inuentæ primum.

CAmpanæ sunt vasa ænea, in Nola ciuitate campaniæ primo inuentæ: maiora itaque vasa campanæ à Campania regione: minora vero Nolæ, à Nola ciuitate dicuntur,pulsatur autem,& benedicitur campana, vt per illius tactū, & sonitum fideles inuicem inuitantur ad præmium: vt crescat in eis deuotio fidei, fuges, mentes, & corpora credentium seruentur; procul pellantur hostiles exercitus: & omnes insidiæ,fragor grandinum,procella turbinum,impetus tempestatum, & fulgurum temperentur: infestaq; tonitrua, & ventorum flamina suspendantur: spiritus procellarum, & aereæ potestates prosternantur:& vt hoc audientes confugiant ad sanctæ matris ecclesiæ gremium,ante sanctę crucis uexillum; cui flectitur omne genu.

Tubarum vsus olim fuit loco campanarum,

SCiendum autem est, quòd Campanæ,quarum sonoritate conuenit populus ad Ecclesiam ad audiendum:& clerus ad annunciandum mane misericordiam domini, & uirtutem eius per noctem. extra. de hom. Ioannes 1. dist.ius militare.significant tubas argenteas, quibus in ueteri lege populus ad sacrificandum accersebatur: quemadmodum enim vigiles in castris tubis: sic & ecclesiarum ministri campanarum sonitu se excitant, vt contra insidiantem diabolum pernoctent, signa igitur nostra ænea sonoriora sunt tubis ueteris legis.quia tūc erat Deus notus in Iudæa tantum: nunc vero in omni terra. sunt etiam durabiliora: significant enim prædicationem noui testamenti fore amplius duraturam tubis, & sacrificiis ueteris legis: quia vsque ad mundi finem.

Campanæ prædicatores sunt.

SI quidem campanæ prædicatores significant,qui fideles ad similitudinem campanę ad fidem vocare debent.quod significatum est,in eo,quod dominus præcepit Moysi,vt faceret vestem summo Pontifici habentem. 72. tintinnabula,quæ sonarent, cum Pontifex in sancta sanctorum ingrederetur.43. dist. sit rector.ipsum ergo uagos prædicatoris designat. iuxta illud Apostoli: Factus sum velut æs sonans, siue cimbalum tinniens.

Duritia metalli quid notet.

DVritia metalli fortitudinem designat in mente prædicatoris:unde Dominus: Dedi frontem tuam duriorem, frontibus eorum, plectrum, seu ferrum, quod interius ex utraque parte feriens sonum reddit, doctoris linguam,quæ scientia ornatur, & quæ utrumque testamentū resonare facit.

Prælatus iners, & expers scientiæ est quasi campana sine plectro.

PRælatus ergo,absque scientia prędicationis,erit quasi campana sine plectro: iuxta illud Gregor. Sacerdos

si prædicationis est inscius, quam clamoris vocem daturus est? Præco mutus, est quasi canis mutus: latrare non valens: ipsa vero percussio denotat, quod prædicator primum debet per correptionem in se, ut vitia ferire, & post modum, ad aliena ex probranda accedere, ne contra doctrinam Apostoli alijs prædicans ipse reprobus inueniatur. 3. quęst. 7. quod testatur psal. peccatori, cui dixit Deus: Quare tu enarras iustitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum?

Lignum, in quo pendet campana, quid notet.

LIgnum, in quo campana pendet, lignum dominicæ crucis significat, quod ideo quandoque à superioribus continetur, quia crux ab antiquis patribus nunciatur. Instrumenta, quibus ipsum lignum alligatum, seu affixum est, oracula sunt Prophetarum. Ligatura vero ferrea, qua campana ligno coniungitur, charitatem denotat, per quã prædicator indissolubiliter cruci affixus gloriatur dicens: Mihi absit gloriari nisi in cruce domini nostri Iesu Christi. Cauilla ligno affixa, qua mediante campana pulsatur, rectam prędicatoris mentem significat: qua diuinis mandatis inhærens illa fidelium auribus per frequentem pulsationem inculcat.

Funis à campana pendens quid significet.

FVnis autem ab illa pendens, qua campana pulsatur, est humilitas, seu vita prædicatoris: Funis etiam ipse vitæ nostræ mensuram ostendit. Ad hæc cum funis initium habeat à ligno, in quo campana pẽdet: per quod crux dominica intelligitur, recte sicram scripturam à ligno sanctæ crucis descendentem, designat: sicut etiam funis ex tribus est funiculis: ita & scriptura ex trinitate consistit. scilicet ex historia, ex allegoria, & ex moralitate. Funis ergo descendens à ligno in manu sacerdotis, est scriptura à misterio crucis descendens in ore prædicatoris. rursus ideo funis vsque ad manus, quibus continetur, extenditur: quia scriptura vsque ad opera transire debet.

Campanæ cur pulsentur, quoquam moriente, & quare in supplicationibus.

VErum, aliquo moriente, campanæ debent pulsari, ut populus hoc audiens oret pro illo. Pro muliere quidem bis, pro eo quod ipsa inuenit asperitatem. Primo enim fecit hominem alienum à Deo: quare secunda dies non habuit benedictionem. Pro viro autem ter pulsatur, quia primo inuenta est in homine Trinitas. Primo enim formatus est Adam de Terra, deinde mulier ex Adam, postea homo creatus est ab vtroque: & ita est ibi Trinitas. Si autem clericus sit, tot vicibus pulsatur, quot ordines habet ipse, ad vltimum vero compulsari debet cum omnibus campanis: ut ita sciat populus, pro quo sit orandum. debet etiã compulsari quando ducimus ad ecclesiam, & quando de ecclesia ad tumulũ deportatur. Cęterum campanę in processionibus pulsantur: ut dæmones timentes fugiant, timent enim, auditis tubis ecclesiæ militantis, scilicet campanis: sicut aliquis tiranus timens audiens in terra sua tubas alicuius potentis Regis inimici sui.

Cam-

Campanæ cur pulsentur, concitata tempestate.

ET hæc etiam est causa, quare ecclesia videns concitari tempestatem, campanas pulsat: scilicet ut dæmones tubas æterni regis: idest campanas audientes, territi fugiant. & à tempestatis concitatione quiescant: & vt ad campanæ pulsationem fideles admoneantur: & prouocentur pro instanti periculo orationi insistere. Silẽt autem campanę triduo ante paschа, & in tempore interdicto.

CEMETERIVM quid: & vnde dictum.

CEmeterium, dicitur à cimen, quod est dulce: & sterion, quod est statio: ibi enim dulciter ossa defunctorum quiescunt: & Saluatoris aduentum expectant: vel quia ibi sunt cimices, idest, vermes ultrà modum extentes.

Mausoleum, à Mausoleo dictum.

MAusoleum dictum est à quodã, qui dictus est Mausoleus, qui fuit diues, & potens: & ab Arthemisia eius vxore valde dilectus: adeo quòd, eo defuncto, ipsa gloriosum construxit ei sepulcrum, quod vocauit Mausoleum, à nomine viri sui. & inde igitur mos inoleuit: ut quælibet præciosa sepultura: Mausoleum nuncuparetur. 96. dist. bene quidem. prope princip.

Cemeterium vnde duxerit initium.

CEmeterium initium dicitur habuisse ab Abraham, qui emit agrum ab Ebron, in quo erat duplex spelunca: ubi ipse sepultus est, & Sarra, & Isaac, & Iacob, & Adam, & Eua: propterea enim emit, ut sibi, & suis sepultura esset. Duplex spelunca ideo ibi erat, quoniam duo ibi sepeliebantur: Contigue, scilicet, uir, & vxor, vel in una viri, & in altera mulier: uel vnicuique illic sepeliendo duplex spelunca in modum cathedræ fiebat. unde dicit Hier. quod tres Patriarchæ sepulti sunt in ciuitate Ebron in spelunca duplici, cum tribus uxoribus suis, sepeliebantur autem quasi sedentes: & superior pars spelunceæ, quæ truncum capiebat à natibus supra dicebatur una spelunca: pars vero inferior, quæ capiebat pedes crura, & femora, dicebatur alia spelunca.

ECCLESIAE DEDICATIO vnde initium duxerit.

QVia de Ecclesia, & altari mẽtio facta est, consequens est, vt aliqua de illorum dedicatione subijciamus, dicentes primo, vnde consecratio ecclesiæ ortum habuit: Secũdo, per quos; Tertio, quare: Quae to qualiter ecclesia dedicetur. & quid significet tam ipsa dedicatio, quàm singula, quæ in ea aguntur.

Primo igitur dicendum est, unde dedicatio ecclesiæ initium habuit, super quo notandum est, quòd Moyses, Domino præcipiente, fecit templum, & sacrauit illud cum mensa, & altari eius, & æreis uasis: & vtensilibus ad diuinum cultum explendum: & non solum diuinis precibus ea sacrauit: uerum etiam sancti olei vnctione, domino iubente, liniuit. de consec. dist. 1. §. 1. legitur enim dominum præcepisse ipsi Moysi, vt chrisma conficeret, quo ungeret tabernaculum in dedicatione, & arcam testamenti. Salomon quoque

filius

filius Dauid, iubente domino, perfecit templum cum altari, & reliqua ad diuinum cultum peragendum consecrauit, sicut in libro Regum. c. 6. Nabuchodonosor etiam Rex vocauit omnes Satrapas, & optimates, & tirannos ad dedicationem statuæ aureæ, quam fecerat. Iudei ergo, sicut legitur in Burcardo. in l. 3. c. 1. Iudei loca, in quibus domino sacrificabant, diuinis habebant consecrationibus consecrata; nec in alijs, quam deo dedicatis locis munera Deo offerebant, si igitur illi, qui umbrę legis deseruiebant, hoc faciebant, quanto magis nos, quibus veritas perfecta est, gratia, & ueritas per Iesum Christum data est, templa domino ædificare, & prout melius possumus ornare, atque ea diuinis precibus, & sanctis vnctionibus cum altaribus, & uasis, uestibus quoque, & reliquijs ad diuinum cultum implendum ut enstilibus, deuote & solemniter, ex institutione felicis Papę. 3. sacrare debemus.

Ecclesia non debet dedicari, nisi prius dotata; idque ex iustè acquisitis.

ECclesia, vt sacri edocent canones, de consec. distin. 1. nemo extra. de consec. ecclesiæ. vel alta. cum simili. dedicanda nō est, nisi prius dotata sit, & ex licite acquisitis. 1. q. 1. non est putanda. legitur enim, quod dum quidam Episcopus ecclesiam de usuris, & rapinis constructam consecraret, uidit post altare diabolum stantem in cathedra, in habitu pontificali, qui dixit episcopo: Cessa ecclesiam consecrare, ad meam enim iurisdictionem pertinet, cum sit ex usuris, & rapinis. episcopo uero, & clero territis: & inde fugiẽtibus, diabolus continuo ipsam ecclesiam cum grandi strepitu destruxit.

Ecclesia consecratur quinque de causis.

DIcendum est, quare ecclesia dedicatur. & quidem propter quinque causas: Primo, vt diabolus, & eius potestas inde penitus expellatur. unde refert Gregorius in dialogo. *lib. 3.* c. 21. quod cum quædam ecclesia Arrianorum fidelibus reddita consecraretur, & reliquiæ sancti Sebastiani, & beatæ Agathæ illuc dilatæ fuissent, populus ibi congregatus, porcum repente inter pedes huc, illuc discurrere senserunt: & fores ecclesię repetens à nullo uideri potuit, omnesque admiratione commouit. quod idcirco dominus ostendit, vt cunctis patefieret, qd de loco eodem *immundus habitator* exiret. Sequenti autem nocte magnus in eiusdem ecclesiæ tectis strepitus factus est. ac si in eis aliquis errando discurreret. Secunda vero nocte, grauior sonus increpuit. Tertia quoque nocte tantus strepitus insonuit, ac si omnis illa ecclesia fundamentis fuisset euersa. statimque recessit, nec ulterius apud illam antiqui hostis inquietudo apparuit.

Secundo, vt ad eam confugientes saluentur. Tertio, vt ibi orationes exaudiantur. Vnde in oratione ad missam dicitur: Concede, vt omnes, qui huc deprecaturi conueniunt &c. Quarto, vt ibi Deo laudes soluantur. Quinto, ut ibi sacramenta ecclesiastica ministrentur.

Ecclesiæ consecratio duo efficit.

ET est notandum, quòd consecratio duo efficit, nam ipsam ecclesiam materialem Deo appropriat: & nostram scilicet tam ecclesiæ, quam

fidelis

fidelis animæ dispositionem insinuat. Domus nanque non consecrata, est sicut puella uiro alicui destinata: non tamen dotata: nec matrimoniale cõmertio in unione carnis unita. sed in consecratione dotatur, & transit in propriã Iesu Christi sponsam, quam sacrilegium est per adulterium ulterius uiolari. Desinit enim lupananar esse demonum: vt patet in consecratione illius templi, quod antea Pantheon uocabatur.

Aspersio trina aquæ in Ecclesiæ consecratione quid notet, & quorsum fiat.

TRinam autem interius, & exterius cum hyssopo, & aqua benedicta aspersio, trinam baptizandi immersionem significat. & fit propter tria. Primo: propter expultionem. nã aqua benedicta, proprie de sui uirtute habet dæmones expellere. unde in exorcismo eius dicitur, vt fiat aqua exorcizata ad effugandam omnem potestatem inimici, & ipsum inimicum eradicare. &c.

Secundo propter ipsius ecclesię purgationem, & expiationẽ: omnia namque terrena propter peccatum corrupta sunt, & fædata. hinc etiam est quod in lege omnia pene mundabantur per aquam.

Tertio, propter remouendam omnem maledictionem, & introducẽdam benedictionem. terra enim ab initio cum fructu suo maledictionem accepit, eo quod ex eius fructu deceptio facta. aqua uero nullæ maledictioni subiacuit. hinc est quod dominus piscem comedit: sed carnem non legitur nominatim comedisse: nisi de Agno paschali: & hoc propter legis præceptum: in exemplum, scilicet abstinendi aliquando à licitis, aliquando eadem comedẽdi. Rursus aspersio in circuitu facta, signat quòd dominus curam suorum habens, mittit Angelum suum in circuitu timentium se.

Tria vero responsoria, quæ interim decantantur, & hilaritas trium ordinũ fidem suscipientium, scilicet: Noè, Daniel, & Iob. & quoniam ad hanc inuocationem, gratia fidei, spei, & charitatis infunditur: ideo ad pedem, & ad medium, & ad partem parietis superiorem aspergitur. De interiori etiam aspersione iam dicetur, & de virtute hyssopi.

Triplex vero circuitus, quem episcopus aspergendo facit, triplicem circuitum, quem Christus fecit propter ecclesiæ sanctificationem, designat. Primus fuit, quo venit de cœlo in mundum. Secundus, quo de mundo descẽdit ad Limbum. Tertius, quo de Limbo rediens, & resurgens, ascendit in cœlum: triplex quoque circuitus ostẽdit: quod ecclesia illa ad honorem trinitatis dedicatur. ostendit etiam tripliciter statum saluandorum de ecclesia: qui sunt virgines, continentes, & coniugati.

Episcopi Trina percussio ad Ianuam ecclesiæ in eius consecratione, quid notet.

TRina ad superliminare ostij percussio, signat triplex ius, quod Christus habet in ecclesia sua. Propter quod debet sibi aperiri. est enim sub sua Creatione, Redemptione, & Glorificationis promissione: nam Pontifex Christum, virga eius potestatem figurat. Interrogatio vero diaconi inclusi respondentis in personam populi: Quis est iste Rex gloriæ, & ignoran-

tia

tia populi neſcientis, quis eſt iſte, qui debet intrare. Apertio oſtij, euacuatio eſt peccati. recte ergo epiſcopus ter percutit: quia numerus iſte notiſsimus, & ſacratiſsimus eſt. Conſequenter oſtio aperto intrat epiſcopus: ad notandum, quod ſi debite utatur officio ſuo, nil ei reſiſtere poteſt: iuxta illud: Domine quis reſiſtet potentatui tuo. ingreditur autem cum duobus, vel tribus: ut ore duorum, vel trium teſtium ſtet omne verbum conſecrationis. vel quòd paucis præſentibus dominus ſe transfigurans pro eccleſia orauit.

Poſt hoc cum dicitur Letania, proſtratus orat pro ſanctificatione eccleſiæ, ſiue domus. nam & Chriſtus humiliatus ante paſsionem pro diſcipulis ei credituris omnibus orabat dicens: Pater ſanctifica eos.

Clerus orans, & Letaniam concinẽs apoſtolos repræſentat. Scriptura quoque ex Græcis, & Latinis literis in modum crucis, factam repræſentat conjunctionẽ, ſeu unionem in fide vtriuſque populi: Iudei videlicet, & gentilis. Per crucem Chriſti factam: iuxta illud Iacob: Cancellatis manibus filijs benedixit. ipſa uero crux, ſiue verſus ex tranſuerſo eccleſiæ directus: videlicet vnus à ſiniſtro angulo orientis, in deſtrum occidentis, & alter à deſtro oriẽtis in ſiniſtrum occidentis; ſignificat, q̃ populus ille, qui prius erat dexter, factus eſt ſiniſter: & qui erat in capite, factus eſt in cauda. & econuerſo: & hoc propter crucis virtutem. Sambuca, ſeu Baculus, quo Alphabetum ſcribitur, monſtrat apoſtolorum doctrinam, vel doctorum miſterium, quo facta eſt conuerſio Gentiliũ, & perfidia Iudeorũ.

Rurſus aſpergitur procedendo ab oriente, in occidentem, & per medium ſemel in formam crucis: quia Chriſtus totam iudeam, & omnes gentes baptizare præcepit in nomine trinitatis, cui baptiſmo tribuit efficaciam in miniſterio paſsionis.

Cruces in eccleſia duodecim depictæ, quid ſignent.

SAne chriſmate altaris. 12. Cruces in parietibus eccleſiæ depictæ, chriſmantur: depinguntur autem ipſæ Cruces: primo propter dæmonum terrorem: ut ſcilicet dęmones, qui inde expulſi ſunt, videntes ſignum crucis, terreantur, & illuc ingredi non præſumant. Secundo, propter triumphi oſtenſionem. Cruces namque ſunt vexilla Chriſti, & ſigna triumphi ſui.

Eccleſia ſemel conſecrata, an debeat, vel poſſit iterum conſecrari.

ECcleſia ſemel conſecrata non eſt iterum reconſecranda. ea diſtin. eccleſijs de ſa. non ite. capit. 1. & 2. de apoſta. c. 1. niſi fuerit exſacrata. Quod contingit tripliciter; primo, ſi fuerit combuſta: itaque parietes omnes, uel eorum maior pars fuerint decruſtati: vt dicto. cap. eccleſijs. ff. de contrahen. empt. l. demum. leui. c. 14. prope finem. ſi enim ſolummodo tectum, uel aliqua eius pars, parietibus integris manenti bus, uel ſaltem in modica parte deſtructis combuſta fuerit, reconſecranda non eſt. extra de conſecra. ecc. uel alta ligneis.

Secundo, ſi tota eccleſia, aut maior eius pars ſimul funditus corruit, & ex toto, ſiue ex alijs fuerit lapidibus reparata ea diſt. de fabrica. Conſecratio etenim eccleſiæ maxime in exteriori

vnctione & in lapidum cõiunctione & dispositione consistit: vt in dict. cap. ecclesijs. si vero non simul, sed successiue parietes omnes fuerint, & reparati fuerint, eadem censetur ecclesia. ideoque non re consecranda sed duntaxat cum aqua exorcizata, & missæ solemnitate est reconcilianda. de consc. distin. 1. de fabrica. & cap. si motum. ff. de lega. 1. quod in rerum. quamquam eam recõsecrandam quidã scripserint sapiẽtes.

Tertio reconsecranda est ecclesia, si dubium sit, vtrum aliquando fuerit consecrata, & quòd super hoc nulla scriptura, vel pictura, aut sculptura, nullusque etiam vnicus testis de visu, vel etiam de auditu existat, q, ut quidã dicunt, sufficeret, extra. de consc. dist. 1. ecclesiæ: & cap. solemnitatis. 23. q. 2. sane. 22. q. 5. hoc videtur de consec. dist. 4. paruulos.

Altare quoque semel consecratum reconsecrandum non est, nisi illud exe crari contingat de consc. dist. 1. si motũ extra. eod. cap. 1. & cap. quod in dubijs. quod fit primo, si mẽsa, idest superior tabula, in qua fit principaliter cõsecratio, mota, vel in sui forma, mutata, uel enormiter, puta vltra medietatem fracta sit, enormitas tamen cuius modi iure valet ad episcopi arbitrium referri. idem quoque maxime est, si tota altaris structura mota, & reparata fuerit, ecclesia tamen propter altaris, uel structuræ motionem, uel fractionem reconsecranda non est. extra. eodem capit. 1. quia alia est altaris consecratio. & alia ecclesiæ. si è conuerso. si ecclesia totaliter dextructa, altare non læditur. ecclesia ipsa reparata solum & non altare reconsecratur. de consc. distin. 1. si motum. Si vero altare modicum exterius patiatur læsionem, non ob hoc est reconsecrandum. extra. eod. cap. 1. secundo reconsecratur altare, si altaris sigillum, idest, paruus lapis, cum quo sepulcrum, siue foramen, in quo reliquiæ reconduntur, clauditur, seu sigillatur, motum, aut fractum sit: extra. eo ligni.

Calix consecratus, si deauratur, an sit consecrandus iterum.

QVid si Calix consecratus, deauratur? nunquid est reconsecrãdus? & videtur, quod sic. quoniam nouus calix esse videtur. nouum enim opus videtur facere, qui pristinam operis faciem innouat, ff. de op. nou. nunc. l. 1. §. opus nouum, & reficit, quę rei iã factę remedium facit. ff. de itin. ac. pri. l. 3. §. pen. ff. de vsufr. l. Vsufructuarius. extra. de iudeis. cap. consuluit. siquidẽ cõsecratio in superficie cõsistit & hinc est, quòd ecclesia, muris decrostatis, reconsecrandam esse prædixi.

Ecclesia reconcilianda propter adulterium in ea commissum.

EST autem ecclesia reconcilianda propter adulterium ibi commissum, & propter fornicationem. cap. dist. si motũ, & generaliter cuiuscunq; semine: extra de adul. cap. significasti. scilicet, maris & fœmina. clerici, & laici hæretici, & pagani. naturaliter siue in naturaliter studiose, & peccãdi libidine ibi semine emisso, fuerit polluta.

Reconciliatur etiam propter homicidium. ff. si qua. Pau. fe. dicatur. d. l. 15. q. j. §. ex eo. siue cũ sanguinis effusione: siue sine: ibique quocunque modo studiose commissum, & etiam citra homicidium propter quãlibet violentiam, & iniuriosam humani sanguinis effusionem. ea distin. si motum, siue ex v

nere, siue ex naso, vel ore, si autē absq; uiolentia, uel iniuria, & naso uel ore, cicatrice, vel imminutione, aut etiam ex emorroidis, vel menstruis, uel aliter naturaliter in ecclesia fluxerit: aut forte ludo, aut casu fortuito eijcitur. ea. dist. ecclesijs. extra. eod. cap. fin. aut si quodcunque animal ibi occiditur: uel si quis subito per se ibi moriatur: aut lapide, vel ligno, cadente, aut fulgure occiditur. propter hæc quidem, & similia non reconciliatur. nec etiam si alibi vulneratur, ad ecclesiam confugiens illic sanguine multo effuso moriatur, quoniam tunc non fuit homicidium in ecclesia perpetratum. 15. q. 1. §. itaq;. si vero econuerso in ecclesia vulneratus extra moritur, uel etiam extra sanguis ex vulnere fluxerit, secus est, etiā si intra ecclesiam ex uulnere sanguis minime fluxerit: quoniam ictus vulnerum attenduntur. ff. ad legem Aquil. l. item mela. §. sed si plures. ff. ad lege. Cor. de sic. vltimū. extra de cler. percu. c. 2. sed, & si supra tectum ecclesiæ sanguis effunditur. aut semen humanum emittitur, quia per hoc extra ecclesiā committitur, non reconciliatur.

Ecclesia, quæ habet sepultum infidelem, vel publice excommunicatum; reconcilianda.

RE conciliatur etiam ecclesia, in qua infidelis, vel etiam publicę excommunicatus sepultus est: & tunc parietes sunt abradendi, de conse. dist. 1. ecclesia. 1. & 2. Sane in præmissis casibus, in quibus ecclesia reconciliatur, requiritur, ut factum reconciliationem inducens publicum saltem per famam existat. extra de adulter. significasti. & accu. §. inquisitionis.

Cemeterium quibus casibus sit reconciliandum.

CEmeterium quoque, in quo Paganus, vel infidelis, aut excommunicatus, sepultus est, reconciliandū est. extra. eo. c. consuluisti. de consecra. dist. 1. & 2. extra de sepultu. sacris ossibus. tamen sepultis, si ab ossibus fidelium discerni poterunt, inde prius abiectis. Reconciliatur autem in præmissis casibus, in quibus ecclesia reconciliatur. Cemeterium enim eisdem priuilegijs, quibus & ecclesia, gaudet.

ALTARIS CONSECRATIO.

NON solum ecclesia, verum etiam altare consecratur. de conse. dist. 1. c. altaria. 1. & 2. hoc propter tria, Primo ad sacramentum Deo ibi offerendū. Gene. 8. Aedificauit Noe altare domino: & tollens de cunctis volucribus, & pecoribus, mundis, obtulit super altare. hoc autē sacramentum, est corpus, & sanguis Christi, quod in memoriam passionis dominicæ immolatur iuxta illud: Hoc facite in meam commemorationem. Secundo, ad nomen Dei ibi inuocandum. Vnde Gene. 12. Aedificauit Abraham altare Deo, qui apparuit ei: & inuocauit ibi nomen domini. Hæc autem inuocatio, quæ fit super altare, proprie dicitur missa. Tertio ad cantandum. eccle. 47. Dedit illi contra inimicos potentiam, & stare fecit contra altare cantores: & in sono eorum fecit dulces modulos.

ALLELVIA.

Cur ommittatur inter consecrationem altaris, aut ecclesiæ: consecratione vero facta, adhibetur.

ET quia hæc dedicatio significat baptizandos, qui percepta fide, ad pugnam se præparant: & qui adhuc sunt inter suspiria, & certamina huius vitæ constituti; ideo non dicitur Alleluia. qui enim baptizati nō sunt, laudibus angelorum digni non sunt: vnde Tho. pe. & implateis eius cantatur alleluia. quoniam exclusa dæmonum phantasia, Deus ibi laudabitur. nam & Christus ad oram crucis accedens ad æternitatis gloriam manifestandam mortem soluit, sed alleluia duntaxat post resurrectionem cantauit.

Aqua benedictio, quot requirat, & quid notet.

CIrca aquæ benedictionem, notandum est, quód huiusmodi aquæ exorcizatio fit ad effungandum inde inimicum, in qua benedictione quatuor necessaria sūt. videlicet; aqua; vinum, sal, & cinis. & hoc propter tria. Primo, quoniam quatuor sunt, quæ inimicum expellunt: Primum, est lachrimarum effusio: quæ signatur per aquā. Secundum est: spiritualis exultatio, quæ per vinum: Tertio, naturalis discretio, quæ per sal: Quartum, profunda humilitas, quæ per cinerem significatur.

Cruces quatuor, quas facit Pontifex in altaris consecratione, quid notent.

HIS omnibus præmissis, Pontifex quatuor cruces cum aqua ipsa, à quatuor cornibus altaris, & vnam in medio facit. quatuor cruces repræsentant, quadruplicem charitatem, quam hi, qui ad altare accedunt, habere debent, scilicet, vt diligāt deum, seipsos, amicos, & inimicos. de quibus quatuor cornibus charitatis dicitur Gene. 27. Dilataberis ad orientem, & occidentem, & meridiem, & ideo quatuor cruces in quatuor cornibus fiunt ad designandum, quòd Christus per crucem quatuor mundi partes saluauit: crux in medio altari significat passionem, quam Christus in medio terræ subijt, per quam operatus est salutem in medio terræ, idest in Hierusalem.

Circuitus septenarius Pontificis, circa altare consecrandum: quid denotet.

DEinde septies altare Pontifex circuit. primo ad significandum, q̄ ipse debet pro omnibus curam impendere, & vigilantiam habere, quæ per circuitū designatur, vnde tunc cantatur: Inuenerunt me vigiles, quæ circumibant ciuitatem. debet enim solicite vigilare super greges sibi commissos: nam (vt ait Gilbertus) Ridiculosa res est speculator cæcus, præcursor claudus, prælatus negligens, doctor insipidus, & præco mutus.

Aspersiones septem altaris quid notent.

SEptem nanque aspersiones aquæ, sunt septem sanguinis Christi effusiones. Prima fuit, in Circuncisione. Secunda, in oratione, quando sudor eius fuit, sicut guttæ sanguinis. Tertia in corporis flagellatione. Quarta in capitis coronatione. Quinta in manuū perforatione. Sexta in pedum cruci affixione. Septima in lateris apertione.

Hyssopum quid notet, & eius natura & situs.

Flunt insuper huiusmodi aspersiones, & cum aspersorio facto de hyssopo: per quam herbam, quia humilis est, Christi humilitas congrue designatur: quoniam prędictæ sanguinis effusiones factæ fuerunt cum hyssopo humilitatis Christi, & in extinguibilis charitatis, quo aspersa ecclesia catholica mundatur. hæc etiam herba naturaliter nascitur in petra, & humilitas natura creuit in Christo petra.

RELIQVIAE SANCTOrum an necessariæ ad altare consecrationem, & quid notent.

SAnè sine sanctorũ reliquijs, aut vbi illę haberi nõ possunt, sine corpore Christi nõ fit cõsecratio altaris fixi. de cõse. dist. 1. de fabri. & ca. placuit, sed viatici vel portatilis fic. ea dist. cõcedimus. Reliquię siquidẽ sunt exempla vtriusque testamenti, auctores passionis martyrum & vita confessorum, quæ nobis sunt ad imitationem relicta, hæc in capsa recondimus, cum ad imitationem ea in corde retinemus, quod si audimus & intelligimus & opera non facimus, magis ad imitationem, quam ad salutem, quia auditores legis iusti nõ sũt apud Deũ; sed factores tantum, recunduntur autem reliquiæ sanctorum cum tribus granis thuris in capsula, quia exempla sanctorum cum fide trinitatis, idest patris, & filij, & spiritus sancti debemus in memoriã crucis ex chrismate roborata habere. siquidẽ per chrisma intelligitur spiritus sancti donum, quo tabula, idest, charitas super vngitur: quia cor nostrum ad obseruanda secreta cœlestia Spiritus sancti gratia roboratur. tabula ergo hoc signo roborata reliquijs supponitur quia per exempla sanctorum charitas accenditur, quæ operit multitudinem peccatorum: sic in tabula reliquias operit, unde apostolus: Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris.

Reliquiæ Sanctorum ubi & quomodo condantur.

REconduntur autẽ reliquiæ Sanctorũ cũ tribus granis incẽsi in capsula: quia exẽpla Sanctorũ cũ fide Trinitatis idest Patris, & Filij, & Spiritus sancti, debemus in memoria retinere, supponitur, & aptatur ipsi sepulcro quædam tabula, signo Crucis ex chrismate roborata. siquidẽ per chrisma intelligitur Spiritus sancti donum, quo tabula, idest, charitas super vngitur: quia cor nostrum ad obseruanda secreta cælestia, Spiritus sancti gratia roboratur. Tabula ergo hoc signo roborata, reliquiis supponitur: quia per exempla sanctorum charitas accenditur: quæ operit multitudinem peccatorum, sicut & tabula reliquias operit.

Altare debet esse lapideum.

NON vnguntur ergo altaria nisi lapidea: quia Christus per altare significatus est lapis excrescens in mõtem, ipse est mons pinguis, oleo lætitiæ præconsortibus vnctus. Verumtamen in Exod. legitur dominus præcepisse fieri altaria de lignis sethim, quæ sunt imputribilia, & altarẽ laterum, lignum est. Salomon quoque fecit altare aureum: prout legitur. 3. Regum. 8. cap. sed illa facta sunt in figura post

hoc

hoc aſperſo altari,& cum aqua baptizato, reſtat, ut oleo, & chriſmate liniatur. Epiſcopus enim ſuper infundit oleum,& chriſma:& cantat: Erexit Iacob lapidem in titulum, fundens oleũ deſuper. illa enim eccleſia fuit titulus aliarum: quia de Syon exiuit lex: & uerbum domini de Hieruſalem: faciẽs primo ſuper illo quinque Cruces ex oleo infirmorum ſecundum ordinem Romanum: ſecundum quaſdam uero alias eccleſias de vtroque oleo: unã in medio, & quatuor in cornibus. poſtea modo eodem totidem, & chriſmate.

Sane per oleum Spiritus ſancti gratia intelligitur, de quo dicit Eſai. Prophe ta: Computreſcet iugum à facie olei: quia ſicut epiſcopus oleum infundit ſuper altare: ita Chriſtus, qui eſt ſummus Pontifex, effundit gratiam ſuper altare noſtrum, quod eſt cor noſtrum: quia ipſe eſt diſtributor omnium gratiarum per ſpiritum ſanctum: ſicut dicit Apoſt. alij datur ſermo ſapientiæ, alij ſermo ſcientiæ & c. & ſicut, per oleum epiſcopus purificat menſam altaris, ita & ſpiritus ſanctus purificat cor noſtrum ob omnibus vitijs, & peccatis.

Chriſtus fuit vnctus oleo inuiſibili, & oleum quid ſignificet.

CHriſtus quoque fuit vnctus, non quidẽ uiſibili, ſed inuiſibili, ideſt gratia ſpiritus ſancti. Vnde Dauid: Vnxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ conſortibus tuis, ideſt, plus, quam omnes ſanctos, qui fuerunt participes gratię eius, ideſt, Chriſti. Vnde vnctio expreſius conuenit Chriſto, quàm alijs: quia præ omnibus alijs vnxit eum Deus, ad habendam plenitudinem donorum: ideoque interpretatur unctus. vnctio quoque ex oleo, miſericordiam ſignificat. iuxta illud euangelij: Vnge oleo caput tuum, & faciẽ tuam laua.

Cruces quinque ex oleo, quid notent.

QVinque Cruces de oleo ſignificant, quòd memoriam quinque plagarum Chriſti, quas pro nobis in cruce ſuſtinuit, ſemper habere debemus. ipſe nanque quinque plagas ſuſtinuit: ſcilicet in manibus, in pedibus, & in latere. deſignant etiam quinq; paſsionis miſericordiæ: quę nobis ſunt neceſſaria. neceſſe enim eſt, vt homo miſereatur Chriſto, paſsioni eius compatiendo. vnde Iob in perſona Chriſti: Miſeremini mei, miſeremini, &c. oportet etiam, vt homo miſereatur proximo, cuius mala videt. Vnde in eccleſiaſtico: Miſeratio hominis circa proximum ſuum.

Balſami odor, & ſignificatio.

BAlſamum quidem propter bonũ odorem, ſignificat bonam famam. oleum propter claritatem, & nitorẽ cõ ſcientiæ, quam habere debemus. iuxta illud Apoſtoli: Gloria noſtra hæc eſt: Teſtimonium conſcientiæ noſtrę. Tunc autem balſamum oleo recte cõiungitur, quando bonus odor miſericordiæ additur.

Ter ergo altare inungitur: bis oleo: tertio chriſmate: quoniam eccleſia, fide, ſpe, & charitate, quę maior eſt ceteris, inſignitur. & dum Criſma infunditur, cantatur: Ecce odor filij mei, ſicut odor agri pleni. poſt unctionem adoletur incenſum, quod deuotionem orationis ſignificat. in quinque locis adoletur, videlicet, in quatuor angulis, & in medio: quia ſic quinque ſenſus corporis exercere debemus: vt fama boni

operis

operis nostri usque ad proximos exté datur. Crucem cum incenso facere est eius passionem patri ostendere, & ipsum pro nobis interpellare.

CONSECRATIONES, & vnctiones.

LEgitur, dominum præcepisse Moysi, vt conficeret chrisma, quo unguento vngeret Tabernaculum in dedicatione,& Arcam testamenti, mensamque cum uasis:ex quo similiter sacerdotes,& reges inungerentur.de consecr.distin. 1. §.1. Moyses tamen non legitur fuisse vnctus, nisi unctione spirituali, sicut & Christus. voluit itaque Christus nos vnctione materiali inungi: vt ex illa consequamur spiritualem, & ideo pia mater ecclesia diuersas exhibet unctiones.de quibus hic aliqua perstrin gamus dicentes.

Circa primum igitur notandum est, q̃ duæ sunt species vnctionis. extra de sacramentis,unct.c.1.exterior; quæ materialis,siue corporalis, & visibilis est.& interior,quæ spiritualis, & inuisibilis est: exteriori uisibiliter ungitur corpus. de prima Iacobus Apost. ait: Infirmatur quis ex vobis, inducat presbyteros ecclesiæ, & orent super eum ungentes eum oleo in nomine domini: & oratio fidei saluabit infirmum. De secũda Iacobus Apostolus ait: Et vos vnctionem,idest, vnctio,quam ab eo accepistis, maneat in uobis. ut non necesse habeatis, vt aliqs doceat vos, sed sicut unctio eius docet vos de omnibus. Vnctio exterior signum est interioris. Interior uero non solum est signum,idest, significatum, sed etiam sacramentum, quia si digne sumitur, uel agit,uel auget,absque dubio,quod designat,puta:salutem:iuxta illud:Super illos manus imponent, & bene habebunt. Circa secundum, sciendum quod exhibendo exteriorem,& uisibilem vnctionem, duplex oleum benedicitur.extra de sacra.vnctio. c.1.videlicet oleum sanctum, uel cathecuminorum. quo Cathecumini unguntur. & oleũ infirmorũ,de quo infirmi unguntur.

Moyses quo chrismate fuit vnctus.

MOyses non legitur fuisse vnctus, nisi vnctione spirituali, sicut & Christus, uoluit itaque Christus non unctione materiali inungi vt ex illa consequamur spiritualem:& ideo pia mater ecclesia diuersas exibet unctiones, quibus hic aliqua perstringamus dicentes. primo quid huiusmodi significent unctiones, ex quibus fiant, item de unctione baptizandorum. & etiam de unctione baptizatorum, quæ per episcopum fit in fronte, & etiam de ordinatione ordinandorum, deinde de unctione ordinandorum,& de unctione consecrandorum episcoporum, & principum,etiam de unctione ecclesiæ altaris,calicis,& aliorũ ministeriorum ecclesiasticorum, de extrema unctione, de consecratione & benedictione cemeterij,uestium & aliorum ministeriorum ecclesiasticorum.ultimo de cõsecratione, & benedictione uirginum.

Vnctionum duæ species.

CIrca primum igitur notandum est quod duę sunt species unctionis, extra.de sacramen. unct. c. prin.exterior. quæ materialis siue corporalis, & uisibilis est: exteriori uisibiliter vngitur corpus. Iacobus ait:infirmatur

quis

quis ex vobis,introducat presbiteros &c. De secunda Iacobus Apostolus ait:& uos unctionem,idest unctio,quã ab eo accepistis, maneat in uobis, vt non necesse habeatis,ut aliquis doceat uos, sed sicut unctio eius doceat uos de omnibus,unctio exterior, signum est interioris:interior uero, non solum est signum idest significatum:sed etiam sacramentum: quia si digne sumitur, uel agit,uel auget:absque dubio:quod designat puta salutem, iuxta illud super ægros & c. Circa secundum sciendum est, quod exibendo exteriorem & uisibilem unctionem,duplex oleum benedicitur.extra de sacramento unct. c.prin.uidelicet oleum sanctum uel cathecumenorum,quo cathecumeni unguntur, & oleum infirmorum,de quo infirmi unguntur. ut ait Iacobus: quis infirmatur ex uobis &c.

Infirmi,& cathecumini quare oleo inunguntur.

SED quæritur quare infirmi, & cathecumeni,oleo inunguntur. Respondeo: vt ex uisibilibus inuisibilia facilius capiantur. sicut enim oleum fugando infirmitatem recreat artus fessorum, & de sui natura lumen prestat: sic credendum est, quòd vnctio olei consecrati,quod est signum fidei, peccata fugando,sanitatem animæ cõfert, & lumen ei præstat. si quidem oleum uisibile in signo, oleum inuisibile in sacramento: & oleũ spirituale intus est.

Prisbyteri manus ab Episcopo inunguntur,& qua forma:

CIrca vnctionem ordinandorum, notandum est, quòd manus presbyteri ab episcopo inunguntur,vt cognoscat hoc sacramẽto se per spiritum sanctum susscipere virtutem, & gratiã consecrandi. Vnde Episcopus ea in vngens dicit:Consecrare,& sanctificare digneris domine manus istas per istam vnctionem, & nostram benedictionem: vt quæcumque consecrauerint, consecrentur, & quæcunque benedixerint benedicantur, in nomine domini. Ideoque uiri deuoti osculantus manus sacerdotum post ordinationem eorum statim, credentes per hoc orationum illorum,& bonorum,participes fieri.

EPISCOPORVM VNCTIO vnde duxerit initium, & qualiter vngantur.

CIrca episcoporum & principum vnctionem sciendum est, quòd episcoporum vnctio à ueteri testamẽto sumpsit originem.extra.de sac.unct.cap.1. nam Leuit. 21.dicitur:Pontifex, super cuius caput fusum vnctionis oleum:& cuius manus sunt in sacerdotio consecratæ. Sane episcopus ungitur chrismate: quod conficitur cũ oleo, & balsamo, & ungitur illo tam in corpore, quàm in corde, vt interius trinæ conscientiæ quantum ad Deum, quod per oleum exterius signatur, habeat odorem famæ,quo ad proximũ, quod per balsamum designatur.

Episcopi Caput cur balsamo vngatur, cur manus,cur pollex.

DIffert autem inter Pontificis,& principis vnctionem: quia caput Pontificis chrismate consecratur: brachium vero principis oleo delinitur:vt ostendatur, quanta sit differentia inter auctoritatem Pontificis: & Principis potestatem. Et nota, quòd

sicut

ficut in Euangelio legitur: quidam pater familias uocauit seruos suos, & dedit illis mercedem mnas: si quidem vocatio serui, est canonica electio episcopi, quæ fit secundum vocationem domini uocantis Aaron. extra de electione. c. transmissa. Mna datur ei, quando is, qui sibi manus imposuit, dat ei textū Euangelij: Vade prædica, & ipse cum primo ingreditur ciuitatem suam, portat Euangelium in pectore suo, iuxta morem quarundam ecclesiarum, ostendens quasi negotiator mnam suam. In quibusdam etiam ecclesijs cum Archiepiscopus dat illi virgam, & dicit: Vade, prædica. & ille statim benedicit populū, in quo designatur, quod Moyses cum virga, missus est in Aegiptū.

Calicis, & patenæ consecratio ad quid.

PAtena si quidem consecratur, & vngitur in administrationem corporis Christi: qui in cruce pro omnium salute immolari elegit, & omnipotens Deus conspersam similaginem in patenis aureis, & argenteis ad altare suum deferri iussit. Calix quoque. consecratur & inungitur, vt gratia spiritus sancti perficiatur nouum sepulcrum corporis & sanguinis Christi, & ipse dignetur illum sua virtute perfundere, qui calicem Melchisedech famuli sui perfudit.

Ornamenta ecclesiastica, benedicenda sunt.

ILlud etiam notandum, quod pallæ altaris, vestimenta sacerdotalia, & huiusmodi ecclesiastica ornamenta benedicenda sunt. legimus enim de consecr. dist. 1. §. 1. Moysem ex præcepto domini tabernaculum diuinis precibus sacrasse. cum mensa, & altari, & uasis, & utensilibus ad diuinum cultū explendum. Si ergo iudei, qui legis, & futurorum vmbræ seruiebant, hoc agebant. Heb. 8. & 10. c. quanto magis nos, quibus veritas per Christum patefacta est, hoc agere debemus. & hoc per episcopos sacratos; & non per coepiscopos. 58. dist. quamuis. unde lecne. Exo. pen. Cuncta uasa ministerij. bgitur dixit Moyses: & si sacræ vesti tapetia, vel filum adiungatur, non ideo benedictio iterari debet. iuris testimonio cō probatur. arg. inst. de re diui. §. cum ex alia. & §. qui tamen. extra. de conse. ecclesiæ qp in dubijs.

E MINISTRIS

Ecclesiasticis: & de eorum officijs.

Christianorum nomen, vbi primum inuentum.

NOmen Christianorum primum in Antiochia inuentum est, antea enim omnes vocabātur discipuli, uel fratres, donec Apostoli in Antiochia concilium fecerunt. 2. q. 3. ad mensam, & dicuntur Christiani orthodoxi, idest recte gloriantes: & vt credunt, viuentes. Dicitur Christus à chrismate, quasi vnctus. ipse autem unctus est æternaliter à Deo præconsortibus suis. prout legitur in actibus Apostolorum: & hoc nomen est, oleū effusum. hinc est, quòd inueteri testamento sacerdotes, & reges Christi nuncupabantur: quia vncti erant vnctione temporali. iuxta illud: Nolite tangere Christos meos.

Iesus vnde dictus Nazarenus.

IEsus dictus est Nazarenus à quodā vico Galileæ: Deus dictus propter unicam cum patre substantiā: dominus

vero

vero dicitur propter seruientem creaturam. Deus & homo dicitur, quia verbum, & caro. Verbum dicitur, quia pater per eum omnia condidit, siue iussit. imago dicitur, propter parem similitudinem patris.

Religio vnde nomen sortita.

REligio vero dicta est: quia per eam uni Deo religamur ad diuinum cultum uinculo seruiendi: & in clericos seculares, qui, vsurpato nomine, seculares dicuntur. extra de ost. ordin. licet ad differentiam regularium: qui proprio carent. quod non contingit in istis. nam & secundum August. 2. q. 1. legi. bonus non monacus, uix bonum clericum facit.

Ecclesiasticarum personarum duo genera, & unde ortum habuerunt.

ECclesiasticarum personarum duo sunt genera. nam aliud est dignitatis, aliud ordinis. Dignitatis, ut Papa, Patriarcha, Primas, Archiepiscopus, siue Metropolitanus, quod idem est, Episcopus, Archidiaconus, Archipresbiter, præpositi generaliter rite uocentur: extra de verborum significatione, quamuis.

In choro uero personæ sunt, Decanus, Subdecanus, Cantor, siue, succentor, Thesaurarius, siue sacrista, & alia huiusmodi.

Dignitates autem, vt ordines à lege originem, & exemplum traxerunt: iuxta illud: Constitues eos principes super omnem terram. quãquam quidam dicent dignitates à Gentilitate sumpsisse initium. Ordinis autem personæ sunt, Sacerdos, Diaconus, & ceteri, quos inferius prosequimur. qualiter à ueteri ritu tam gentilium, quam hebreorum, ad cultum præsentis ecclesiæ translatio personarum facta sit, & qualiter ab illis personæ dignitatum in ecclesia originem habuerint, breuiter uideamus. & quidem dominus Papa, qui pater, uel custos patrum est, uicem gerit summi Pontificis: Romanus Imperator monarchiæ gerit.

Senatoria, & patritiorum dignitas manet in ecclesia in quatuor Patriarchis: & in ecclesia Romana in Cardinalibus. 86. dist. Constantinus. Primates, qui tribus Archiepiscopis præesse habent, regem exprimunt, qui tribus ducibus præest. Metropolitani, seu Archiepiscopi, ducibus comparantur, qui pluribus comitibus præsunt, sicut illi pluribus episcopis. Pelagius tamen Papa dicit. 6. quæstion. 3. Scitote, quòd una prouincia habet Regem, & Metropolitanũ. Episcopi, Comitum similitudinem gerunt: Coepiscopi, quorum potestas sublata est. 68. dist. quamuis. &c. Coepiscopi Præsidum & Præfectorum. Præpositi uero tribunos militum. Imitantur Archipresbiteri tribunos plebis. Cancellarij Prætores. Archidiaconi Centuriones. Decani, decuriones. Presbiteri curati aduocatos. Personæ quoque ordinum ab illis originẽ habuerunt. nam presbyteri, uices gerunt ædilium. Diaconi, quaternionum, Subdiaconi duum uirorum. Exorcistæ, quæstores imitantur. Ostiarii aulę ianitores. Lectores Carminum relatores. Accoliti carminum scriptores.

Coronæ clericorum forma.

CIrca formam circularem, seu coronam sciendum est, quòd fit propter multa. Primo in signum, quòd Christus Rex noster seipsum in ara crucis oblaturus, spineam coronam portauit, unde & nos, qui per eandem

paſsionem ſaluari deſideramus, dominicæ paſionis ſignum, ideſt, formam ſpineæ coronæ, quam ipſe, vt ſpinas peccatorum noſtrorum auferret, in paſsione portauit in capite, in verticibus noſtris portamus: vt ſicut ille pro nobis, ſic & nos pro illo irriſiones, & opprobria paratos eſſe libenter ſuffer re monſtremus. Secundo, circulus capillorum uirtutem æqualitatis undiq; rationi conſentientem deſignat. Tertio circularis figura fit: quia hæc figura nō habet principium, neque finem, per quod datur intelligi, quòd clerici ſunt miniſtri Dei, qui non habuit principium, neque habebit finem.

Clerici ad quid inſtituantur: & quare in quatuor temporibus.

ORdinãtur autem Clerici, vt Deo ſeruiant: nec de cetero ſeruiant mundo, nec gloriæ mundi. debent ergo offerre corpora ſua hoſtiam viuentem ſanctam Deo placentem. Vnde Apoſtolus ad Rom. Confundantur omnes, qui gloriantur in ſtultitia, ideſt, in gloria mundi, quæ non eſt uera gloria: ſed imago glorię. quare autem ordinandis manus imponatur: dicetur in tractatu de diacono. ordinantur in quatuor tẽporibus, ideo quia ſacerdos, & alij clerici locum in eccleſia obtinent: quem Leuitæ in populo Iſrael obtinuerunt: quos, ſicut in libro numerorum legitur, Dominus pro primogenitis recepit: & eos in Aegypto, dũ primogenita Aegiptiorum interficerentur, cuſtodiuit: primogenita uero, quaſi quędam primitiæ ſunt. unde quaſi primitias domino offerimus, cum aliquem ad ſacros ordines conſecramus. Conueniens igitur eſt, vt in primitijs temporum, ſcilicet in quatuor temporibus, primitias hominum offeramus.

Clerici, cur maxime ordinentur diebus ſabbatorum.

QVare potius in ſabbatis quatuor temporum, quàm quartis, uel ſextis ferijs fiunt ordinationes, quia illa dies ſpiritui ſancto conſecrata eſt: cuius dona in ordinibus recipiuntur. præceptum enim eſt à priori populo ſabbatum celebrare, ad hoc, vt eſſet figura ſanctificationis ſpiritus ſancti; unde in Exodo: Requies ſabbati ſanctificata eſt domino.

Subdiaconos facere die dominica an liceat.

SOlus autem Romanus Pontifex poteſt ſubdiaconos facere in diebus dominicis. extra de tempore ord. c. 1. alij prælati poſſunt in diebus dominicis ſolum minores conferre, & virgines conſecrare. Si autem ob vrgentem neceſsitatem in die dominica ordinatio fiat: quia forte perfici non potuit in Sabbato, debet hoc fieri, ieiunio continuato, tam ab ordinando, quàm ab ordinatore: quia tunc propter continuationem ieiunij, fingitur vna dies: extra. de tempo. ord. c. literis. 75. diſt. quod patribus. & c. ſeq.

DE CANTORE.

NOnnulli cęcitate ignorantię ducti, cantoratum de minoribus eſſe autumant ordinibus, pro eo, quòd, ut iam præmiſſum eſt in quibuſdam canonibus, inter minores ordines fit mentio de cantore. falluntur tamen: quoniam nomen eſt officij, & ordo, qui autem in veteri teſtamento cantores dicti ſunt, hodie lectores, vel pſalmiſtæ vocantur.

DE

DE PSALMISTA.

PSalmistatus quandoque Tonsoratus vocatur, sicut constitutio Inno. 3. de re. iud. cum inter: euidenter ostendit, quandoque etiam clericatus: vnde in alia eiusdem Innoc. epistola. extra de æta. & qualit. cum contingat. dicitur, quòd Abbas Benedictus sacerdos; potest in suo monasterio clericalem dare Tonsuram, per quam ordo clericalis cõfertur: qui ordo sic collatus, Psalmistatus vocatur. in canone quoque Leonis Papæ. 32. dist. seriatim, sic inter cetera continetur; seriatim, & aperte prosequamur quod S. Romana ecclesia in gradibus clericorũ, ait, clericos ostiarios, lectores. & c. at nomine clericorum psalmistas ibi intelligi indubitatum est. uocatur etiam quandoque cantoratus.

DE OSTIARIO.

OStiarij. secundum Isidorum. 21. distin. cleros, dicti sunt eo quod ostijs templi præsint, ipsi enim claues tenentes, omnia intus extra quoque custodiunt: atque inter bonos, & malos habentes iudicium, fideles recipiunt, infideles respuunt, & excommunicatos repellunt. Ostiarius, cum ordinatur, post quam ab Archidiacono instructus fuerit, qualiter in domo Dei debeat cõuersari, ad suggestionem Archidiaconi, tradit ei episcopus claues ecclesiæ, de altari dicens; Sic age, sic viue, quasi redditurus Deo rationem. pro tuis rebus, quæ his clauibus recluduntur. Clauium ergo traditio, & verba præmissa sunt huius sacramẽti substantialia, cetera sunt solemnitatis. Hoc officium implemus, dum per fidẽ in ecclesiam introduximus, vel docemus. Christus hoc officium impleuit, quando dixit: Attollite portas principes vestras, & eleuamini portæ æternales &c. & quando ementes, & vendentes de templo eiecit. 16. q. 6.

DE LECTORE.

LEctor secũdum Isidorum. 21. dist. cleros. à legendo: Psalmista à psalmis canendis, vocati sunt. Lector enim prædicat, idest, legit, siue recitat populis, quæ sequantur: Psalmista vero canit, ut excitet ad compunctionem animos audientium. licet quidam lectores ita miserabiliter pronuncient, scilicet alte, & per uocem sonoram, ut quosdam ad luctum, lementationesq; compellant. Ad lectores quoque pertinet lectiones, & legẽdas in matunis pronũciare, & ea, quæ Prophetæ vaticinati sunt. lector cum ordinatur, facit de illo verbum ad plebem, indicans eius fidem, ac vitam, atque ingenium. Post hoc, spectante plebe, tradit ei codicem, in quo lecturus est, dicens: Accipite, & esto relator verbi Dei, habiturus, si fideliter, & vtiliter impleueris officium, partem cum eis, qui verbum Dei ministrauerint. Codicis ergo traditio, & verba præmissa sunt de substantia huius ordinis: cetera sunt solẽnitatis. hoc officium implemus, dum male viuentes in ecclesia corrigimus, & aliquem bonis moribus instruimus. Christus hoc officium impleuit, quandoque in medio seniorum librum Isaiæ Prophetæ aperiens, legit distincte ad intelligendum, dicens: Spiritus domini super me, eo quod unxit me. &c. extra. de sac. vnc. c. vno. 1

DE EXORCISTA.

EXorciſta, ſecundum Iſidorum. 21. diſt. cleros. græce, latine adiuuãs, ſiue increpans vocatur, inuocat enim ſuper cathecumenos, ſeu ſuper eos, qui habent ſpiritum immundum, nomen domini Ieſu adiurãs per illud, ut egrediatur ab eis. Decet igitur, ut mũdum habeat ſpiritum, qui debet immundis ſpiritibus imperare. ad eum itaq; pertinet exorciſmos memoriter retinere, manus ſuper Energumenos, & Cathecumenos exorcizando imponere. 25. diſt. perlectis. Exorciſta cum ordinatur, accipiat de manu epiſcopi librum, in quo ſcripti ſunt exorciſmi; ſiue ad iurationes, dicente ſibi epiſcopo: Accipe, & commenda memoriæ, & habeto poteſtatem imponendi manus ſuper energumenum, ſiue baptizatum, ſiue cathecuminum. Libri ergo acceptio, & verba præmiſſa, ſunt de ſubſtãtia huius ordinis. cætera ſunt ſolemnitatis. Energumini ſunt, qui à dæmonibus obſeſsi ſunt, vel lunatici, ſiue morbum caducum patientes. hoc officium implemus, dum per noſtras orationes vitium diaboli de homine expellimus Chriſtus hoc officium exercuit, quando de Maria Magdalena ſeptem dæmonia eiecit.

DE ACCOLITO.

ACcoliti græce, latinè ceroferarij, vel accenſores luminum, nuncupantur. Hi ab Aaron; & filijs eius miniſterij ſui ſumpſerunt exemplum. iuxta illud Exodi: Præcipe filijs Aaron, ut offerant oleum de arboribus oliuarum puriſsimum, ut ardeat lucerna ſemper in tabernaculo teſtimonij: & collocabunt eam Aaron, & filij eius, ut vſque mane luceat coram domino: Quod ergo tunc ſacerdotes agebant, hoc nũc Accoliti faciunt in miniſterio lucernarum: quoniam præparant luminaria in ſacrario. Item ſecundum Iſidorum. 81. diſt. Cleros. 23. diſt. accolitus, cereos ferunt accenſos, dum legitur Euangelium, aut offertur ſacrificium, non ut tenebras aeris, ſed cordis illuminent. cum ſol forte eodem tempore rutilet: & ut proximis opera lucis oſtendant, atque ad ſignum lætitiæ demonſtrandum: ut ſub tipo luminis corporalis: illa lux oſtendatur. de qua in Euangelio legitur: Erat lux uera &c. Accolytus dum ordinatur, ab epiſcopo quidẽ doceatur, qualiter in officio ſuo agere debeat, ſed ab Archidiacono accipiat ceroferarium, ideſt, candelabrum cum cereo: ut ſciat ſe ad accendenda eccleſię luminaria, ideſt, cereos, dum Euangelium legitur, mancipari: accipiat autem urceolum vacuum ad ſuggerendum, ideſt, adminiſtrandum vinum in Euchariſtia, ideſt, in calicem, in quo eſt euchariſtia ſanguinis Chriſti: Præmiſſa igitur verba, & vtenſilia, ſunt huiuſmodi ordinis ſubſtantialia: cetera ſunt, de ſolemnitate. hoc officium implemus, dum ignem verbi celeſtis, quo fratres ad cognoſcendum Deum illuminentur, & inflammentur, prædicando miniſtramus: Dominus autem hoc officium, ſe habere teſtatur; cum dicit: Ego ſum lux mundi: qui ſequitur me, non ambulat in tenebris: ſed habebit lumen vitæ.

DE SVBDIACONO.

PRæmissis sacris, & minoribus ordinibus, nunc de sacris, & maioribus; qui antonomastice sacri dicuntur: subijciamus: & primo de subdiacono. Ordo enim subdiaconatus sacer hodie secundum Innocentium tertium reputatur. extra. de ætat. & qualit. ordi. & à multis: Siquidem subdiaconi nathineorum uices in ecclesia repræsentant, de quibus in Esdra legitur, quod Dauid dederat nathineos ad ministeria Leuitarum. Subdiaconi secundum Isidorũ. 25. dist. per lectis. oblationes in templo Domini à fidelibus suscipere, & Leuitis super ponendas altaribus deferre: Calicem, & patenam ad altare Christi deferre, Leuitis tradere: eisq; ministrare: vrceolum quoque cum vino, & aqua, manile, & manutergium tenere: episcopo, presbytero, & leuitis pro lauandis in altare manibus, aquam præbere, corporalia, & substratoria lauare. Subdiaconus cum ordinatur, quia manus impositionem consecratoriam non accipit: patenam de manu episcopi vacuam, & calicem vacuum accipiat, dicente sibi episcopo: Vide cuius ministerium tibi traditur, de manu vero Archidiaconi pro eo, quo in eius adiutorium consecratur, accipiat vrceum scilicet cum vino, & aqua: manile: ideſt, bacile, & manutergium. Præmissa igitur verba, & vtensilia sunt huiusmodi sacramenti Substantialia: cetera sunt de solemnitate. Subdiaconus autem utitur amictu, alba, & baltheo, & insuper tunica, & sudario. tunicam strictam ponat: ut se iustitia quasi lorica induat. sudario, ut sordes à vasis ex tergat. hoc officio congrue, & digne vtitur, qui tantæ munditiæ est, q̃ ipsius exemplo, & consilio ceteri à sordibus criminum lauentur. Christus hoc officium exercuit, quando in Cana galileę de aqua vinum fecit: & quando, cœna facta, mittens aquam in peluim, pedes discipulorum lauit.

DE DIACONO.

DIaconi græcè dicuntur, hebraicè Leuitæ. Latine vero ministri, siue assumpti; siue offerentes, secundum Isidorum. 31. dist. lex. 21. dist. cleros diaconorum. quidam ordo in lib. numerorum à tribus Leui filij Iacob sumpsisse legitur exordium: & inde leuitæ, ideſt assumpti vocabantur. Sunt ad auxilium sacerdotum, ut Eleazar, & Ithamar.

Diaconatus ordo, unde initium duxerit.

IN nouo testamento ordo iste ab Apostolis sumpsit initium, qui septem viros boni testimonij plenos Spiritu sancto diaconos elegerunt. Vnde & Sancti patres decreuerunt. 93. distin. diaconi. & cap. seq. & in matrice ecclesia septem diaconi circa altare Pontifici in celebratione Missæ assistant.

Diaconus qualiter instituatur.

AD diaconos, quidem pertinet assistere Sacerdotibus, & ministrare in omnibus, quæ aguntur in sacramentis Christi in Baptismo, in chrismate, in patena, & in calice, oblationes, ideſt hostias inferre, & disponere in altari: componere etiam, ideſt, ornare mensam domini in altari, atque vestire. Crucem ferre, puta in processionibus: & prædicare, ideſt, legere euangelium.

lium.vnde cum ordinatur, ideo ſtola, per quam Chriſti iugum ſignificatur, accipit: quia Euangelium,in quo de ipſo iugo lecturus eſt,continetur. Diaconus dalmatica vtitur, vt diſcat occultam rationem ſublimium indagare. Ad hæc Diaconus cum ordinatur,traditur ſub certis verbis, ſtola,& codex euangelij:quæ res, & verba ſunt huius ſacramenti ſubſtantia: cetera ſunt de ſolemnitate. ideo autem ſtolam accipit,quia Euangelium, quod per Chriſti iugum figuratur,lecturus eſt. hoc officio vtitur, qui corpus & ſanguinẽ Chriſti' diſcrete diſpenſat, & qui ad orandum & vigilandum ſui exemplo alios hortatur. Chriſtus uero hoc officium exercuit, quando poſt cænam Sacramentum Corporis, & ſanguinis ſui proprijs manibus Diſcipulis diſpẽſauit:& iterum quando Apoſtolos hortatus ad orandum. dicens: Vigilate, & orate, &c. & quando euangeliũ prædicauit.

De Sacerdote, & unde duxerit initium.

SAcerdotalis ordinis inſtitutio à veteri lege exordium ſumpſit. Dominus namque legitur præcepiſſe Moyſi: Applica inquit,fratrem tuum Aaron ad te, cum filijs ſuis, de medio filiorũ Iſrael,vt ſacerdotio mihi fungatur. Vnxit ergo Moyſes Aaron in maiorem ſacerdotem:filios vero in minores:vnde Propheta inquit: Moyſes, & Aaron in in Sacerdotibus eius, ideſt, primi, & ſummi inter ſacerdotes fuerunt:ipſe tamen Moyſes prior fuit, quam Aarõ, ordine, & etiam maior adminiſtratione.22.diſtin. ſacro. in gl.nouo quoque teſtamento Chriſtus maiores, & minores conſtituit: videlicet.12.Apoſtolos & ſeptuaginta duos Diſcipulos, per Apoſtolos electos, quos permittebat binos in omnem Ciuitatem, & locum, quo ipſe erat venturus. 21.diſtin.in nouo ſicut enim Deus per Moyſem ſummos Pontifices regendis populis in lege præfecit: & ad eorum ſocietates, & operis adiumentum ſequentis ordinis viros, & ſecundæ dignitatis elegit. Nam in Eleazaro, & Ithamar filijs Aaron paterna transfunditur plenitudinis abundantia:vt ad hoſtias ſalutares, & frequentioris officij ſacramenta miniſterium ſufficeret ſacerdotum,& ſicut in eremo per. 70.virorum prudentium mentes Moyſi ſpiritu propagauit: quibus *ille vſus in populo innumerales multitudines facile gubernaret*,ſic & Chriſtus Apoſtolis ſuis Diſcipulos addidit, quibus illi totum orbem,ſanctis prædicationibus repleuerunt.

Presbyter qui dicatur.

SEcundum Iſidorum. 21. diſt.clero. presbyter gregcè, latinè ſenior interpretatur.non modo pro ætate,vel decrepita ſenectute: ſed propter honorem,& dignitatem,quam accipit.ſenectus enim venerabilis eſt, & cani ſunt ſenſus hominis.extra de tranſla. quanto.2.q.6.anterior.dicitur autem presbyter,quaſi alijs præbens iter,uel præbens beatum iter, videlicet populo de exilio mundi ad patriam Paradiſi.

Presbyteratus inſtitutio.

SAne, ei qui in presbyterũ ordinatur, traduntur ſub certis verbis, ſtola, & caſula, calix cum patena,& etiam inungitur, quę res, & verba ſunt de huiuſmodi ſacramẽti ſubſtantia: cetera vero præcedentia, & ſequentia

ſunt

sunt de solemnitate. hoc officiū Christus exercuit, quando post cænam panem,& vinum in corpus,& sanguinem sub diuina virtute cōuertit dicēs Apostolis: Accipite, & comedite, hoc est corpus meum &c. excellentius quoq; vsus est hoc officio, cum pro peccatis humani generis seipsum in ara Crucis obtulit patri idē episcopus, sacerdos, & hostia: & adhuc glorioſius implet, dum sedēns ad dextram patris, interpellat pro nobis.

DE EPISCOPO.

PRopter ea, quę specialiter officio episcopali incumbunt, episcopatus inter ordines in sacris canonibus connumeratur. 22. dist. clero. in princ. extra de pur. can. quo.& consecra. eccles. vel alta. c. penul. episcopi autem nomen plus sonat oneris: quàm honoris. nam episcopus græcè, super intendens interpretatur latinè, speculatoris officium gerens. 21. dist. cleros. ea prępositus in ecclesia. speculator dictus est. iuxta quod dominus inquit Prophetæ: Fili hominis, speculatorem dedi te domui Israel. ut plebi sibi commissæ non negligenter incumbat: sed vitam, & mores eorum, & cuncta diligenter prospiciat.

Episcopi sedes in ecclesia, & eius significatio.

QVia ergo episcopus speculator est; ideo; ex institutione Clementis primi cathedram, siue locus eius in ecclesia altior est: ut super intendat, & populum custodiat, omnesque conspiciat. illum cuncti sicut vinitori altior locus est pro vinea custodienda. ob hoc inquit Apostolus: Qui episcopatum desiderat, bonum opus desiderat. 8. q. 1. qui episcopatum. non dixit honorem, sed opus: quoniam episcopus non tam, ut præsit, quàm, ut prosit, eligitur. Faldistorium episcopi, spirtualem iurisdictionem annexam pontificali dignitati designat.

Episcopus qua die, & hora consecratur.

SAne consecratio episcopalis, in qua spiritus sanctus digne sumentibus adest, datur semper in die dominica, & hora tertia fit. 75. distin. c. 1. quoniam. ipsi episcopi vicem Apostolorum obtinent: quibus in die Pentecostes, & hora tertia spiritus sanctus datus est, non tamen potest quis in episcopum consecrari die illa, qua in presbyterū ordinatur: sed & iuxta canonum statuta. 78. dist. si forte.

Trium autem episcoporum ad minus computato metrapolitano prędentia requiritur, ratione, & exemplo. Ratione, ne tantum beneficium videatur furtiue præstitum. pro illo pariter preces ad Deū effundat. Et exemplo: quia & Iacobus frater domini: à Petro, Iacobo, & Ioanne Apostolis ordinatus est episcopus Ierosolimitanus. 65. dist. porro. manus vero impositio, sumpsit exordium ab Isaac, qui, dum Iacob benedixit, imposuit ei manum Gen. 27. & Moyses Iosue cum eo populo Præfecit. Numer. 27. Sciendum est, ꝙ ipse sabbato, hora vespertina, examinatur de moribus, & status præteritæ vitæ, ubi ter benedictio petitur, ut sancta trinitas in ordinatione præsse mó strętur. Mane vero sequenti examinatur de futura consecratione, & fidei, & primitiuæ ecclesiæ institutione, propter suspectos in fide, moribus, & con-

ditione.

ditione. deinde vnguntur manus eius, & datur mitra ei in capite in signum, q benedictionem omnium gentium dedit illi, & testamentum suum confirmauit super caput eius.

Sacerdotes mediatores inter Deum, & hominem.

MEdiatores enim sunt sacerdotes inter Deum, & homines, dum & præcepta Dei populo deferunt prædicando: & vota Deo porrigunt supplicando: Quo circa tales debent existere, ut & Deo grati, & hominibus sint accepti. Nam ut ait Alexander Papa. 1. q. 1. Christi sacerdotes, quanto digniores fuerint, tanto facilius in necessitatibus populi, pro quibus clamant, exaudientur.

DE INDVMENTIS.

De indumentis, seu ornamentis ecclesiæ Sacerdotum, atque Pontificum & aliorum ministrorum, vestium sacrarum vsus non debet esse quotidianus.

IN quotidiano vsu non est vestibus sacris vtendum. adnotandum, quod sicut mutationem habitus secundum literam facimus, ita & secundum spiritum agamus. non ergo cum vestibus communis vitæ vsu pollutis, in sancta sanctorum ingrediamur, sed cum conscientia munda, & vestibus mundis, & sacris Dei sacramenta tractemus. de consec. dist. 1. cap. 1. Vnde Stephanus Papa. de consec. dist. 1. de vestimenta, statuit sacris vestibus non nisi in ecclesiasticis, & Deo dignis officijs vti. & Ezech. Non sanctificabant populum in vestibus suis. habet ergo religio diuina aliũ habitum in ecclesiasticis officijs: alium communi vsu, ut cuncto populo christiano exemplum præbeat bonæ conuersationis: quatenus loti prius sordes noui Christo fiant homines.

Vestes sacræ unde duxerint initium.

SAcræ autem vestes à veteri lege videtur assumptæ. præcepit enim Dominus Moysi, ut faceret Aaron sacerdoti, & filijs eius, vestes sanctas in gloriam & decorem: ut loti & sacris vestibus induti fungerentur officio in sacris. Exod. 27. 31. 35. & 40. c. Docuit enim dominus Moysem per 40. dies facere pontificalia, sacerdotia, vestimẽta, sacerdotibus, & leuitis suis: ornamenta quoque, & linteamina: sed & Maria fecit, & texuit illam in vsum ministerij tabernaculi fœderis. & ecclesiast. 47. dedit celebrationibus decus. &c.

Vestes episcopales.

POntifex celebraturus, exuit vestes quotidianas, & induit mundas, & sacras. Primo sandalia calciat, vt sit memor dominicæ incarnationis Secũdo sibi imponit amictum, vt motus, & cogitatus, fauces, & linguam cohibeat, vt fiat cor mundum, spiritum rectum percipiens in uisceribus innouatum. Tertio albam talarem, vt habeat munditiam carnis perseuerantem. Quarto cingulum, vt impetus luxuriæ refræ net. Quinto stolam, in signum obedientiæ. Sexto tunicam iacinthinam, ideſt, cælestem conuersationem. Septimo, super induit dalmaticam, ideſt, sanctam religionem, & carnis mortificationem. Octauo, chirotecas, vt declinet uanam gloriam. Nono, annulum,

vt

vt diligat sponsam; ideſt, ecclesiam, sicut se. Decimo, Casulam, ideſt, charitatem. Vndecimo sudarium, vt quicquid fragilitate, uel ignorantia peccat, pœnitentia tergat. Duodecimo palliũ super ponit, vt se ostendat imitatorem Christi, qui languores nostros tulit. Decimotertio mitram, vt sic agat, ꝙ coronam mereatur accipere æternam. Decimoquarto baculum, ideſt, auctoritatem potestatis, & doctrinæ.

Superpellicij vsus, & significatio.

SVper pellicium autem primo, propter sui candorem, munditiam, seu puritatem castitatis designat. iuxta illud: Omni tempore vestimenta, ideſt, opera sint candida, & munda. propter nomen uero suum carnis mortificationem figurat. Secundum, dictum est superpellicium, eo quod antiquitus super tunicas pelliceas depellibus mortuorum animalium factas induebatur, quod adhuc in quibusdam ecclesiis obseruatur, repræsentant, quòd Adam post peccatum talibus uestibus usus est. Tertio denotat innocẽtiam: & ideo ante omnes alias vestes sacras sæpè induitur: quia diuino cultui deputati innocentia vitę cunctis virtutum actibus super pollere debent: iuxta illud. Psal. Innocẽtes: & recti ad hæs erunt mihi.

Amictus vsus, & significatio, & numerus.

PRimo de sex ornamẽtis, episcopis, & sacerdotibus communibus, est secundum præmissa dicendum. Lotis itaque manibus, episcopus, seu Sacerdos celebraturus assumit amictũ: quo caput tegitur, quem Pontifex loco Ephod, siue super humeralis, & rationalis habet: & nunc etiam super humerale vocari potest significans salutem, quæ per fidẽ tribuitur. significat enim castitatem cordis, & corporis: quia & renes, & pectus ambit, & tegit, & omnibus sacris vestibus supponitur, sed omnibus supereminet: quia castitas etiam debet esse intus in pectore, & foris nitere in opere.

ALBA.

POst amictum, camisiam, siue albam sacerdos induit, quæ membris corporis conuenienter apta, nihil superfluum, aut dissolutum in uita sacerdotis, aut in eius membris esse debere demonstrat: hæc ob speciem candoris mundiciam demonstrat, secundum ꝙ legitur: Omni tempore vestimẽta tua sint candida. Sit autem bisso, uel lino propter, quòd scriptum est: Bisinum sunt iustificationes sanctorum. est autem bissus, linum ægyptiacum. sicut enim linum, uel bissus candorem, quẽ ex natura non habet, multis tonsionibus attritum, acquirit per artem: sic & hominis caro, munditiam, quam non obtinet per naturam, per exercitij bonorum operum, multis castigationibus macerata sortitur per gratiam.

CINGVLVM.

DEbet autem alba circa lumbos sacerdotis, seu Pontificis zona, seu cingulo præcingi, ne defluendo incessum impediat: vt castitas sacerdotis per albam significata, nullis incentiuorum stimulis dissoluatur. Cingulum namque continentiam significat, unde sint lumbi vestri præcincti; & lucernæ ardentes in manibus uestris. in lumbis

quidem luxuria dominatur, sicut dominus loquens de diabolo, manifestat: Virtus eius in lumbis eius, & fortitudo eius in umbilico ventris illius. de pœniten. dist. 2. sic enim inquit ad li.

MANIPVLVS.

QVia uero mentibus bene compositis: & diuino cultum mancipatis, sæpe subrepit accidia, quæ quodã corpore reddit animum dormientem. Psal. Dormitauit anima mea præ tædio: ideo in sinistra manu ministri ad altaris ministerium accedentis quædã apponitur manipula; quæ fanum, uel manipulus, uel sudarium appellantur: quatenus sudorem mentis abstergat, & soporem cordis excutiat, bonis operibus inuigilet, depulso tædio, uel torpore. per manipulum enim bona opera, uel uigilantia designantur; de qua dominus ait: Vigilate: quia nescitis, qua hora filius hominis uenturus sit.

STOLA.

POst manipulum sacerdos orariũ, siue stabdom, leue domini iugũ significat. 23. d. ecclesiastica: siue quæ est iugum præceptorum domini, super collum sibi imponit, & iugum domini se suscepisse demonstrat, quam cum osculo sibi imponit, & deponit, ad notandum assensum, & desiderium, quo subijcit se huic iugo: illa autem à collo per anteriora descendens, dextrum, & sinistrum latus adornat: quia per arma iustitiæ à dextris, & à sinistris, idest, in prosperis, & in aduersis Sacerdos debet esse munitus: quatenus nec aduersis frangatur, nec prosperis eleuetur.

PLANETA.

POstremo, super omnes vestes induitur casula, quæ quasi, paruacasa dicitur: à Græcis Planeta dicitur à planon, quod est error quoniam errabundus eius limbus super brachia eleuatur. significans charitatem, sine qua sacerdos est, sicut æs sonans, aut cimbalum tinniens. sicut enim charitas operit multitudinem peccatorum, & omnia legis, & prophetarum mandata cõtinet, dicente Apostolo: Plenitudo legis est charitas: sic & hęc vestis cuncta plana, & alia omnia indumenta intra se claudit, & continet.

CALIGAE ET SANDALIA

SVperius de sex ornamentis, tam sacerdotibus, quàm episcopis communibus, dictum est. nunc autem de nouem Pontificum spiritualibus dicendum restat, & prius de caligis, & sandalijs videamus, uestimentum autem pedum non habuit originem ab Aarõ: qui dũtaxat in Iudea conuersabatur: ideoq, necesse non habuit: sed ab apostolis, quibus dictum est: Euntes docete omnes gentes. Celebraturi igitur Pontifices, pedes interea, dum dicuntur quinque Psalmi in præparatione Euangelij pacis, Calligis, & sandalijs calciantur, quorum pulcritudinem admirabatur Propheta dicens: Quàm speciosi pedes euangelizantium pacẽ, euangelizantium bona: & in euangelio legitur, dominum misisse discipulos suos sandaliis calciatos utique in præparatione Euangelij pacis. Cogitent episcopi cur ita calciati sint, imitentur eorum exempla, quorum imitantur cal-

calciamenta. debent namque habere affectus,& desideria calciatam, ne puluere terrenorum, seu tẽporalium maculentur. per huiusmodi quoque calciamentum prohibitio pedum congrue intelligitur, videlicet ad illicita festinent. prius tamen, quàm sandalia pedibus imponantur, caligis induuntur, usque ad genua protensis, ibique constrictis : quia prædicator pedibus suis rectos debet facere gressus suos,& genua debilia roborare.

SVCCINCTORIVM.

ROmanus Pontifex, post Albam, & cingulum : assumit succinctorium, uel orale, quandam, uidelicet sindonem, quod capiti quasi in modum veli imponit: & replicat super humeros, & ante pectus legalis Pontificis ordinem sequens, qui post lineam stricam,& zonam induebat, Ephod. idest super humerale, cuius locum modo tenet amictus. Assumit etiam crucem quandam catenulis insertam, quam à collo suspẽsam sibi statuit ante pectus.

TVNICA.

POst appositam stolam Pontifex induit tunicam, quæ alibi subtile, in lege vero talaris dicebatur, significantem perseuerantiam. Vnde Ioseph inter fratres suos talarem vestem describitur habuisse. cum enim ceteræ virtutes in stadio currant, perseuerantia tantum accipit brauium: quoniam qui perseuerauerit vsque in finem hic saluus erit. de pẽn. dist. 2. Apostolus.& c. multi. Rursus ideo post albam tunicam induitur: quia sicut per albam castigatio corporis; ita per tunicam virtutes intimæ intelliguntur, quas semper debet habere perfectus. porro tunica non cingitur: quia secundum sui formam, iter non impeditur: sic & virtutes per illam designatæ, liberum iter ad cõtemplationem Dei prębẽt: sed alba cingitur sub cingulo, pro vt dictum est.

DALMATICA.

POntifex immediate super tunicam, Dalmaticam uestit, secundum institutionẽ Siluestri Papæ, quæ ab inconsutili domini tunica, & apostoloruni colobio creditur mutuata. erat autem vestis sine manicis, prout in cuculla monachali apparet. Sed Siluester Papa in Dalmaticam uertit latas manicas, addendo in sacrificijs altaris portandam instituit ut 93. distinctione diaconi. ita dicta est autem Dalmatica, eo quod in Dalmatia, & post omnia alia indumenta sacerdotalia sint reperta. hæc sui forma significat largitatem, eo quod largas habet manicas,& protensas. unde secundum apostolum : Oportet episcopum non esse turpi lucrum cupidum, sed hospitalem. 47. d. 88. d. consequẽs.

CHIROTECA.

QVia plerique bonum opus, quod faciũt, inani fauore corrumpũt: ideo statim post indutam Dalmaticã Pontifex iuxta ritum apostolorum manus operit chirotecis, vt nesciat sinistra sua, quid faciat eius dextera. Per chirotecam ergo, cautela congrue designatur, quæ hic facit opus in publico,

quod intentionem continet in occulto. Per chirotecas quoque in manibus, exempla sanctorum, quæ in operibus habenda sunt, intelliguntur, quæ opera ab omni inquinamento mundata sunt, ne modicum fermenti totam massam corrumpat.

MITRA.

POST quam episcopus planetam induit, mitra loco cidaris, seu tyaræ, seu infulæ capiti eius imponitur. iuxta illud: Gloria, & honore coronasti eum domine. Sed & Papa coronam frigium lorum, super humerale clamide purpuream, & tunicam iacintinam habet ex concessione Constantini Imperatoris. 96. d. Constantinus. Mitra autem scientiam utriusque testamenti designat. duo nanque illius cornua, duo sunt testamenta: anterius nouum. posterius uetus: quæ duo episcopus memoriter debet scire. 23. q. 1. Episcopus. & illis tanquam duplici cornu fidei inimicos ferire. Duæ uero fimbriæ posterius dependentes, spiritus, & litera sunt. Mitra etiam quia quandoque linea est & alba, castitatis candorem, munditiamque significat.

ANVLVS.

ANulus est fidei sacramentum, quo Christus sponsam suam sanctam ecclesiam subarrauit. vt ipsa de se dicere ualeat: Anulo suo subarrauit me, dominus meus Iesus Christus. cuius custodes, & pedagogi sint episcopi, & prælati. anulos pro signo in testimonium huius rei ferentes: de quibus spōsa dicit in canticis: Inuenerunt me uigiles, qui custodiunt ciuitatem. Anulus ergo Pontificis integritatem significat fidei, vt uidelicet ecclesiam Dei sponsam sibi creditam, sicut se diligat, & sobriam, & castam, cælesti sponso custodiat, iuxta illud: Despondi enim vos uni uiro, ideſt, Christo. & se meminerit, non dominum, sed pastorem. 6. q. 1. sicut alterius.

BACVLVS PASTORALIS.

BAculus pastoralis, correctionem pastoralem significat, propter qđ à consecratorum dicitur consecrato: Accipe baculum pastoralis officij, vt sis in corrigendis uitiis pie sæuiens. de quo dicit Apostolus: *In virga ueniam ad uos. virga igitur pastoralis potestas* intelligitur sacerdotalis, quam Christus eis contulit: quando apostolos ad prædicandum misit, precipiens eis, vt baculos tollerent, & Moyses cum uirga missus est in Aegiptum. de hoc dictum est.

SVDARIVM.

EX prædictis nouem specialibus Pontificum ornamētis, aliqua de quibusdam alijs, & primo de sudario. uideamus, quod lineus pannus, quem ministrans episcopo semper paratum habet, quo ille sudorem, & omnem superfluum corporis tergat humorem: significans studium, quo humanitas cogitationes in hac uita extergimus per exempla patrum sanctorum: quibus ad patientiam corroboramur.

PALLIVM.

COnsequenter aliqua de pallio subijciamus: quod Patriarcarum;

pri-

primatum, & Metrapolitanorum est proprium: vt per illud à ceteris episcopis discernantur: quod priuilegiatam obtinent dignitatem. quare sub præmissis communibus, uel specialibus ornamentis minime continentur. si quidem per pallium, simul utrunque, & superhumerale, & rationale legalis Pontificis intelligimus, quia super utrunque Pontificis humerum iacet. Superhumerale dicitur, quia inde descendens in ipso Pontificis pectore iungitur. Rationale uocatur sane pallium, quo maiores utuntur, significat disciplinam, qua seipsos ad exemplum subditorum, & etiam ipsos subditos regere, & constringere debent. Sed unus Metrapolitanus non potest cum alterius pallio celebrare: neque pari ratione sepeliri, sed cum proprio tantum. extra. de usu pallij, ad hoc palliatus. tamen ad aliam translatus, cum pallio secundo loco sibi concesso sepelitur. Item palliatus ad aliam translatus ecclesiam, non potest ibi uti pallio in prima ecclesia obtento, quia non solum datur contemplatione personæ, uerum etiam locis extra. de post. bonæ. 2. ad fin. hinc est, quod non potest vti eo extra prouinciam sibi decretam: extra de usu pallij cum nuper. & c. ex tuarum.

DE QVATVOR COLORIbus, quibus ecclesia in ecclesiasticis utitur indumentis.

QVatuor sunt principales colores, quibus secundum proprietatem dierum, sacras uestes ecclesia distinguit: Albus, rubeus, niger, & uiridis.

ALBVM.

ALbis indumentis vtendum est festiuitatibus sanctorum confessorum, & Virginum, qui martyres nõ fuut: propter integritatem, & innocentiam. Propter eandem causam, utendum est albis in solemnitatibus Angelorum: Item in omnibus festis sanctæ Dei Genitricis Mariæ: In festo omniũ sanctorum: In principali festo sancti Ioannis Euangelistæ: In conuersione S. Pauli: In cathedra sancti Petri: Item à vigilia natiuitatis Domini usque ad octauam Epiphaniæ, inclusiue: In natiuitate Saluatoris, & etiam præcursoris, quoniam uterque natus est mundus.

RVBEVM.

RVbeis autem utendum est indumentis, in solemnitatibus Apostolorum, Euangelistarum, & Martyrum, propter sanguinem passionis, quem pro Christo fuderunt: In festo crucis: Item à uigilia Pentecostes in missa usque ad sabbatum post ipsum festum exclusiue: & hæc propter spiritus sancti feruorem, qui super apostolos in igneis linguis apparuit.

NIGRVM.

NIgris vtendum est, feria sexta in Parasceue, & in diebus afflictionis, & abstinentiæ pro peccatis, & etiã in rogationibus, & in missis pro defunctis, & ab aduentu vsque ad vigiliam natiuitatis, & à septuagesima vsque ad sabbatum paschæ.

VIOLACEVM.

VIolaceo autem colore vti, in diebus, quibus est vsus nigri coloris, non est inconueniens, vnde ecclesia Ro-

Romana, vtitur colore violaceo, à prima dominica Aduẽtus, usque ad Missum vigiliæ natiuitatis domini inclusiue: & à Septuagesima, vsque ad officiũ Missæ vigiliæ Paschæ, exclusiue: Item violaceo colore in quatuor temporibus Septembris & in vigilijs sanctorũ, in quibus est ieiunium, quando missa est de vigilia, & in diebus rogationum, & in missa, quæ dicitur in die sancti Marci.

VIRIDE.

REstat ergo, quod in diebus ferialibus, & communibus, viridibus sit indumentis vtendum, quia viridis color est inter albedinem, & nigredinem, & ruborem, & specialiter inter octauam Epiphaniæ, inter Septuagesimam, & inter Pentecostem, & Aduentum: quando dominicale agitur officium, hic color exprimitur, vbi dicitur: Ciprico nardo, nardus, & crocus.

DE MISSA.
& de singulis, quæ in missa aguntur.

MIssa quotidie dicitur secundũ ordinem officij: de festo duplici, vel semiduplici, vel simplici, de Dominica, vel feria, vel de octaua: & extra ordinem officij votiua, uel pro defunctis.

De festo duplici.

MIssa dicitur de duplici, illis diebus, quibus in Calendario ponitur hæc nota: duplex. & festis mobilibus, quandocunque officium sit duplex. Induplicibus dicitur vna tantum oratio, nisi aliqua commemoratio fieri debeat. alia omnia dicuntur, ut in proprijs missis, assignatum est. Quando dici debet, Gloria in excelsis, & Credo, inferius dicetur in proprijs locis.

De semiduplici, & simplici.

MIssa de semiduplici dicitur, quando in Calendario ponitur hæc vox: semiduplex. propterea in dominicis, & diebus infra octauas, dicuntur plures orationes. infra octauam dicitur missa, sicut in die festi, nisi propriam missam habuerit: in dominicis vero sicut locis assignatur: De simplici dicitur missa sicut de semiduplici, ut suis locis ponitur.

De feria, & vigilia:

MIssa de feria dicitur, quando non occurrit festum, uel octaua, uel sabbatum, in quo fit officium Beatæ Mariæ. Inferijs tamen Quadragesimæ, Quatuor temporum, Rogationum, & Vigiliarum, etiam si duplex, uel semiduplex festum, vel octaua occurat in ecclesijs collegiatis, dicuntur duæ missæ, vna de festo, alia de feria. In vigilijs autem, quæ veniunt infra octauam, missa dicitur de vigilia cum commemoratione octauæ. Si festum habens vigiliam celebretur feria secunda, missa vigiliæ dicitur in sabbato, sicut etiam fit officium, excepta vigilia Natiuitatis domini, & Epiphanię. Missa vigiliæ in aduentu occurrentis, dicitur cum commemoratione de aduentui, licet de ea nõ sit factum officium. Si in Quadragesima, & Quatuor tempporibus occurrat vigilia, dicatur missa de feria cum commemoratione vigiliæ. Toto tempore paschali, non dicitur missa de vigilia, nisi in vigilia Ascensionis, quæ tamen non ieiunatur, sicut nec vigilia Epiphaniæ.

De missis votiuis Sanctæ Mariæ, & aliis.

IN sabbatis non impeditis festo duplici, vel semiduplici, dicitur missa de Sancta Maria secundum varietatem temporum, ut in fine missalis ponitur. Si sabbatum fuerit impeditum festo duplici, semiduplici, octaua, uigilia, feria, quatuor temporibus, & quadragesima, missa principalis dicitur secundum officium diei.

In aduentu, licet officium non fiat de sancta Maria in sabbato, dicitur tamen missa principalis de ea. cum cõmemoratione, de Aduentu, nisi fuerint quatuor tempora, ut supra.

Alijs diebus infra hebdomadam, quando officium fit de feria, exceptis ferijs Aduentus: Quadragesimę, Quatuor temporum, Rogationum, & Vigiliarum, dici potest aliqua missa uotiua, etiam in principali missa, quæ dicitur conuentualis, secundum ordinem dierum in fine missali assignatum: quę tamen missæ, & aliæ, quæcunque uotiuæ, in missis priuatis dici possunt pro arbitrio sacerdotum, quocunque die officiũ non est duplex. id uero passim non fiat, nisi rationabili de causa, & quo ad fieri potest, missa cum officio conueniat.

CONFESSIO MISSAE.

SAcerdos cum primum descenderit ad infimum gradũ altaris, cõuertit se ad ipsum altare, ubi stans ante illud iũctis manibus ante pectus, detecto capite, facta prius cruci, uel altari reuerentia, erectus incipit missam, producens manu dextera à fronte ad pectus signum crucis, dicit intelligibili uoce: In nomine Patris, & filij, & Spiritus sancti. Amen.

Notandum.

POstquam inceperit, non debet amplius aduertere quemcunque aliũ in alio altari celebrantem, etiam si sacramentum eleuet. sed cõtinuate prosequi missam suam usque ad finem.

Cum se ipsum signat, sinistram ponit infra pectus: in alijs benedictionibus, cui est ad altare, se ipsum non benedicit, sed oblata, uel aliquid aliud ponit eam super altari. Se ipsum benedicens, uertit ad se palmam manus dextræ, & omnibus illius digitis iunctis, & extensis à fronte ad pectus, & ab humero sinistro ad dextrum signum crucis format. Si uero, alijs, uel rem aliquam benedicit, paruum digitum uertit ei, cui benedicit, ac benedicẽdo, totam manum dextram extendit omnibus illius digitis pariter iunctis, & extensis. quod in omni benedictione obseruatur.

Post quam dixerit: In nomine patris &c. ut supra, iungit manus ante pectus, pronuncians clara uoce Antipho. Introibo ad altare Dei. Minister retro post eum ad sinistram genuflexus, respondit: Ad Deum, qui lætificat. &c. Deinde sacerdos eodem modo stans incipit, & prosequitur cum ministro alternatim psalmũ: Iudica me Deus, usque ad finem. Quo finito repetitur Antiphona: Introibo.

Qui psalmus, nunquam prætermittitur, nisi in missis defunctorum, & in missis de tempore à dominica Passionis inclusiue, usque ad sabbatum sanctum exclusiue. in quibus semel tantũ dicta Antiphona: Introibo, statim sub

iungit:

iungit: Adiutorium nostrum, &c.

Deinde caput, seque inclinans altari profunde dicit: Confiteor Deo. &c. & prosequitur eodem modo stans inclinatus, donec a ministro dictam sit: Misereatur. cum incipitur à ministris Cõfiteor, se erigit. cum dicit: Mea culpa, ter pectus dextra manu percutit. facta confessione à circunstantibus: celebrans stans respondit: Misereatur uestri, &c. deinde producens manu dextra à fronte ad pectus signum crucis dicit: Indulgentiam &c. & stans capite inclinato prosequitur: Deus tu conuersus, &c. & quæ sequuntur in ordinario, clara uoce, usque ad orationem: Auferà nobis. &c. quam dicit secreto. deinde accedit ad infimum gradum ante medium altaris, & ibi dicit: Auferà nobis &c. Dicto Auferà nobis &c. celebrans iunctis manibus ascendit ad medium altaris: ubi stans capite inclinato, & iunctis manibus super altare positis; ut digiti parui duntaxat frontẽ; seu medium anterioris partis altaris tangant, residuo manuum inter altare, & se retento, pollice dextro super sinistrum in modum crucis posito (quod semper obseruatur, cum manus iunctę super altare ponuntur) secreto dicitur: Oramus te domine, &c. quo dicto osculatur altare in medio, manibus extẽsis, hinc inde super altare positis, quod in omni de osculatione altaris seruatur: sed post consecrationem pollices ab indicibus non diiunguntur.

Introitus.

OSculato altari, accedit ad cornu sinistrum altaris, ideſt epistolæ, ubi stans uersus altare, & producens à fronte ad pectus signum crucis incipit intelligibili uoce Introitum missæ: & prosequitur iunctis manibus. Cum repetit introitum non signat se, ut prius: & eo repetito, iunctis manibus ante pectus, accedit ad medium altaris, ubi stans uersus illud, similiter manibus iunctis, dicit eadẽ uoce: Kirie eleison, ter. Christe eleison, ter. Kirie eleison, ter. alternatim cum ministris.

Gloria.

DIcto ultimo Kirie eleison, facerdos ibidem, vt prius stans, & manus extendens, eleuansque, & iungens, uoce prædicta incipit, si dicendũ sit, Gloria in excelsis Deo. cum dicit Deo, caput cruci inclinet: quo erecto, stans iunctis manibus, vt prius, prosequitur vsque in finem. cum dicit: Adoramus te, gratias agimus tibi, Iesu Christe, susci*pe deprecationem nostrã*, & iterum Iesu Christe, caput cruci inclinat. cum dicit in fine: Cum sancto spiritu, se ipsum à fronte ad pectus signat, interim perficiens: In gloria Dei patris, amen.

Dicto hymno: Gloria in excelsis, vel si non sit dicendus, eo misso: celebrans osculatur altare in medio manibus hinc, inde super illo, ut supra, extensis: tum iunctis ante pectus manibus, demissis in terram oculis, vertit se ad manum sinistram, hoc est, ad latus dextrum versus populum, & extendẽs, ac iungens manus ante pectus, ut prius, dicit voce prædicta:

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

Orationes.

IVnctis, ut prius, manibus reuertitur per eandem viam ad librum: vbi extendens, & iungens ante pectus manus, caputque cruci inclinans dicit: Oremus: tum extendit manus ante pectus,

ctus, ita ut palma vnius manus respiciat alteram, digitis simul iunctis. quorum summitas humerorum altitudinem, distantiamque nō excedat: quod in omni extensione manuum ante pectus seruatur. Stans autem, ut supra, extensis manibus, dicit orationē. cum dicit per dominum nostrum. iungit manus. si aliter concluditur oratio: qui tecum, uel qui uiuis. cū dicit in vnitate, iungit manus. cum nominatur nomē Iesus, caput uersus crucem inclinat. cū in oratione nominatur nomen virginis Mariæ, uel sanctorum, de quibus dicitur missa, uel fit commemoratio. Item in oratione pro Papa, quando nominatur, caput inclinat: Si plures orationes sunt dicendæ, idem in eis in voce, extensione manuum, & capitis inclinatione, quod supradictum est, obseruatur. Si altare sit ad orientem versus populum celebrans, versa facie ad populum, non vertit humeros ad altare, cum dicturus est: Dominus vobiscum, Orate fratres, Ite missa est, vel daturus benedictionem, sed osculato altari in medio, ibi expansis & iunctis manibus, ut supra, salutat populum.

In quatuor temporibus: uel alias, quàm dicendæ sunt plures orationes cum Prophetijs, dicto kirie eleison, in medio altaris reuertitur ad cornu epistolæ: ubi stans ante librum extensis, & iunctis ante pectus manibus: & caput cruci inclinans dicit Oremus. Flectamus genua, & illico manibus super altare extensis, ut se ipsum ad altare sustineat, genuflectit, & sine mora surgens, eadem uoce dicto à Ministro: Leuate. manibus extensis dicit orationem, ut supra: & in conclusione iungit. dum autem legit Prophetias: manus tenet super librum, uel super altare positas.

In missa solemni, cum dicitur dominus vobiscum, & oratio, Diaconus, & subdiaconus stant retro post celebrantem: Flectamus genua, dicitur à diacono: à subdiacono uero, Leuate, illo primum genuflectente, hoc primum surgente.

EPISTOLA.

DIctis orationibus celebrans, positis super librum, vel super altare manibus, ita vt palmæ librum tangant, vel vt placuerit, librum tenens, legit epistolam intelligibili voce. Si solemniter celebret, legat demissa voce cum ministris; Similiter, Graduale, & Euangelium.

Lecta epistola, respondetur à ministris: Deo gratias: & similiter stans, ut prius prosequitur Graduale, Alleluia, & Tractum, ac sequentiam, si dicenda sint, quibus dictis celebrans si priuatim celebret, ipse met portat librum missalis ad alterā partem altaris in cornu euangelii: & dum transit ante medium altaris: caput Cruci inclinat: & missale sic locat, ut posterior pars libri respiciat ipsum cornu altaris, & non ad parietem, siue ad partem eius in se directam.

EVANGELIVM.

LOcato missali in altari celebrans redit ad mediū altaris, & ibi stans profunde inclinatus, iunctis manibus, ante pectus, leuatisq; ad Deum oculis, secrete dicit: Munda cor meum: & Iube domne benedicere: & dominus sit

in corde meo &c. Quibus dictis vadit ad librum missalis, ubi stans versus illum iunctis manibus ante pectus dicit intelligibili uoce: Dominus vobiscum. ℟. Et cũ spiritu tuo. deinde pollice dextræ manus signo Crucis signat primo librum super principio Euangelii, quod est dicturus, & postea seipsum in frõte, in ore, & in pectore dicẽs: Sequentia: vel initium sancti Euangelii, &c. ℟. Gloria tibi domine. Tum iunctis iterum, ut prius, manibus, stans ut supra, prosequitur Euãgelium vsq; ad finem, quo finito ministri respondent: Laus tibi Christe, & celebrans eleuans parumper librum, osculatur euangelium præter quàm in missis defunctorum, in quibus non osculatur: & nisi celebret coram summo Pontifice, aut Cardinali, uel coram Patriarcha, Archiepiscopo, vel Episcopo in eorũ residentiis, quo casu offertur cuilibet prædictorum osculandus liber, & ipse celebrans tunc non osculatur.

CREDO.

DIcto Euangelio, stans in medio altaris versus Crucem, eleuans, & iũgens manus, caputq; cruci inclinans, incipit dicens, si dicendum sit: Credo, cum dicit: In vnum Deum, caput cruci inclinat, quo erecto, stans ibidem ante pectus manibus, ut prius, prosequitur. vsque ad finem, cum dicit: Iesum Christum, caput Cruci inclinat, cum dicit: Et incarnatus est, vsque ad, Homo factus est, inclusiue, genuflectit, cum dicit: Et vitam venturi seculi, amen, producit sibi manu dextra signum Crucis à fronte ad pectus.

OFFERTORIVM.

DIcto symbolo, vel si non sit dicendum, dicto euangelio, celebrans osculatur altare in medio: & iunctis manibus ante pectus, ibidem manu sinistra ad dexteram vertit se ad populum, & extendens, ac iungens manus dicit: Dominus vobiscum: & iunctis manibus reuertitur per eandem viã ad medium altaris, ubi extendens, & iungens manus, caputque Cruci inclinans dicit: Oremus. tum iunctis, ut prius, manibus, dicit Offertorium, & omnia, quæ vsque ad finem missæ in medio altaris dicenda sunt, dicit ibidem stans versus ad altare, nisi vbi aliter ordinatur. dicto offertorio discooperit caput, & ad cornu epistolæ sistit. & amota parua palla desuper hostiam, accipit patenam cum hostia, & ambabus manibus usque ad pectus eam eleuatam tenens, oculis eleuatis ad Deum dicit: Suscipe sancte Pater, &c.

Si fuerint aliæ hostiæ, non super patenam, sed super corporale, uel in alio vase pro communione populi consecrandæ, calicem illum, seu uas dextra discooperit, & intentionem suam etiã ad illas offerendas, & consecrandas, dirigens, dicit, ut supra: Suscipe, &c.

Quo dicto, faciens signum crucis, cum dicta patena, ponit hostiam super corporale circa mediũ anterioris partis corporalis ante se, & patenam ad manum dextram aliquantulum subtus corporale. si autem ad vas, seu calix cum alijs hostijs, ipsum cooperit patena ipsa, uel alia palla. deinde accipit calicem, & purificatorio extergit: & accipiens ampullam aquæ, & dicit:

Deus

Deus qui humanæ ſubſtantiæ &c. & imponens parum aquæ in calice proſequitur: Da nobis per huius aquæ,& vini miſterium. Si vero celebrat pro defunctis, non facit ſignum crucis ſuper aquam, ſed imponit abſque benedictione,dicens orationem, ut ſupra.

Impoſita aqua in calice, & finita oratione prædicta, accipit calicem diſcoopertum,& ſtans ante medium altaris, ipſum ambabus manibus eleuatum tenens,videlicet cum ſiniſtra pedem, cum dextra autem nodum infra cuppam,intentis ad Deum oculis, offert dicẽs:Offerimus tibi domine,&c.

Qua oratione dicta facit ſignum crucis cum calice ſuper corporale, & ipſum in medio poſt hoſtiam collocat, & palla cooperit,deinde iunctis manibus ſuper altare poſitis, capite inclinato dicit ſecreto:In ſpiritu humilitatis, &c. Poſtea eleuans oculos, manusq; extendens, & ſtatim iungens ante pectus, quod ſemper facit, quando aliquid eſt benedicturus dicit: Veni ſanctificator, &c. cum dicit: & benedic: ſignat manu dextra communiter ſuper hoſtiam, & calicem.

Tunc iunctis ante pectus manibus, accedit ad cornu epiſtolæ, ubi ſtans, miniſtro aquam fundente, lauat manus,ideſt extremitates digitorum pollicis,& indicis dicens pſal.Lauabo inter innocentes, cum gloria patri, &c. qui uerſus gloria patri prætermittitur in miſsis defunctorum, & in miſsis à Dominica de paſsione uſque ad ſabbatum ſanctum, excluſiue.

Celebrãs, lotis manibus,eas tergit, & illis ante pectus iunctis reuertitur ad medium altaris.ubi ſtans, oculosq; ad Deum eleuans,& ſtatim dimittens, manibus iunctis ſuper altare,& capite inclinato dicit ſecrete: Suſcipe ſancta trinitas, &c. Quo dicto manibus hinc inde extenſis, & ſuper altare poſitis, oſculatur altare in medio: tum iunctis manibus ante pectus, demiſsisq; oculis ad terram, à ſiniſtra manu ad dexteram vertit ſe ad populum, & uerſus eum extendens, & iungens manus dicit uoce aliquantulum eleuata: Orate fratres,& ſecrete perſequẽs,ut meum, ac veſtrum ſacrificium, &c. & perficit circulum, reuertens iunctis manibus ante pectus à manu dextra ad medium altaris, & reſponſo à miniſtris, vel circunſtantibus: Suſcipiat dominus ſacrificium de manibus tuis, &c. alioquin per ſe ipſum dicens: Sacrificium de manibus meis.

Ipſe celebrãs manibus ante pectus extenſis; ut fit,ad orationem, ſtans in medio altaris uerſus librum dicit abſolute ſine alia interpoſitione orationem, uel orationes ſecretas,cñ dicit, per dominum, iungit manus: cum dicit Ieſum Chriſtũ,caput inclinat:quod facit in prima oratione, & in ultima,ſi plures ſunt dicendę.

PRAEFATIO.

PEruẽtum autem cum fuerit ad cõcluſionem vltimæ ſecretæ, ad uerba illa: Per omnia ſecula ſeculorum,excluſiue, celebrans ſtans in medio altaris,depoſitis ſuper eo manibus hinc inde extenſis,dicit conuenienti & intelligibili uoce Præfationem. cum dicit Surſum corda,eleuat manus hinc inde, extenſas ad pectus. cum dicit: Gratias agamus domino, iungit manus: Cum dicit: Deo noſtro: cruci ca-

put inclinat: ℟. Dignum, & iuſtum eſt. Eleuatis,& extenſis, ut prius manibus, proſequitur præfationem propriam, uel communem, ut tempus requirit. cum dicit Sanctus, iunctis ante pectus manibus. & inclinatus uoce mediocri proſequitur: cum dicit: Benedictus, qui venit in nomine domini, &c. ſignum crucis ſibi producit à fronte ad pectus.

CANON.

FInita Præfatione, ut ſupra, celebrans manibus iunctis ſuper altare poſitis, ſtans ante medium altaris verſus ad illud, eleuatis oculis, & Deum, & ſine mora demiſsis profunde inclinatus incipit Canonem ſecrete dicens: Te igitur &c. cum dicit: Vt accepta habeas,& benedicas, prius oſculatur ante altare, deinde erigit ſe, & ſtat iunctis manibus ante pectus cũ dicit: Hæc dona, hæc munera, hæc ſancta ſacrificia, dextra manu ter ſignat communiter ſuper hoſtiam, & calicẽ deinde extenſis manibus ante pectus proſequitur: In primisque tibi offerimus, &c. ubi dicit: Vna cum famulo tuo Papa noſtro. N. ſpecificatur nomen Papæ.

Sede autem uacante, uerba prædicta omittuntur,& Antiſtite noſtro. N. ſpecificatur nomẽ Patriarchæ, Archiepiſcopi, epi Ordinarij in ppria dioceſi: qui ſi erit vita functus, prædicta uerba omittuntur. Si celebrans, eſt Epiſcopus, Archiepiſcopus, Patriarcha, omiſſis prædictis uerbis, eorum loco dicit: Et me indigno ſeruo tuo, ſi uero celebrans Papa, omiſsis uerbis, una cum famulo tuo Papa noſtro. N. & Antiſtite noſtro. N. dicit: Vna cum me indigno famulo tuo, quem Gregi tuo præeſſe voluiſti,& continuant omnes, vt ſequitur,& omnibus orthoxis, &c.

COMMEMORATIO viuorum.

CVm dicit: Memento domine: eleuans,& iungens manus vſque ad faciem, uel pectus. ſic iunctis manibus ſtat pauliſper in quiete, demiſſo aliquantulum capite, faciens commemorationem viuorum Chriſti fidelium ad ſuam voluntatem, quorum nomina, ſi vult, ſecrete commemoret: non tamen neceſſe eſt ea exprimere, ſed mente tã tum eorum memoriam habeat.

Poteſt etiam celebras, ſi pro pluribus orare intendit, ne circunſtantibus ſit moroſus, ante miſſam in animo proponere ſibi omnes viuos,& defunctos, pro quibus in ipſa miſſa orare intendit. Hoc loco generaliter vnico contextu ipſorum viuorum commemorationem agere, pro quibus ante miſſam orare propoſuit in miſſa.

Commemoratione viuorum facta, demiſsis, & extenſis, vt prius, manibus continuet: Et omniũ circunſtantiũ, &c. Similiter ſtans proſequitur: Communicantes. cum dicit: Ieſu Chriſti; caput cruci inclinat in concluſione. Quando dicit, per eundem. &c. iungit manus. Cum dicit: Hanc igitur oblationem, extendit manus ſuper oblata, ita, vt palmæ ſint apertæ verſus, ac ſuper calicem,& hoſtiam, quas tenet ſic uſque ad illa uerba: Per Chriſtum dominum noſtrum tunc enim iungit manus,& ſic proſequitur: Quam oblationem tu deus in omnibus, quæſumus: Et cum

dicit:

dicit:Benedictam, ascriptam, ratam communiter signat ter super hostiam, & calicem simul:deinde cum dicit: Vt nobis corpus, separatim signat semel super hostiam tantum:& cum dicit: & sanguis semel super calicem tantum. deinde eleuans,& iungens manus ante pectus prosequitur: Fiat dilectissimi filij tui, domini nostri Iesu Christi, inclinat caput cruci: & si opus fuerit, extergit pollices, & indices super corporalia,& dicit, vt prius: Qui pridie, quàm pateretur: & accipiens calicem pollice & indice dextræ manus hostiam,& eam cum illis,ac indice,& pollice sinistræ manus tenens stans erectus ante medium altaris: dicit:Et eleuatis oculis in cęlum ad te Deum patrem suum omnipotentem:Caputque aliquantulum inclinans dicit: Tibi gratias agens: & tenens hostiam inter pollicem, & indicem sinistræ manus dextra producit signum crucis super eâ dicens:Benedixit ac fregit,deditq;. Discipulis suis dicens:Accipite, & mã ducate ex hoc omnes.

ELEVATIO.

Hostiæ, & Calicis.

DEinde attente, & deuote, & continuate profert uerba consecrationis: Hoc est enim corpus meum, quibus prolatis celebrans tenens hostiam inter pollices, & indices prædictos super altare reliquis manuum digitis extensis; & simul iunctis genuflexus eam adorat. Tunc se erigens quantum commode potest eleuat in altum hostiam,& intentis in eam oculis, populo reuerenter ostendit adorandam: & mox ipsam reuerenter super corporale reponit in eodem loco,unde eam leuauit:& deinceps pollices,& indices non disiungit,nisi quando hostiam consecratam tangere, uel tractare debet, usque ad ablutionem digitorum post communionem, reposita hostia consecrata super corporali genuflexus vsq; ad terram, ipsam ueneratur.

Celebrans, adorato sacramento, surgit, & discooperit calicem, & stans erectus dicit: Simili modo post qua cœnatum est: & ambabus manibus accipiens calicem iuxta nodum infra cuppam, aliquantulumque eleuans,& statim deponens dicit: Accipiens,& hunc præclarum calicem &c. cum dicit:Benedixit, sinistra calicem infra cuppam tenens, dextram signat super eum, & prosequens:deditque discipulis suis,& c.ambabus manibus tenens calicem,uidelicet, sinistra pedẽ, dextra nodum infra cuppam, cubitis super altare positis, & capite inclinato,profert secretè,& deuotè, vt supra. verba cõsecrationis sanguinis. Hic est enim calix. &c. quibus dictis reponit calicem super corporale:&genuflexus sanguinem reuerenter adorat. tunc se erigit,& accipiens calicem discoopertum cum sanguine,ambabus manibus, vt prius,eleuat eum,& erectum quantum commode potest, ostendit populo adorandum,dicens: Hæc quotienscunque feceritis, &c.mox ipsum reuerenter reponit super corporale, in locum pristinum, & manu dextra palla cooperit, ac genuflexus sacramentum veneratur.

Secretæ post consecrationem.

REposito calice, & adorato, celebrans stans ante altare, extensis manibus, ante pectus, dicit secreto: Vnde & memores. &c. iungit manus ante pectus: & cum dicit: Hostiã purã, &c. manu dextra signat ter communiter super hostiam, & calicem, & semel super hostiam tantum, & semel super calicem tantum. dicens: Panem sanctum vitæ æternæ, & calicem salutis perpetuæ, deinde stans, vt prius, extensis manibus, prosequitur: Supraque propitio & c. cum dicit: Supplices te rogamus, & c. inclinat se ante medium altaris, manibus iunctis super illo positis: cum dicit: Ex hac altaris participatione, osculatur altare. Cum dicit: Sacrosanctum filij tui, iungit manus, & dextra signat semel super hostiam tantum, & semel super calicem dicens: Corpus, & sanguinẽ sumpserimus. Et cũ dicit: Omni benedictione cælesti, se ipsum signat à frõte ad pectus signo crucis.

Commemoratio Defunctorum.

CVm dicit: Per eundem, iungit manus. cum dicit: Memẽto domine famulorum, famularumque tuarum, qui nos præcesserunt in signo fidei, & dormiunt in somno pacis. N. statim extensis manibus ante pectus, uel usque ad faciem eleuatis: & intentis oculis ad sacramentum super altare, facit cõmemorationem fidelium defunctorũ, de quibus sibi uidetur, eodem modo, vt dictum est de commemoratione uiuorum, qua commemoratione facta, stãs vt prius extẽsis manibus prosequitur: Ipsis domine, & omnibus in Christo. & c. & in fine per eundem, Caput inclinat: cum dicit: Vobis quoque peccatoribus. Vocem ad hæc tria uerba aliquantulum eleuat, & dextra manu pectus sibi percutit, & prosequitur: Famulis tuis & c. stans ut prius: cum dicit: Per Christum dominum nostrum; Per quem hæc omnia domine semper bona creas: iungit manus ante pectus: deinde manu dextra signans communiter super hostiam, & calicem dicit: Sanctificas, uiuificas, benedicis, & præstas nobis, postea discooperit manu dextra calicem, & genuflexus reuerentiam facit sacramento, tum se erigit, & reuerenter accipit hostiam, inter pollicem, & indicem dextræ manus, & super calicem, quem manu sinistra tenet circa nodum infra cuppam: signat ter labio ad labium dicens: Per ipsum, & cum ipso, & in ipso. & hostiã bis inter se, & calicem incipiens signat dicens: Est tibi Deo patri omnipotenti in unitate spiritus sancti. deinde tenẽs in manu dextra hostiam super calicẽ, sinistra calicem eleuat eam aliquantulum simul cum calice dicens: Omnis honor, & gloria, & statim utrunque deponens, hostiam collocat super corporali, & digitos, si fragmentum aliquod illis adhæreat, extergit in calice. quod semper, si opus sit, faciat, cum hostiam sacram tetigit, ac pollices, & indices, vt prius, iungens, calicem pallam cooperit, & genuflexus usque ad terram sacramentum adorat. *Pater noster.*

CElebrans cooperto, adoratoque calice erigit se, & more solito manibus extensis hinc inde super altare positis, dicit intelligibili uoce: Per omnia secula seculorum, &c. cum dicit: Oremus, iungit manus, caput sacramento inclinans. Cum incipit Pater noster, extendit manus, & stans oculis ad sacramentum intentis prosequitur

vsque

vſque in finem: Reſponſo à miniſtro: Sed libera nos à malo, & à celebrante, amen; manu dextra, pollice, & indice non diſiunctis, patenam accipit inter indicem, & medium, digitos, quam tenens ſuper altare erectam dicit ſecrete: Libera nos quæſumus, domine. &c. antequam celebrans dicat: Da propitius pacem, eleuat manu dextra patenam de altari, & ſeipſum cum ea ſignat à fronte ad pectus dicens: Da propitius pacem in diebus noſtris, patenamque ipſam oſculatur, & proſequens: Vt ope miſericordiæ tuæ. &c. ſubmittit patenam hoſtiæ, quam indice ſiniſtro accommodat ſuper patenã, diſcooperit calicem, & genuflexus in terra ſacramentum adorat: tum ſe erigens accipit hoſtiam inter pollicem, & indicem dextræ manus, & cum illis ac cum pollice, & indice ſiniſtræ manus eam ſuper calicem tenens reuerenter frangit per medium dicens: Per eundem dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, filium tuum: & mediam partem, quam inter pollicem, & indicem dextræ manus tenet, ponit ſuper patenam: de alia media, quam ſiniſtra manu tenet, frangit cum pollice, & indice dextræ manus particulam proſequẽs: Qui tecum viuit, & regnat, quam inter ipſos dextræ manus pollicem, & indicem retinens, partem maiorem, quam ſiniſtra tenet, adiungit mediæ ſuper patenam poſitæ, interim dicens: In vnitate ſpiritus ſancti Deus. & particulam hoſtiæ, quam in dextra manu retinuit: tenens ſuper calicem, quem ſiniſtra per nodum infra cuppam retinet, intelligibili uoce dicit: Per omnia ſecula ſeculorum. ℟. Amen. & cum ipſa particula ſignans ter à labio ad labium calicis dicit: Pax domini ſit ſemper vobiſcum, Et cum ſpiritu tuo, & particulam, quam dextra manu tenet, ponit in ſanguinem dicẽs ſecrete: Hęc commiſtio, & conſecratio corporis. &c. deinde pollices, & indices ſuper calicem aliquantulum tergit, & iungit. calicem palla cooperit, & genuflexus ſacramentum adorat.

Agnus Dei.

SVrgit deinde, & ſtãs, iũctis manibus ante pectus, capite inclinato verſus ſacramẽtũ, dicit intelligibili uoce: Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, & dextra percutiens ſibi pectus, dicit: Miſerere nobis. quod & tertio facit, cum dicit: Dona nobis pacem. tunc manibus iunctis ſuper altare poſitis, capite inclinato, oculisque ad ſacramentum intentis dicit ſecreto: Domine Ieſu Chriſte. &c. qua oratione finita, ſi eſt daturus pacem, oſculatur altare in medio, & ei ſtatim inſtrumentum pacis porrigitur à miniſtro iuxta ipſum ad dexteram, hoc eſt, in cornu epiſtolæ genuflexo, & dicit: Pax tecũ. Si non adſit, qui pacem recipiat à celebrante, pax non datur, etiam ſi illius datio miſſæ conueniat: nec oſculatur altare, ſed dicta prima oratione, ſtatim ſubiungit alias orationes, ut in miſſali.

Si vero celebret pro defunctis, non percutit pectus ad Agnus Dei, quia dicit: Dona eis requiem, nec dicit primam orationem: Domine, qui dixiſti apoſtolis tuis &c. non dat pacem, ſed dicit alias duas ſequentes orationes: Domine Ieſu Chriſte filij Dei, & Perceptio corporis tui.

Communicatio.

QVibus orationibus dictis, genuflectens, ſacramẽtum adorat, & ſe

& se erigens dicit secrete. Panem cæleſtem accipiam, quo dicto, dextra manu accipit de patena reuerēter ambas partes hoſtiæ, & collocat inter pollicē, & indicem ſiniſtræ manus, quibus patena inter eūdem indicem, & medium digitos ſupponit, & eadem manu ſiniſtra tenens partes huiuſmodi ſuper patenam dextra, tribus vicibus, dicens voce aliquantulum eleuata: Domine non ſum dignus, ut intres, &c. quibus tertio dictis, & ſiniſtra accipit ambas partes prędictas hoſtię inter pollicem & indicem dextræ manus: & cum illa ſupra patenam ſignat ſeipſum ſigno Crucis dicens corpus dñi noſtri Ieſu Chriſti cuſtodiat animam meam in vitam æternam. Amen. Deinde reuerenter eaſdem ambas partes ſumit, quibus ſumptis, deponit patenam ſuper corporale, & erigens ſe iunctis indicibus, & pollicibus, ambas quoque manus ante faciem iungit, & aliquantulū quieſcit in meditatione ſanctiſsimi ſacramenti, deinde depoſitis manibus, dicit ſecreto: Quid retribuam domino pro omnibus, quæ retribuit mihi: & diſcooperto Calice accipit patenam, & eam diligenter cum pollice, & indice dextræ manus ſuper calicem eſtergit, & ipſos digitos, nequid fragmentorū in eis remaneat, poſt exterſionem patenæ, iunctis pollicibus, & indicibus iterum genuflectit ſacramento. Surgit poſtea, & calicem dextra manu infra nodū cuppæ accipit dicens: Calicem ſalutaris, &c. ſignans ſe ſigno Crucis cum Calice, dicit: Sanguis domini noſtri Ieſu Chriſti, &c. & manu ſiniſtra ſupponens patenam Calici, ſtans reuerenter ſumit totum ſanguinem cum particula in Calice poſita.

Poſtcommunio.

QVibus ſumptis, dicit ſecrete: Quod ore ſumpſimus, &c. poſtea ſuper altare porrigit calicem miniſtro ad cornu epiſtolæ, quo vinum fundente, ſe purificat, deinde abluit pollices, & indices ſuper calicē, quos abſtergit purificatorio, interim dicēs: Corpus tuum domine, quod ſumpſi. &c. ablutionem ſumit, & eſtergit os, & calicem purificatorio, quo facto purificatorium extendit ſuper calicem, & de ſuper patenam, ac ponit ſuper patenam paruam pallam, & cooperit velo, plicat corporale, & reponit imburſam, quam ponit ſuper calicem & collocat ſuper altare:

Communicatio laicorum, aliorumque.

SI quis ſunt communicandi in miſſa eos communicet ante, quam ſumat purificationem, & ante, quam digitos abluat.

Purificatio.

CElebrante purificato, dum calicē collocat in altari: liber miſſalis, defertur per miniſtrum ad cornu epiſtolæ, & collocatur, ut in introitu. Celebrans ſtans legit antiphonam, quæ dicitur Communio. qua lecta, iunctis manibus ante pectus, vadit ad mediū altaris, &, eo oſculato, vertit ſe ad populum, & dicit: Dominus vobiſcum ℟. Amen. Redit ad librum, & dicit orationes poſt communionem eodem modo, numero, ordine, ut ſupradictæ ſunt collectæ, quibus dictis, iungens manus ante pectus reuertitur ad medium altaris, &, eo oſculato, uertit ſe ad populum, & dicit: Dominus vobiſcum.

Finis

Finis Missæ:

QVO dicto, stans iunctis manibus ante pectus, versus populum, dicit: (Si sit dicendum) Ite missa est. Quo dicto per eandem viam reuertitur ad altare; si uero non sit dicendum: dicto dominus vobiscum, reuertitur eodem modo per eandem viam ad medium altaris: vbi stans versus ad illud, iunctis ante pectus manibus, dicit: Benedicamus domino.

In missis autem defunctorum eodem modo stans dicit: Requiescant in pace. Dicto Ite missa est, uel Benedicamus domino, ut supra, celebrans ante medium altaris, stans iunctis manibus super altare, & capite inclinato dicit secrete: Placeat tibi sancta Trinitas. &c.

Benedictio.

QVO dicto, extensis manibus hinc inde super altare positis, ipsum in medio osculatur: tunc erigens se, adhuc stans versus illud, extendit, eleuat, & iungit manus, caputque cruci inclinans dicit voce intelligibili: Benedicat vos omnipotens Deus, & iunctis manibus, ac demissis ad terrã oculis, uertens se ad populum, extensa manu dextra, iunctisque digitis semel benedicit populo dicens: Pater, & Filius, & Spiritus sanctus. & circulum perficiens reuertitur ad cornu Euangelij, ubi dicto: Dominus vobiscum, & responso, Et cum spiritu tuo, pollice dextro, signans primum signo crucis altare, seu librum, deinde frontem, os, & pectus, dicit: Initium sancti Euangelij secundum Ioannem, vel Sequentia sancti Euangelij, vt dictum est. & responso, Gloria tibi domine, iunctis manibus, legit Euangelium: In principio, uel aliud, ut conuenit, & cum dicit; Et verbum caro factum est, genuflectit, & surgens prosequitur vsque in finem, quibus omnibus absolutis, extinguuntur per ministrum candelæ: interim sacerdos cooperto capite, accipit sinistra calicem, dextram ponens super bursam ne cadat, descendit ad infimum gradum altaris, & ibi in medio uertens se ad illud, caput inclinat: & facta reuerentia, præcedente ministro, eo modo, quo uenerat, redit ad sacristiam, interim dicens antiphonam: Trium puerorum, & canticum: Benedicite, ut in missali.

PRAEPARATIO Missæ.

Orationes dicendæ, cum Sacerdos induitur Sacerdotalibus paramentis: cum lauantur manus, Dicat:

DA domine virtutem manibus meis ad abstergendam omnem maculam, vt sine pollutione mentis, & corporis ualeam tibi seruire, Amen.

Ad amictum, dum ponitur super caput dicat:

IMpone domine capiti meo galeam salutis, ad expugnandos omnes diabolicos incursus: Amen

Ad Albam, cum ea induitur dicat:

DEalba me domine, & munda cor meum, vt in sanguine agni, dealbatus, gaudijs perfruar sempiternis. Amen.

Ad cingulum dum se cingit dicat:

PRæcinge me domine cingulo puritatis, & extingue in lumbis meis

humorem libidinis : vt maneat in me virtus continentiæ,& castitatis. Amen.

Ad manipulum, dum alligatur ad brachium sinistrum, dicat:

MErear domine portare manipulum fletus,& doloris : vt cum exultatione recipiam mercedem laboris. Amen.

Ad stolam, dum imponitur collo dicat:

REdde mihi domine, obsecro, stolam immortalitatis, quã perdidi in præuaricatione primi parentis: quãuis indignus accedam ad tuum sacrũ misterium, merear tamen gaudiũ sempiternum. Amen.

Ad casulam, cum assumitur, dicat:

DOmine, quia dixisti: iugum meum suaue est, & onus meum leue: fac, vt istud portare sic ualeam, quòd consequar tuam gratiam. Amen.

Oratio dicenda Ante missam.

DEus, qui de indignis dignos facis, de peccatoribus iustos, & de immundis mundos: munda cor meum, & corpus ab omni contagio, & sorde peccati. & fac me dignum, ac strenuum sanctis altaribus tuis ministrum: concede propitius, vt in hoc altari, ad quod indignus accedo, hostias acceptabiles, atque placabiles offeram pietati tuæ pro peccatis, & offensionibus meis, in numerisque, & quotidianis excessibus meis, atque cunctorum simul christianorum culpis abluendis,& per eum sit tibi uotum meum acceptabile, qui, se tibi deo patri pro nobis obtulit sacrificium, qui tecum uiuit, & regnat in unitate.

Oratio dicenda post missam.

OMnipotens sempiterne Deus, cõseruator animarum, mundique redemptor : me famulum tuum ante maiestatem tuam prostratum, benignissime respice: & sacrificium, quod in honore nominis tui, pro salute fidelium, tam viuorum, quàm etiam defunctorum,& pro peccatis, & offensionibus meis obtuli, pijssime respice: irã tuam à me remoue, gratiam, & misericordiam mihi concede: ianuam paradisi mihi pande: ab omnibus malis me potenter eripe: & quicquid proprio cõmisi reatu, clementer indulge:& sic in hoc seculo in præceptis tuis fac me perseuerare, vt dignus electorum gregi copulari efficiar, te præstante, Deus meus, cuius nomen benedictum: honor, atque regnum permanet in secula seculorum. Amen.

De officio, & introitu missæ.

IN introitu prima pars missæ incipit: Sciendum est autem, quòd sancti patres, & prophetę ante Christi aduentum, suspirantes,& præconizantes, prę miserunt desideria, opera, laudes,& preces, quæ singula figurantur in miss. Introitus namque, scilicet ipsa antiphona, uaticinia prophetarum,& sanctorum patrum desiderium cum præconijs filij dei aduentum, & incarnationem expectantium, exprimit: in cuius signum, in prima dominica aduentus cantat ecclesia introitum: Ad te leuaui : Chorus igitur Psallentium clericorum, qui significat chorum prophetarum,& multitudinẽ sanctorum Christi aduentum expectantium, animam suam dilatat: & introitum in iubilo cãtat: quoniam Prophetæ, Patriarchæ, Reges,& Sacerdotes, omnesque fideles aduentum Christi cum desiderio expectabant, clamantes, & imprecantes: Emitte agnum domine, dominatorem

rem terræ.& c. consequenter ex institutione Damasi Papæ dicitur Gloria patri, &c. quod significat laudem, quia post operationem danda est gloria. dicitur etiam gloria, vt ostendatur patrem,& filium, & spiritum sanctum habere æqualem gloriam, coæternam maiestatem, in principio, & nunc, & semper, & in secula seculorum, idest in preterito, præsenti,& futuro tẽpore.

De accessu sacerdotis ad altare.

CVm introitus canitur, sacerdos paratus,& sacris indumentis ornatus, de sacra æde egreditur:& ad altare accedit, significans, quòd Christus expectantium gentium, carne sacrosancta assumpta, ex uirginis carne incorrupta de secreto habitaculo cęlorum egressus est in mundum, uel de secreta æde, videlicet de uirginali utero egressus est, tanquam sponsus de thalamo suo.

PROCESSIO.

De processione,& unde ortum habuerit.

IN processionibus memoramus, quòd Christus de sinu patris uenit in mundum, & de præsepe in templum, & de Betania in Hierusalem, & de Hierusalem, in montem, optantes, vt de mundo reuertamur ad patriam, ex una ecclesia ad aliam, scilicet de militante ad triumphãtem; sequentes crucem, idest, uestigia crucifixi:& nos vitijs, & concupiscentijs crucifigentes, sequentes etiam vestigia sanctorum, præcepta euangeliorum,& induti uestes sacras, scilicet loricam iustitię, circulum continentię, scutum fidei,& galeam salutis æternæ.

Crux est vexillum triumphi, & gloriæ.

CRux ergo, quasi regale vexillum, & triumphale signum in processionibus præmittitur: primo, vt fugiãt, qui oderunt eum, à facie eius. psal. 67. Est enim signum uictoriæ Christi. iuxta illud: Vexilla regis prodeunt,& c. quo dęmones victi sunt: unde, illo uiso, timent,& fugiunt, & propter hoc in quibusdam locis tempestatibus aeris opponitur, ut dæmones fugiant, & ab aeris concitatione desistant.

Campanæ pulsatio dum fit processio, quid notet.

DVm fit processio, campanæ pulsantur. nam sicut Rex terrenus in exercitu suo legalia habet insignia, scilicet tubas, & vexilla:& Rex æternus Christus in ecclesia sua militanti, campanas pro tubis,& cruces pro uexillis habet, adhuc campanarum strepitus, Prophetas, qui Christi aduẽtum prænunciant, figurat.

Processiones quatuor solemnes.

SCiendum est autem, quòd quatuor sunt solemnes processiones, scilicet in Purificatione Beatæ virginis Marię: Ramis palmarum. In pascha, Et quarta, quæ fit in Ascensione domini, ad repræsentationem illius vltimæ processionis, quam discipuli post dominum in die Ascensionis eius in cœlum, fecerunt, ueniente cum eo ad montem Oliueti. Vnde assumptus est, uidentibus illis.

Quid agere debeat sacerdos antequam accedat ad altare.

SAcerdos ergo priusquam ad altare veniat per confessionem, siue lacrimis pœnitentiæ se absoluat, permẽtis amaritudinem se purget, per considerationem vitæ sanctorum se informet.

met.de primo dicitur:Mundamini qui ferris vasa domini.De secundo,expurgate vetus fermentum &c.De Tertio, habentes impositam nubem deponamus omne pondus, & circunstans non peccatum, ut sit in numero innocentiũ audacter dicẽtium: Iudica me domine quoniam innocentia &c.& infra: Lauabo manus meas inter innocentes &c. deinde manus lotas manutergio tergit: quia post lacrimas contritionis peccata aborrere,& abolere per opera satisfactionis debet:linum quidẽ per laborem ad candorem perducitur, & pœnitentes per satisfactionem ad perpetuam glorificationem perducuntur.

DE CONFESSIONE facienda.

PRiusquam sacerdos gradus altaris ascendat,& ante,quã sacrum ordinetur officium, ad seipsum reuertens inclinat se ante altare, significans Christi examinationem,qui inclinauit cęlos,& descendit: psal. 17. Cum formam serui accipiens, exinaniuit se: & considerãs quod sicut dicit Salomon: Iustus in principio sermonis accusator est sui. Confisus etiam de illa prophetica consolatione: Dixi confitebor,& cap.de pœn.dist.1. dixi. de peccatis suis cum ad stantibus generaliter confitetur: Psal.illum pręmittens ex institutione Celestini Papę 1.q.1.rite ad hoc conuenientem: Iudica me Deus, &c. ut diseretus à gente non sancta:& ab homine liberatus iniquo, ad altare dignus introcat. petit enim liberari à tẽtatione,& illuminari à gratia, ut patet in ipso psalmo.fit ergo confessio;ut purior sit,& sine macula egrediatur.

Pectus quando, & cur tundamus.

PErcutimus autem pectus, cum peccata confitemur, exemplo Publicani, qui pectus suum percuuebat dicens: Domine propitius esto mihi peccatori. in tonsione quidem pectoris,tria sunt,ictus,sonus, & tactus, per quæ significantur tria, quæ sunt in vera pœnitentia necessaria: videlicet cordis contritio, oris confessio,& operis satisfactio,quia in tribus pecamus, scilicet,corde,ore,& opere.deinde pro circunstantibus orat indulgentiam peccatorum implorans.

Manuum iunctio in confessione, quid denotet.

SAcerdos autem, *dum facit confessionem, & etiam sæpe in missa*, & officio manus iungit, quæ manuum iunctiones deuotionem significant, & quia illa in aliquo est maior, & in aliquo est minor, ideò certus manuum iunctionum non est numerus determinatus. Rursus sacerdotis manuum iunctio significat omnium bonorũ à Deo fluentium in ipso vnitatem,& coniunctionem,& quia infinita bona infinitis, & interminatis modis possunt à Deo procedere, ideo manuum iunctionum Sacerdotis numerus determinatus non est.

Manipuli impositio in brachio Episcopi quid.

SAne pontifici facturo confessionem subdiaconus manipulum coram altari immittit,primo ad notandũ quod concessa temporalia per manum alienam, puta subdiaconi uel alterius, & non per propriam recipere, & administrare debet. secundo ad designandum, quod non sufficit oris confessio,

nisi

niſi & boni operis fructus per populum ſignificatur. ſequatur tertio, vt videns ſe in inferioris miniſterij ornamento ornatū, ornato animo humilietur.

De Incenſo benedicendo, & in thuribulum mittendo.

POſt factam confeſsionem, & datam abſolutionem, ſacerdos prius, quā dicat: Deus tu conuerſus, &c. incenſum cum benedictione in thuribulo apponit, repræſentans, quod legalis ſacerdos ferens ſanguinem, & carbones cum thimiamate, in thuribulo, orans ponebat, donec fumus eum obumbraret. Per hoc etiam illud inſinuās, quòd Angelus uenit, & ante altare ſtetit habens thuribulum aureum in manu ſua: quod impleuit de igne altaris, & data ſunt ei incenſa multa; ut daret de orationibus ſanctorum. Angelus eſt Chriſtus: Thuribulum aureum, corpus immaculatum. Altare eccleſia: Ignis charitas. Incenſum, oratio, ſecundum illud propheticum: Dirigatur oratio mea, ſicut incenſum in conſpectu tuo.

Stuppa, quæ comburitur in eccleſia, quid ſignificet.

IN quibuſdam baſilicis circa medium chori manipulus ſtuppæ appenditur: Cui pontifex tranſiens ignē apponit, vt in conſpectu populi cito in cineretur, per hoc ſecundū aduentum commemorans, in quo Chriſtus viuos & mortuos & ſeculum per ignem iudicabit.

Chriſtus omnes orationes non exaudit.

CHriſtus non omnes orationes exaudit, ſed dicit de orationibus: de illis videlicet, quæ pertinent ad ſalutem. Vnde cum Paulus ter dominum rogaſſet, ut ab eo ſtimulum carnis auferret: reſpondit ei dominus; Sufficit tibi gratia mea. nam virtus in infirmitate perficitur.

Candelabra ſuper altare quid ſignent.

IN cornibus altaris duo ponuntur Candelabra, ad ſignificandum gaudium duorum populorum de Chriſti natiuitate, lætantiumque candelabra mediante Cruce faculas ferunt accenſas. Angelus enim inquit paſtoribus: Anūcio vobis gaudium magnū, quod erit omni populo. quia natus eſt uobis ſaluator mundi hodie lumen enim cādelabri fides eſt populi.

De oſculo Altaris.

POſt immiſſum in thuribulo incenſum, ſacerdos, dicto, Deus tu conuerſus, &c. ſacrum oſculatur altare, ut notetur pacificatio cū iudeis: & ad ſignandum, quòd Chriſtus ad nos ueniens ſanctam ſibi copulauit eccleſiam: iuxta illud epitalamicum: Oſculetur me oſculo oris ſui, in oſculo ſiquidem os ori coniungitur: & in Chriſto non ſolum humanitas eſt vnita diuinitati: verum etiam ſponſa copulata eſt ſponſo: iuxta illud propheticum: Quaſi ſponſam decorauit me corona, & quaſi ſponſam ornauit me monilibus.

Sacerdos qualiter ſe diſponere debet initio miſſæ.

THurificatione facta, epiſcopus vel ſacerdos ad dextram altaris partem ſe tranſfert: ubi una cum miniſtris plane officium, & Kyrie eleiſon dicit: qui tranſitus de medio altaris in dexteram partem, ſignificat Chriſti tranſitum de paſsione per reſurrectionem ad vitam æternam. à leua tranſiens in dextram, imitatur Chriſtum ingrediē tem mundum, leuā enim tetigit Chriſtus

ſtus quando temporalem aſſumpſit vitam, ad dextram iuit, quãdo carnem aſſumptam ad Dei dextram eleuauit.

De thurificatione.

POſt datum oſculũ, Sacerdos accipiens de manu diaconi thuribulum, ſacrum incenſat altare: quia Chriſtus corpus aſſumens, de genere prophetarum, factus ex ſemine Dauid ſecundum carnem ſuis orationibus fouet eccleſiam ſecundum quod orat in euangelio: Pater ſancte ego pro eis rogo: & non pro eis tantum: ſed pro illis, qui credituri ſunt per uerbum eorum.

Qualiter ſacerdos, & miniſtri ad altare ſtare debent.

THurificatione peracta, ſacerdos ad dextrã altaris partem ſe tranſfert: ibi una cũ miniſtris plane officiũ, & Kirie eleiſon dicit: qui tranſitus de medio altaris in dextram partem, ſignificat Chriſti tranſitum de paſsione per reſurrectionem ad vitam æternam. Itẽ à leua tranſiens in dextram imitatur Chriſtum ingredientem mundum. Leuam. n. tetigit Chriſtus: quando tẽporalẽ aſsũpſit vitã. Ad dextrã iuit qñ carnẽ aſſumptã ad Dei dextrã eleuauit.

De Kirie eleiſon.

TRanſlato in dextrã altaris partem epiſcopo, ſeu ſacerdote, deinde quia tempus plenitudinis, & agnus benignitatis aduenit, ſicut prædictũ fuit in Pſal. Tu exurgens domine miſerebens ſyon, quia uenit tempus miſerendi eius; congrue chorus laudat, & inuocat trinitatem, triplicãdo Kirie eleiſon. Ideo autem poſt introitum dicitur Kirie eleiſon, quia ante omnem orationem ſacerdotum, neceſſe eſt miſericordiam domini implorare. ſi quidem Kirie eleiſon græcè, latinè interpretatur, Domine miſerere. nam Kirie ſonat domine: eleiſon miſerere. Chriſte eleiſon, ideſt Chriſte miſerere. Dicitur autem nouies: primo, ut ordo humanus ex hominibus reparatus, nouẽ aſſocietur ordinibus Angelorum. Secundo, ut eccleſia perueniat ad ſocietatem nouem ordinum angelorum.

Tertio contra nouem genera peccatorum: eſt enim peccatorum, originale, veniale, & mortale. Item peccatum fragilitatis, ſimplicitatis, & malignitatis. Fragilitatis per impotẽtiam, ſimplicitatis per ignorantiam, malignitatis per inuidiam.

De Gloria in excelſis.

DIcto kirie eleiſon, mox ſacerdos ex inſtitutione Theleſphori Papæ in cohat hymnum: Gloria in excelſis Deo: quem Angeli auditi ſunt decantare: ſicut legitur in Euangelio Lucæ: qui angelorum hymnus perhibet teſtimonium temporalis Chriſti natiuitatis. Sane ſacerdos, primus, & ſolus illum incohando pronunciat, qui Angelum magni concilij repræſentant. nam ortum Saluatoris ſolus Angelus, cuius perſonam ipſe gerit, primo nunciauit: Vnde Lucæ: Ecce euangelizo vobis gaudium magnũ, quod erit omni populo: quia hodie natus eſt, &c. & illum incohando ſtat ante medium altaris, in hoc commemorãs, quòd dum medium ſilentium tenerent omnia, natus eſt in medio, ideſt, pro hominibus Meſsias, quem Prophetæ prædixerãt: repræſentans etiam, quòd Angelus Chriſti natiuitatem paſtoribus annuncians ſtetit in medio eorum, & incipiens, eleuat manus propter cauſas ſcriptas. Item inchoans ſtat ante me-

dium

dium altaris, ad notandum, quòd Christus fuit mediator inter nos, & Deum: 10. dist. quoniam per cuius mediationem Deo pacificati sumus.

Chorus vero concimnendo respondens, gerit personam multitudinis, de qua in Euangelio sequitur: Subito facta est cum angelo multitudo militiæ cælestis laudantium Deum: Gloria in altissimis Deo, & interra pax hominibus bonæ voluntatis. & c. de conse. d. 1. nocte. & dici debet in missis, de quibus dictæ sunt matutinæ, in quibus Te Deum laudamus dicitur. & in die iouis sancta, in missis letaniarum nō dicitur; nisi de feria factum esset, quia in illis ferijs Te Deum laudamus dicitur: In missis autem peculiaribus, seu uotiuis de iure non dicitur, ut habetur in cap. consilium de cele. missa. sed ex consuetudine, & deuotione huic iuri derogatum est. potest ergo dici in omnibus votiuis, de quibus in proprio die Te Deum laudamus dici conuenit. & hoc secundum celebrantis, aut celebrare facientis deuotionem. sicut facimus in missis de beata Virgine, in quibus nunquam Gloria in excelsis relinquitur, nisi in vigilia assumptionis eius.

Ita quoque agendum esse omnibus suadeo in missis de domino, scilicet, de Natiuitate, Epiphania, Resurrectione, Ascensione, Pentecoste, Trinitate, & de Spiritu sancto, quoniam si in virgine, & alijs sanctis, ex deuotione dicitur; quanto magis deuotionem ad eum, qui fecit sanctos, habere debemus.

Excipe missas de cruce, & de vulneribus, in quibus dici non conuenit. Sunt tamen aliqui, qui, quando est aliquod festum duplex in quadragesima; celebrant missam de feria, cum commemoratione festi, & dicunt Gloria in excelsis, & Credo.

Si huiusmodi festum occurrit in aliqua dominica, in qua non potest dici Gloria in excelsis, nec potest fieri de festo, ipsi faciunt commemorationem de festo, & dicunt Gloria, quod nullo modo fieri licet.

De salutatione ad populum.

ANgelico hymno finito, sacerdos ad populum se voluens, illum salutat, dicens: Dominus vobiscū: quod sumptum est ex libro Ruth. 2. sic enim legitur, Booz salutasse messores suos: & Propheta in Paralipomenon Assa regem, & qui cum eo erāt: & angelus salutans Gedeonem dixit: Dominus tecum. Booz quidem figuram Saluatoris expressit, qui Ruth moabitem duxit vxorem. & hæc salutatio, significat salutationem, quam Christus fecit apostolis, post resurrectionem. In ombus ergo missæ orationibus sacerdos præmittit: Dominus vobiscum, nisi in orationibus: quæ præcedunt prophetias, uel etiam in orationes super populum in quadragesima: & nisi in orationibus, quæ immediate sequuntur, post primam orationem, & in illis, quę dicuntur in Parasceue: sed tunc missa nō dicitur, licet sacerdos communicet. cum enim per dictam salutationem optetur, dominum esse cum populo, qui est in eo per spiritum gratiæ septiformis: ideo ecclesia ordinauit septies tantum in missa populū salutari: ideo in præmissis orationibus tantum dicitur.

Responsio, & cum spiritu tuo, unde orta.

CHorus vero, & populus respondent: Et cum spiritu tuo, quod sumptum est, ex epistola. 2. ad Thim. vlti. vbi dicitur: Dominus Iesus Christus cũ spiritu tuo. huiusmodi etenim mutuæ salutationes notant, quòd sacerdotis, & populi vnus debet esse effectus: & est sensus: Tu pro nobis facturus es preces ad dominum: quia dominus Deus preces illas tantum approbat, & exaudit, quæ ex bono corde procedunt: Oramus & nos similiter pro te, ut ille, sine quo nullum est bonum, sit cum spiritu tuo, ut qui tecum est in ore, sit & in corde: & in te maneat.

Responsio, Amen, quid signet.

ORatione finita: Chorus respondet: Amen, quod est hebraicum verbum, & sumptũ est, amen, ex Apoc. 10. Ambro. exponit, amen: id est, verum est, quod sermo sonat, affectus sentit. de conse. dist. 2. reuera. in fi. 38. distin. sedulo. 3. q. 5. & hoc nomen quandoq; ponitur pro uere: ut ibi: Amen, amen dico vobis, extra de iureiur. & si Christus, sub tit. de oratione dicetur.

Pax vobis cur dicatur ab episcopo in missa.

EPiscopus, uel eius superior, qui perfectus esse debet, & expressam Christi similitudinem gerit, ut se vicarium Christi ostendat oraturus prima vice utitur uerbo domini dicentis. Io. 20. Pax vobis: quæ fuit prima vox domini ad discipulos, quando eis post resurrectionem apparuit: quasi diceret: in præsenti detur vobis pax temporis, & in futuro pax æternitatis. postea uero instar cæterorum sacerdotũ dicit: Dominus vobiscum. ut se esse vnum ex ipsis ostendat. 95. dist. olim. & c. sequi in fin. & est aduertendum, quòd tunc demum pax dicitur, quando Gloria in excelsis Deo cantatur. & hoc ideo, ut correspondeat ei, quod ibi dicitur: Et in terra pax hominibus. &c.

Sacerdos, cur semper voluat se ad dextram.

NON est autẽ omittendum, q̃ sacerdos semper voluit se ad populum ad dextram: & per eandem se ad altare reuoluit, quasi isto facto dicens: Dextera domini fecit virtutẽ: dextera domini exaltauit me: dextera domini fecit virtutem: Secundo ad designandum, quod in sepulcro dominico angelus à dextris sedebat. Tertio, vt per hoc sacerdos innuat, se rectam, & obtentam habere intentionem pro se, & pro populo, ad cęlestem patriam; quæ per dextram significatur. iuxta illud in Canticis: Dextera eius amplexabitur me.

Sacerdos quare quinque vicibus se vertit ad populum.

VErum licet eis, quos salutamus, faciem regulariter repræsentemus, tamen in quinque duntaxat ex præmissis salutationibus sacerdos ad populum se conuertit: nam in illa salutatione, quæ fit ante Euangelium, se non conuertit, quia iam intentus est ad verba Dei annuncianda, nec etiam in illa, quæ ante prætationem, quia iam intentus est ad sacrificium altaris tractandum, nec etiam in illa, quæ fit ante pacis osculum, quia iam tenet corpus Christi in manibus, & habet cor sursum ad Deum, & omnino intentus est ad reuerenter illud tractandum, cęterum

rum quinta, ad populum cum dominus vobiscum facta conuersione, significat quinque apparitiones, quas Christus fecit discipulis suis in resurrectione.

De oratione, seu collecta.

Oratio nostra debet à Deo incipere, ab eodem terminari.

SAlutatione præmissa, subijciuntur orationes: quia enim omnis nostra oratio à Deo inchoata, circulariter per ipsum terminari debet: ideo missæ officium incipit ab oratione, & terminatur in gratiarum actione. Vnde videndum est, quis debeat orationes dicere, qualiter, & pro quibus sit orandum. quid sit oratio, & quando, & vbi, & versus quam partem orationes dicendæ sint.

Orationes cui competat dicere.

CIrca primum notandum est, quòd ea, quibus populus immediate ordinatur ad Deum, sacerdotes tãtum dicuntur, qui sunt mediatores inter Deum, & populum: quorum quædam dicuntur puplice spectantia ad totum populum, in cuius persona ipse solus ea Deo proponit, sicut sunt orationes, & gratiarum actiones: quædam priuatim, quæ ad officium eius tantum spectant, vt consecrationes, & huiusmodi orationes, quas ipse pro populo facit: non tamen in persona populi. Orans: in omnibus præmittit: Dominus vobiscum. vt mens populi Deo coniungatur: & quia populus in his, quæ ad Deum pertinent, Sacerdotem ducem habent, ideo in fine cuiuslibet suæ orationis populus consentit, respondens: Amen. Propter quod omnis oratio alte terminatur, etiam si priuatim fiat.

Oratio habenda est breuibus uerbis.

SAne orandum est breuibus uerbis, non in multiloquio: vt iam dicetur, 12. dist. omnia. 43. dist. sit rector, prope fin. unde & græci parum, & frequenter orant: sed in lacrimis: & in puritate cordis, non in uoce clamosa: sed in mentis intentione, & lacrimarum compunctione: sic in conspectu diuinæ maiestatis, & angelorum oportet nos esse, vt mens nostra voci concordet: iuxta illud Psal. Exaudiuit dominus uocem fletus mei. Et iterum: Sacrificium Deo Spiritus contribulatus, &c. Debet etiam oratio esse deuota: nam omnium Creatori cum deuotione est supplicandum. Dum autem sacerdos alte dicit orationem, alij non debent uerbis orare: sed illam orationem attendere, & ad eam respondere: Amen.

Orationes, flectamus genua, & humiliate capita vestra Deo, cur tantum.

EXhortatio ad humiliationem per flectamus genua, & per humiliate capita uestra Deo: permittitur alijs orationibus, quia oratio, quæ facienda est cum ieiunio ad magnum spiritum eijciendum, tunc demum ualet sic ut humiliate fiat. rursus in tempus ieiuniorum representat ecclesia tempus babilonicæ captiuitatis. merito ergo sacerdos, tunc populum vt pote absentem non salutat, nec se ad illum conuertit, sed absolute incipiens: oremus, insinuat pro illo esse orandum, & quia oratio debet fieri cum affectu, mox subiungitur: flectamus genua, uel humiliate capita uestra Deo.

Oratio vnde dicatur, & vnde originem habuerit.

SEquitur uidere, unde oratio dicatur, & unde orationes originem habuerint, & quidem dicitur oratio ab orando, eo quòd per eam populo bona corporis, & animæ orando petuntur. licet enim dominus sciat, quibus egemus: orare tamen debemus: orat enim sacerdos pro bonis, vt adsint: & pro malis, vt absint. Designantur autem orationes in Apocalip. per fumũ aromatum, qui ascendit in conspectu domini de manu Angeli.

Orationes cur dicantur collectæ.

SEquitur uidere quare orationes, quæ circa principium missæ dicuntur, Collectæ vocẽtur, & quidem ideo, quia sacerdos, qui fungitur legatione ad Deum pro populo: in eis petitiones omnium in unum colligit: & concludit, vt eas ad dominum referat: proprie tamen dicuntur Collectæ, quæ super collectum populum dicuntur.

Collectarum quinam fuerint auctores.

ORationum uarij fuerunt doctores: quarum numerus & uarietas in tantum excrescebat, quòd octauum Africanum Concilium constituit, vt nullæ preces, vel orationes, vel missæ, uel præfationes, uel commendationes, uel manuum impositiones dicantur, nisi in Concilio fuerint approbatæ. Et Gelasius Papa, tam à se, quam ab alijs appositas preces dicitur ordinasse. Beatus Gregorius, seclusis his, quæ nimia, uel in congrua videbantur, rationabilia coadunauit: congrua multa nihilominus per se necessaria super addens.

De epistola, quid, & unde dicatur, & quid significet.

ORatione finita, dicitur Epistola, quæ significat doctrinam apostolorum. eleganter autem illam præcedit oratio: quia legitur Lucæ. 10. c. Rogate dominum messis, vt mittat operarios suos in messem suam. Sane epistola græcè, & latine supermissio, uel supererogatio, missa enim est ab apostolis supra legẽ Moysi, supra Psalmistas, & Prophetas, supra euangelium, sicut, & Prophetię supra legem, Vnde & literæ de una persona ad aliam missæ appellantur epistolæ, scilicet supra missæ, quasi missæ supra, seu propter id, quod refert nuncius uiua uoce sicut & Apostolus supra id, quod dixerat Ephesijs Corinthijs, & alijs.

Epistola ubi debet legi.

LEgi debet epistola secundum magistrum Petrum antisiodoren. in dextera parte ecclesiæ, quia Christus primo uenit ad iudeos, qui dicebantur in dextera esse. melius tamen fit in medio ecclesiæ pro eo quod Ioannes fuit medius inter Apostolos & prophetas. dicitur quoque epistola in loco inferiori, euangelium in superiori, & supposito panno, præmittitur autem epistola euangelio. epistola nanque designat officium, quod Ioannes ante Christum exercuit, qui præiuit ante faciem domini parare uias eius, sicut ipse testatur: ego uox clamantis in deserto parate uiam domini. Ioannes ergo quasi subdiaconus, & subministeri illius, qui de se dicit: Non ueni ministrari &c.

Sub-

Subdiaconus lecturus epistolam quibus, & quot comitetur.

SAne subdiaconum epistolam lecturum vnus tantum comitetur accolitus: quia prædicationem Ioannis pauci secuti sunt: quoniam lex neminem ad perfectionem ducit; sed diaconum euangelium lecturum, tam subdiaconi, quam accoliti, & ceteri comitantur. quia prædicationem euangelij, quæ perfectionem facit, plurimi susceperunt. dici etiam potest quod per subdiaconi, & diaconi ad legendum processum duplex Christi manifestatio per duplicem eius aduentum significatur: quorum primus unum tantum habuit præcursorem, scilicet Ioannem, qui per Subdiaconum præcedentem significatur: secundus habebit: videlicet Enoch, & Eliam, qui per duos, uel per plures præcedentes diaconum figuratur. epistolam legens respicere debet altare, quod Christum significat: quia Ioānis prædicatio, se, & alios dirigebat in Christum; de cuius vultu iudicium, & æquitas procedunt, extra. de cele. bene. vt nostrum. is uero, qui præcedit subdiaconum euntem legere, non vertit faciem ad legētem, quia non ad se audiētes: sed potius ad Christum dirigebat.

Epistolam legere non potest quis, nisi fuerit subdiaconus.

NVllus debet epistolam solemniter in ecclesia legere, nisi sit subdiaconus: qui si forte defuerit, dicatur à diacono, uel etiam à sacerdote. melius est enim, vt sacerdos, etiā missam cantans, illam legat, quàm si ab accolito, uel alio inferioris ordinis legatur. Circa hoc notandum est, quod populi instructio fit per verbum Dei. quod quidem à Deo per eius ministros ad populum peruenit: & ideo ea, quæ ad plebis instructionem pertinent, non à sacerdote, sed à ministris dicuntur.

Lectiones apostolicas, & euangelicas quis primum instituerit debere dici ante sacrificium.

LEctiones apostolicas, & euangelicas, quis primo ante sacrificium dici debere statuerit, non omnino certum est. Creditur tamen, quòd primi successores apostolorum, eo quòd in illis eadē sacrificia celebrari iubentur.

De reuerentia, post lectam epistolam, facienda.

LEcta epistola, subdiaconus librum clausum sacerdoti repræsentat: ipse uero supra illum manum ponit, quam subdiaconus osculatur, nempe sacerdos Christum figurat: qui clausus liber repræsentatur, ad designandum, quòd solus Christus potuit aperire librum, & soluere signacula eius; in quo & ipse Christus, & eius misteria clausa erant, donec cepit ab ipso Christo per prædicationem euangelij aperiri. Christus autem legem, in qua clausus tenebatur, opere impleuit: qui non uenit legem soluere, sed adimplere: quod significat manus impositio super librum. manus enim opus significat. ipsa quoque manus impositio significat desiderium, & promissionem credendi, & opere complendi, quæ lecta sunt. quia uero nemo accipit benedictionem in lege promissam: nisi qui cū amore, qui per osculum designatur, opere perficit, quod sermone alios facere docet: ideo ad hoc disignandum subdiaconus benedictionem acceptu-rus manum sacerdotis osculatur.

De graduali, & quid significat.

POst lectam epistolam, cantatur Graduale, quod pertinet ad opera actiuæ vitæ, vt notetur, nos operibus respondere eis, quæ in lectione audiuimus: scilicet prædicationem. Rursus, quod Ioānes p̄dicabat pœnitentiā dicēs: Pœnitētiá agite: appropinquabit enim regnū cælorū: & iterū facite dignos fructus pœnitentiæ: merito post epistolam graduale sequitur; quòd pœnitentiæ lamentum insinuat, propter quod in diebus Pentecostes de officio tollitur. Tertio, ideo post epistolam sequitur Graduale: quia post prædicationem Ioannis, discipuli secuti sunt Christum: sicut Ioannes Euangelista scribit: Stabat (inquit) Ioannes, & ex discipulis eius duo: & respiciens Iesum ambulantem, dixit: Ecce Agnus Dei: & audierunt duo discipuli eum loquentem, & secuti sunt Iesum. Ad hoc cantus epistolam comitatur: Quia per prædicationes prædicatorū secuta sunt gaudium ecclesiæ, & Dei laudes, & præconia credentium de conuersione. Quia per graduale, conuersio de Iudeis: Per uersum, conuersio de gentilibus: Per alleluia: utriusq; in fide lætitia: Per sequentiam, canticum uictoriæ figuratur.

Gradualia, qui composuerunt.

GRegorius, Ambrosius, & Gelasius, composuerunt gradualia, tractus, & alleluia: & ad missam ea cātori statuerunt. ceterum, quandoque solum responsorium cantatur in missa: quandoque solum alleluia: quandoq; responsorium cum alleluia: quandoque cum tractu: quandoque alleluia cum tractu.

Graduale quid significet, & vnde dicatur.

POst epistolam cantatur graduale; seu responsoriū, quod pertinet ad opera actiuæ vitæ, ut notetur nos operibus respondere eis, quæ in lectione audiuimus, scilicet prædicationem. rursus quod Ioannes prædicabat pœnitentiam dicens: Pœnitentiam agite &c. merito post epistolam graduale sequitur, quod pœnitentiæ lamentum insinuat. Tertio post epistolam sequitur graduale, quia post prędicationem Ioannis, discipuli secuti sunt dominū: sicut Ioannes Euangelista describit: Stabat, inquit, Ioannes, & ex discipulis eius duo &c.

De alleluia, & quid significet.

QVia post luctum sequitur consolatio: nam beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur: ideo post Graduale, cantatur alleluia, quod est lætitiæ canticum, & auditum ab Angelis decantari: sicut legitur in Apo. 19. Rursus, quia ascensus de virtute in virtutem, per quos Graduale diximus significari, sæpe tædiosi essent, nisi gaudium haberent admixtum, sicut filijs Israel multa inconuenientia acciderunt, quando de mansione in mansionem processerunt: ideo post Graduale cantatur alleluia. Thob. penul. Plateæ duæ sternentur auro mundo, & candido: & in uicis eius cantabitur alleluia. Est autem alleluia laus angelica: sententia quidem breuis magnum continens iubilum, siue incitans ad iubilum.

Interpretatio alleluia.

MAgister Petrus Altisiodorensis, sic interpretatur: Alleluia, idest, Al. altissimus. le. leuatus fuit in cruce, lu. lugebant apostoli, ia. iam surrexit

à mor-

a mortuis: & quoniam alleluia futuræ beatitudinis, quasi proprium est vocabulum, merito magis eo tempore scilicet paschali frequentatur, quo Christus surgens eiusdem beatitudinis spem nobis tribuit.

Alleluia, quod cantatur in ecclesia, vnde tractum.

MAgister Petrus Altisidiorensis, sic interpretatur: al. ideſt, Altissimus, le, ideſt, leuatus est in cruce. lu, ideſt lugebant Apostoli. Ia, ideſt, iam surrexit: Petrus commestor dixit super Apo. & Augu. in Glo. Psalterij, q̃ alleluia est verbum imperatiui modi, & sonat alleluia, ideſt, laudate, ia, ideſt vniuersalem, vel, ia, ideſt, inuisibilem, scilicet Deum. quod enim alijs tẽporibus caneretur ad missam, olim ecclesiæ Romanæ non erat consuetudo, sed à beato Gregorio constitutum: imò potius restitutum est: nam cum prius tempore Damasi Papæ fuisset eadem consuetudo, defecerat. Hieronymus dicit, quòd alleluia dicatur in missa, tractum esse de ecclesia Hierosolimitarum.

De mutatione sacerdotis in altari.

HActenus dum epistola lecta fuerit, & choro graduale psallente, sacerdos tacitus ad dextram partem sedebit altaris, illud insinuans, quod, Ioanne prędicante, Christus quodammodo tacebat, quia non prædicabat aperte, sed dicturus euangelium surgit, quia, ut euãgelista tradit, post quã Ioannes traditus est, venit Iesus in galileam prædicans euangelium regni Dei. & quoniam sedes victoris, est sessio sacerdotis, victoriam Christi recte significat, qui post ieiunium uicit diabolum, nam reliquit eum tentator, & accesserunt Angeli & ministrabant ei, post dictam ergo sequentiam, surgens sacerdos & ad sinistram altaris partẽ accedens, pronunciat euangelium. significans quod Christus non venit vocare iustos, sed peccatores, iuxta quod ipse in euangelio dixit: quia non indigent, qui sani sunt, medico: sed qui male habent. 2. q. 1.

De tractu, quid tractus, & quando, & cur assumatur.

A Dominica septuagesimæ, usque ad vigiliam paschę, scilicet indie bus, & officijs luctus: quia tunc non canitur carmen lætitiæ: loco alleluia, quod significat exultationem habitam de spe æternorum, dicitur tractus ex institutione Thelesphori Papæ. dicitur autem tractus à trahẽdo: quia tractim, & asperitate vocum, & prolixitate verborum canitur: eo quòd miseriam, & laborem præsentis incolatus insinuat: de quo Psalmista: Heu mihi, quia incolatus meus, &c. in tractibus enim repræsentatur longa sanctorum patrum expectatio: & iudeorum captiuorum mæror, & affectio: qui tempore Babilonicę captiuitatis, sedentes super flumina Babilonis, & flentes in salicibus, sua organa suspenderunt: quod tempus ecsilesiæ repręsentat à septuagesima, cantica lætitiæ subticendo, & tractus dicendo.

Sequentia seu prosa quid notet.

POst alleluia prosa, seu sequentia dicitur, quod similiter canticum exultationis ad notandum geminam glorificationis stolam, quam sancti accipient. cantatur autem sequentia ab omnibus simul in choro, ut notetur con-

concordia charitatis, talis enim laus Deo placet, vnde in canticis: Vulnerasti cor meum soror mea &c. ideo dicitur in vno: ut notetur concordia & uoluntas vniformis: quia laus sic facta est cibus delicatissimus Deo. hæc est tunica inconsutilis, quam Deus non patitur scindi. 16.q.11.

Quare Diaconus postulet benedictionem ante euangelium.

COnsequenter Diaconus benedictionem postulat, quia nullus debet prędicare nisi mittatur: iuxta illud: Quomodo prędicabũt, nisi mittantur. & dominus inquit apostolis. Rogate dominum messis, ut mittat operarios in messem suam. rursus huiusmodi benedictionem præfigurauit Moyses, qui ascendens in montem, accipit tabulas, & benedictionem, & populo mandata proposuit.

De euangelio: & quare diaconus lecturus euangelium benedictionem petit.

SVpra proxime tactum est: qualiter sacerdos non solemniter celebrãs, ipsemet euangelium dicit. verum quando sacerdos celebrat cum ministris cũcta solemnius peraguntur: tunc enim in quibusdam ecclesijs, ut Romæ, diaconus dextra manu põtificis osculata, codicem euangelij sumit de altari illũ subdiacono ad ferendum tradens, postea benedictionem postulat à sacerdote, & ei benedicitur. data itaque benedictione, diaconus procedit, ubi legitur euangelium, & ibi alta uoce annunciat euangelium: tanquam ubique, & ab omnibus audiendum, iuxta illud propheticum: Super mõtem excelsum ascende tu, qui euangelizas Syon in fortitudine uocem tuam. & dominus inquit in euangelio: Quod dico uobis in tenebris: dicite in luce: & quod in aure auditis, prædicate super tecta: extra de hæret. cum ex iniunct. ut imitemur dominum: qui in montem ascendit, vt euangelium prædicaret, & aperiens os suum docebat discipulos dicens: Beati pauperes spiritu &c.

Diaconus lecturus euangelium populum salutat.

DEinde lecturus euangelium, salutat populum, ut illum ad audiendum verbum Dei attentum reddat, dicens: Dominus vobiscum: ostendens etiam pro hoc se orare, ut dominus sit cum eis: & obseruans quod dominus iussit: in quãcunque domum intraueritis, primum dicite: Pax huic domui. Chorus vero, & populus quasi redditus attentus ad illum, & ad quãcunque partem, in qua Euangelium legitur, se vertunt, quia omnibus propositum est. Respondent: Et cum spiritu tuo: supple, ut digne possis euangelium legere: ac si dicant: Tecum sit ad docendum: & sic mutuo se salutant.

Euangelium legente diacono, omnes stantes audiunt.

EVangelium stando, & non sedendo, auditur: sicut statuit Anastasius Papa. de consec. dist. 1. apostolica; vt ad prælium pro Christi fide seruanda promptitudo notetur. Vnde Lucæ. 22. Qui non habet gladium: vendat tunicam, & emat illum. Diaconus vero statim post quam sibi responsum est: & cum spiritu tuo: ut cunctos reddat dociles, & beneuolos ad audiendum verbum euangelij, idest bonum nuncium nunciantem Regnum Dei, subdit: Sequentia sancti euangelij: thurificans librum, & signans signo crucis. Per

incensi

incensi autem fumum, bona prædicationis opinio intelligitur.

Diaconus, initio euangelij lustrat, os, frontem, cor signo sanctæ Crucis: quid ita.

DEinde signat se in fronte, in ore, pariter & in pectore, seu in corde, ne diabolus, qui bonis operibus insidiatur, tollat ei per erubescentiam, deuotionem de corde, uel sermonem de ore, ac si dicat. Rom. 1. Ego Christi Crucem nõ erubesco: sed eam ore prædico, & corde credo: quia corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem. Clerus uero, & populus, audito titulo euangelij, scilicet: sequentia, &c. siue bono nuncio, uertentes se ad orientem, siue ad altare, vt deum, qui est, verus oriens, glorificẽt: quia misit eis uerbum salutis. Sic legitur in actibus apostolorum, & glorificauerunt Deum dicentes: Ergo & gentibus Deus pænitentiam dedit, & uitã, cum reuerentia, & honore respondent: Gloria tibi domine. Proposito itaque euangelio ad legendum: in quo agitur & de nostra liberatione, scilicet qualiter Christus diabolum deuicit, & nos ab ipsius seruitute liberauit: & victor ad gloriam patris ascendit: ipsi auditores euangelij lætantes in laudem sui Saluatoris clamant, dicentes: Gloria tibi domine.

Sacerdos osculatur euangelium, euangelio dicto à diacono.

EST aduertendũ, quòd postquam diaconus legit euangelium subdiaconus, statim fert euangelium sacerdoti, qui Christum significat, ad osculandum, idest ad prædicationem acceptandam: & non ante, ad figurandũ, quòd Deus illam dumtaxat prædicationem acceptat: quæ fit ex amore, & charitate.

Sacerdos cur thurificetur, dicto euangelio.

EST etiam aduertendum, quòd statim post libri osculum, Diaconus sacerdotem, qui Christũ designat, incensat, ad ostendendum, quòd sacerdotis, maxime officium est, orationis ignitum sacrificium, quod per incensum significatur.

Diaconus cur præmittat ante euangelium, thuribulum cum incenso.

PRæmittit quoque diaconus ante euangelium thuribulum cum incenso: quia Christi opera præcesserunt eius doctrinam: iuxta illud: Cæpit Iesus facere, & docere. thuribulum autem cum thure significat orationem cum deuotione: quam tunc maxime debent habere fideles in audiendo diuinum sermonem.

Diaconus quibus uirtutib uspollere debeat.

DIaconus oportet esse pudicos, nõ bilingues: non multo vino deditos: non turpe lucrum sectantes, habẽtes ministerium fidei in conscientia pura: mulieres similiter pudicas non detrahentes, sed sobrios, fideles in omnibus. qui enim bene ministrauerit, gradum sibi bonum acquiret, & multã fiduciã, quæ est in Christo Iesu &c.

De aquæ quantite.

AQVA in vino miscenda est, modica debet esse, ne vinum à sua specie distrahatur propter nimiam, aquę quantitatem, sed propter sui modicitatem in vinum transeat, & totum in Christi sanguinem conuertatur, & tantominus æque apponendum est, quanto vinum debilius fuerit secundum

dum Alexandrum de Ales: una gutta aquæ sufficit. ideo cautius est ponere aquam super patenę marginem, & postea in calicem eam infundere: & hoc duplici oratione: tum quia non tota aqua ampullę signanda est, sed illa modica in fundenda, tum etiam quia ex ampulla maior aquæ quantitatis labi, atque effundi potest.

Cerei quid significent.

CErei illuminati, doctores ecclesię, per quos ecclesia illuminatur, qui debent habere notitiam utriusque testamenti, significant. hinc est, quod ipsi cerei plerunque quibusdam diuersorum colorum lineis decorantur, ad notandum, quod per doctores ipsos sacra scriptura diuersis sensibus exponitur.

Diaconus quare ad horas non dicit Dominus vobiscum.

SAne Diaconus non dicit dominus vobiscum ad horas, eo quod non ita gerit typũ Christi, qui per Booz hac salutatione usus est, sicut sacerdos qui ea in persona Christi utitur: legens tamen euangelium hoc dicit, quia tunc vtitur officium prædicatoris, & pronunciat doctrinam ab ipso Christo immediate perlatam, & etiam cereum paschalem benedicens, quia tunc Christi resurrectionem repræsentat. sunt tamẽ quidam, qui dicunt, quod in diuinis officijs, quę dicere tenẽtur, licite possunt hoc dicere, cum prohibitum non legatur, quibus generalis vsus ecclesiæ contradicit, ut se inferiores sacerdotibus cognoscant.

De symbolo Apostolorum, quod immediate sequitur euangelium.

EVangelio lecto, mox cantatur alta voce symbolum, scilicet, Credo in vnum Deum: quia corde creditur ad iustitiam: ore autem confessio fit ad salutem. Rom. 10. Ideo ecclesia, ut ostendat quod euangelij verbum, seu prædicationem fide, & corde recipit, mox fidei symbolum ore decãtat. symbolũ ergo per euangelium, fidem post prædicationem ostendit. Vnde Ioan. Hæc eo loquẽte, multi crediderunt in eum. nam secundum Apostolum ad Roma. 10. Fides est ex auditu, auditus autem per uerbum Dei.

Symbolum dicitur uoce sublata, maxime in missa.

DIcitur autem alta uoce: vt omnes illud dicant, & addiscant. omnis enim Christianus tenetur publice fidẽ catholicam confiteri: *propter quod in fronte signatur: In prima uero, & completorio sub silentio dicitur, ne muscæ morientes perdant suauitatem unguẽti.* Rursus ideo in missa patenter dicitur ad notandum, quod hodie fides catholica libere prædicatur, & docetur. In prima uero sub silentio dicitur, ad notandum, quód in primitiua ecclesia, præsertim tempore passionis Christi, prædicatores, & fidei professores siluerunt: & in completorio ad notandum, quòd similiter in fine seculorum, antichristi nempe persecutione inualescente, illorum ora claudentur. Sane sacerdos illud incipit ad designandum quòd omne bonum à Christo procedit. Nam omne datum optimum, & omne donum perfectum de sursum est. & c. 1. q. 1. quam pio.

Quare euangelium Marie & Marte legitur in die assumptionis virginis Marie.

IN die Assumptionis virginis Mariæ legitur euangelium de Maria

&

& Marta, ſcilicet, intrauit Ieſus in quoddam caſtellum. Luc. 10. c. quod prima facie pertinere non videtur: tamen bene pertinens eſt ſecũdum allegoriam. intrauit Ieſus in quoddam Caſtellum ideſt, in beatam virginem Mariam quę dicitur caſtellum, quę eſt terribilis demonibus, & bene ſe muniuit contra diabolum & vitia, diminutiue dicitur Caſtellum propter ſingularitatem, & etiam propter humilitatem: quia nec primam ſimilem viſa eſt, nec habere ſequentem: & Marta ideſt actiua uita recipit eum, diligentiſsime enim nutriuit puerum, & tulit in Aegiptum, & prius ſe probauit in actiua uita eundo ad Eliſabet, & ſeruiendo ei, ſicut ipſa fuit Marta in actiua vita, ita & fuit Maria Magdalena in contemplatiua. hæc autem duę ſorores ſignificant vitam actiuam, & uitam contemplatiuã, quæ plene fuerunt in beata virgine Maria, per quas ipſa ſublimiter, & honorabiliter, in ſe ipſa recepit Chriſtum.

Symbolum auſpicans ſacerdos, cur manus eleuet.

AD hoc Sacerdos illud incipiẽs manet erectus ante medium altaris, manibus extenſis, ſurſum eleuatis, quas poſtquam inceperit, iungit: ſi quidem ſacerdos Chriſtum repræſentans, erectus manet: ad notandum quòd Chriſtus ſemper paratus eſt cunctis ſpiritualia bona largiri, & ante altaris medium: innuens quòd non eſt perſonarum acceptator: ſed, quantum in ipſo eſt, omnibus æqualiter influit: nec angulum diligit, neque ſinum. manibus quoque extenſis: ad deſignandum, quod paratus eſt abundanter benemeritis illa largiri; ſurſum tamen eleuatis. quaſi, ipſo facto, oſtendens: quodque ſurſum ſunt quærite, atque à Deo miſericordiam poſcere: & in eo ſolo ſperare debemus. deinde poſtquam inceperit, manus iungit: quia ei ſoli de perceptis bonis gratias agere: & nos humiliare debemus. & quoniam ſimbolum verbum eſt euangelicum, quo ad ſenſum: ideo ſtando illud audire, ſicut & euangelium, & ſic illo dicto, ſignum crucis facere debemus. Symbolon autem græce, latinè ſonat indicium, uel ſignum, uel collatio; tum quia regulam fidei plenam indicat, & perfectam; tum quia ſimul in unum fidei continet articulos omnes.

Symbolum eſt triplex: & unde dicatur.

ET nota quod triplex eſt Symbolũ. Apoſtolorum primum eſt ſymbolum, quod uocatur ſymbolum minus: quod uidelicet: ex inſtitutione Damaſi Papæ dicitur tacite per ferias in ſingulis canonicis horis, & illud dicitur à ſim, quod eſt con, & bolos, quod eſt ſententia: quia cum poſitum fuit ex diuerſis uerbis Apoſtolorum, ſicut pueri in feſtiuis conuenientes offerre ſolent bolos, ideſt, fruſta carnium, & panis, quæ in unum collecta, symbolum uocatur, ideſt, collectio minutiarum. 43. diſt. non oportet.

Secundum ſymbolum eſt: Quicunq; vult ſaluus eſſe, & c. ab Athanaſio Patriarcha Alexandrino, ciuitate treueri compoſitum. hoc tamen poteſt dici tertium. nam Nicenum, de quo ſequitur, fuit prius, in prima Nicena ſinodo compilatum.

Tertium eſt Nicenum. 15. diſt. c. 1. ſcilicet Credo in unum Deum, quod Damaſus Papa ex condicto uniuerſali

synodi apud Constantinopolim cele brat, instituit, in missa cantari paten ter, quamquam, & Marcus Papa pri mus statuisset illud alta uoce canta ri,& vocatur symbolum maius. sed nō in omnibus ita facile dicendum est in missis Credo,vt nostra tempestate nō nulli faciunt sacerdotes: qui, si ab eis postularetur,vt in missis defunctorum Credo dicerent:contra omne ius,ac ec clesiæ institutum, illud dicere non eru bescerent. Quam iniquum sit,vt ad cu iuslibet rustici: ac vetulæ petitionem quasdam missas cum Gloria in excel sis,& pluribus euangelijs,&Credo,ali qui dicant, alijs iudicando relinquo. nemo enim precibus, nec lucro flecti deberet, vt à recta semita declinaret: In quibus ergo diebus, ac solemnitati bus dicendum sit, quære in missali, in loco suo ordinario.

Ampulla quid,& vnde dicatur.

NOta quod Ampullis,in quibus ui num &aqua continentur pro sa crificio, spiritualiter considerandum est,ꝙ in parua substantia incōprehen sibilia continent futura sacramenta,di citur autem ampulla,quasi ampla bul la,significans cor humanum,quod am plum debet esse latitudine charitatis.

SECVNDA PARS, ET canon missę in quatuor par tes diuidatur.

SEcunda pars missæ in offertorio, siue dominus vobiscum incipit: quæ in quatuor subdiuiditur particu las:prima dicitur secretella: Secunda præfatio:Tertia canon; Quarta oratio dominica:cum sua præfatione, scilicet præceptis salutaribus, potest.etiam, quicquid ab hoc loco vsq; finem missæ dicit,secretavocari:quę secreta in quin que diuiditur partes. Prima est ab ōf fertorio,vsque ad præfationem: & hoc specialiter dicitur secreta: Secunda dicitur præfatio. Tertia Canon: Quar ta oratio dominica: Quinta est embo lismus, quia etenim fuit dominici san guinis effusio,prima in Circuncisione: Secunda in sudore: Tertia in flagella tione: Quarta in crucifixione: Quinta in mortui lanceatione. Sacerdos au tem dicturus,oremus,præmittit, Do minus vobiscum, quasi diceret nisi do minus sit vobiscum, orare non possum ad salutem nostram. Subijcit ergo, oremus,monens populum orare, ut fi dem in Symbolo recitatam credat, & in ea stabilis permaneat:quia & Chri stus discipulis suis dixit: Orate. &c. Prius ergo, quam chorus cantet offer torium,salutatur à sacerdote, ut possit deuote cantare:& mox,post quam ille dixit oremus, chorus cantat canticum offertorium,siue offerentium:& popu lus offert: vt notetur, quod post imple tionem mandatorum offerimus nos ipsos,ac si vnusquisque offerens dicat: Credo: & fidem, quam in Symbolo professus sum, opere compleo, & ora tioni sacerdotis consentio. vnde & sa cerdos statim offert dona consecrāda.

Epistola & euangelium doctorum.

EPistola scilicet testificor coram Deo,& euangelium: Vos estis sal terræ, similiter antiphona: O doctor optime, quæ dicuntur in doctoribus, intelligitur dici debere in quatuor tan tum doctoribus præcipuis, scilicet, Grego. Ambro. August.& Hiero.fra tres vero minores ex priuilegio à sede apostolica sibi concesso dicunt illa in sancto Bonauentura, & per octauam eius,& ex priuilegio & decreto felicis

re-

recordationis pij Papę quinti dicuntur etiam in festiuitatibus aliorum sanctorum, sicut in missali assignatur.

Offertorium vnde nomen traxerit.

TRaxit nomen offertorium à feria, qđ est oblatio, quę in altari offertur: & à Pontificibus consecratur: inde offertorium dicitur, quasi præfertum: oblatio vero, vocatur, quia offertur. dicitur etiam offertorium, quia dum offerenda cantatur: sacerdos accipit oblationem, uel hostias à ministris.

De manuum ablutione.

PRiusquam sacerdos offerat, manus iterum lauat: quamuis prius, dū vestib us se ornabat, lauisset, ut sic magis ac magis mūdatus offerat hostiā in maculatam, sanctam, Deoque placentem: nam & psal. cum mundatus esset, petebat amplius emundari: dicens: Amplius laua me ab iniquitate mea, & à peccato, &c. lauat semper ad dextrum cornu altaris: nam dextra prosperitatem, sinistra aduersitatem significat: sacerdos itaque hostiam oblaturus, lauat manus: ad significandum quòd lauare, ac mundare debet, conscientiam lacrimis pœnitentiæ, ac compunctionis iuxta illud: Lauabo per singulas noctes lectum meum, lacrimis meis stratum meum rigabo.

De pallis, & corporalibus.

INterim vero, dum sacerdos manus abluit, diaconus corporalem pallā super altare disponit, in quo admonen tur ministri, & populus, vt sint ab omni carnali cupiditatę mundi: sicut illa palla mundata est à naturali uiriditate: & humore: munditia quoque corporalis significat munditiam populi fidelis.

Panis & uini oblatio quid signet.

OBlatio panis & vini, significat pia desideria fidelium, seu pro immolatione, seu pro hostia viua, rursus in pane corpus Christi, in vino sanguis eius, in aqua populus representatur, & dicitur panis, à pan, quod est totum, quoniam hic & in futuro est tota verba nostra, uinum dicitur à uite, cui dominus in Euangelio se comparat. aqua uero ab æqualitate dicitur, quia per hoc sacramentum angelis ęquari debemus.

Sacrificium altaris ex quo confici debeat.

EX consulto enim omnium constituimus, vt sacrificium altaris, non inserico pāno, aut in tincto quisquam celebrare pręsumat, sed in puro linteo ab episcopo consecrato: terreno scilicet linteo: ideſt, de terra procreato, atque contexto: sicut corpus domini nostri Iesu Christi in sindone linea munda sepultum fuit: & Christus ueram carnem passibilem, & mortalem de terreno uirginis corpore assumpsit. De lino igitur candido, non intincto, ex institutione Sixti Papæ, & Eusebij fit corporale: de hac palla in canone de consc. dist. 1. ex consulto, ita dicit vt supra.

Corporale quid significet.

SIgnificat autem corporale passionis intentionem, seu corpus Christi: quia sicut linum multo labore, ac multis tunsionibus acquirit candorē: ita Christi caro multo certamine ad resurrectionis gloriam peruenit: significat etiam ecclesiam, per quam corpus Christi intelligitur: quæ multis passionibus, & præsluris ad candorem æternæ vitæ perducitur.

Aqua cum uino miſceri in Calice ſi quid ſignet.

SOlus epiſcopus, vel Sacerdos aquã vino commiſcet in calice, quod nulli inferiori facere licet, quoniam ſolus Chriſtus populos ſanguine ſuo redemit. præterea admiſtio huius unionẽ populi cum Chriſto deſignat, ut ſequitur, quæ fieri non poteſt niſi per gratiã Chriſti, cuius tipum gerunt pontifices & ſacerdotes. cõmiſcetur autem aqua vino in calice, ex inſtitutione Alexandri Pape primi, primo ad notandum, quòd nunquam ſalus populi eſſe potuit ſine ſanguinis effuſione, nec etiam ſanguis effuſio ſine populi ſalute, quia Chriſtus populum ſibi reconciliauit in morte.

Corporale qualiter complicetur, & ſternatur ſuper altare.

ET nota, q̃ in quibusdam eccleſijs palla corporalis, quæ calici ſupponitur, in longum altaris extenditur: quæ quatuor in longum, & tres habet plicaturas in latum: ſiquidem in longum altaris extenditur: quia, ut aiunt quidam, linteamẽ, quo Chriſti corpus involutum fuit, per illam figuram extenſam in longitudine ſepulcri inuentum eſt: quatuor eius plicaturæ in longum, quatuor deſignant cardinales virtutes, ſcilicet, iuſtitiam, prudẽtiam, temperantiam, & fortitudinem, per quas innatæ nobis paſsiones reprimũtur. Tres vero plicaturæ in latum tres theologicas virtutes: ſcilicet, fidem, ſpem, & charitatem, per quas Deo vnimur, figurant. Duplex eſt palla, quæ dicitur corporale: vna, ſcilicet, quam diaconus ſuper altare extendit: altera, quam ſuper calicẽ plicatam imponit: ſignificantes duo linteamina, quibus Ioſeph corpus Chriſti inuoluit: extenſa repræſentat ſindonem, qua corpus fuit in ſepulcro inuolutum, & inde corporale vocatur. plicatum ſuper calicẽ poſita, ſudarium, quo caput eius fuit ſeparatim inuolutum: ſiquidem extenſa, quæ corporale uocatur: ſignificat fidem: plicatumque ſudarium uocatur intellectũ. Hoc enim miſterium credi debet: ſed comprehendi non valet. ut fides habeat meritum, cui humana ratio non præbet experimentum, de pœnit. diſt. 4. in domo.

Oblationes pro defunctis quare.

NOta quod pro defunctis offertur panis & vinum; iuxta illud Thobię. 4. panem tuum & *vinum tuum* ſuper ſepulturam *iuſti conſtitue*, ideſt, diſtribue, & pecunia ſiue argentum, exemplo Iudę Machabei, qui miſit offerri duodecim millia drachmas argenti pro peccatis mortuorũ. 2. Mach. 12.

De ſecunda thurificatione.

OBlatione myſtica, de qua præmiſſum eſt: ſuſcepta, ſtatim adoletur incenſum: per quod illud innuitur, ſtatim ſubſcribitur à Ioanne in Euangelio, de quo præmiſſum eſt: Maria ergo: ſcilicet Magdalena, accepit libram vnguẽti Nardi, piſtici prætioſi, & vnxit pedes Iehu: & impleta eſt domus ex odore vnguenti: & ſacerdos in modum crucis ſuper deducit, & circũducit incenſum ſuper ſacrificium, & altare, ut & crucis ſignaculo, & thuris incenſo diabolicæ fraudis malignitas extricetur, & effugiat: quod vero tertio ſuperducit, & circunducit incẽſum, deſignat, quòd Maria ter exhibuit, & adhibuit vnguentũ circa corpus Ieſu. Primo enim vnxit pedes illius in do-

mo

mo Simonis Phariſei. Secundo, cum in domo Simonis leproſi ſuper caput eius vnguentum effudit. Tertio: cum emit aromata, ut veniens vngeret Ieſum iam poſitum in monumento: voluntas enim reputatur pro facto. 17. q. 1. & ſi ergo. cum per ipſam non ſteterit, quominus expleuerit, quod incepit. quod vero poſt modum vndique totũ incenſatur altare: deſignat, quod poſt factum illud, tota reſperſit eccleſiam: ſicut dominus ipſe teſtatur: Amen, amen dico vobis: vbicunque prædicatum fuerit Euangelium hoc, in toto mundo dicetur, quòd & hæc fecit in memoriam eius.

Thus orationem ſignificat.

PER crematiõnem, & conſecratiõnem thuris ſignificatur quod ſacerdos oratiõnem feruentem & deuotam debet habere. Thus enim virtutem habet aſcendendi ex fumi leuitate conſolidandi ſui qualitate: conſtringendi ex glutinitate: confortãdi ex aromaticitate, ſic dum oratio aſcendit ad Dei memoriam animam ſolidat, quantum ad culpam præteritam impetrando medelam: & conſtringit, quo ad committendi licentiam, cõfortat quo ad præſentem impetrando tutelam. Nauicula uero, in qua incenſum reponitur, deſignat quod per orationem, quam incenſum ſignificat, de huius mundi mari magno & ſpacioſo ad cæleſtem patriam tatagamus nauigare.

De inclinatione ſacerdotis, & oſculatione altaris, ac oratione.

THurificationis expleto miſterio, ſacerdos ſe inclinando dicit: Suſcipe ſancta Trinitas, &c. quod ſumitur de tertio Danielis: ut videlicet offerat ex pinguedine charitatis, ut ſit dignus ad ſacrificium immolandum. Sacerdotis inclinatio, Chriſti humilitatem ſignificat, qui exinaniuit ſemet ipſum, formam ſerui accipiens, factus obediens vſque ad mortem, mortem autem crucis: Qui etiam inclinans ſe ad pedes diſcipulorum poſt ſacramentum in cœna traditum; orauit ad patrẽ. poſtea vero ſe erigens, oſculatur altare ad notandum, quòd per paſsionem Chriſti populus liberatus eſt. Conſequenter ſacramentũ incepturus, orat primum pro ſe, deinde pro populo. conuertens enim ſe ad illum ſubſilentio dicit: Orate fratres, &c. in quo ſignificatur illud, quod Chriſtus diſcipulis ſuis dixit: Orate, ne intretis in tentationem: & ibidem: Et ego pro te oraui Petre. Monet autem orare, ut ſacrificiũ deo ſit acceptabile: & populus debet ſimiliter facere orare reſpondens: Suſcipiat dominus ſacrificium, &cet. Monito itaque populo ſacerdos ſtatim reuoluitur ad altare, per ſiniſtrã partem, ut dictum eſt ſub titu. de ſalutatione ad populum, tunc tandem dicit orationem, quam intermiſerat ab offertorio, citra, quando dixit: Oremus. notandum, quòd Chriſtus iterũ redijt Hieroſolimam ad domum orationis, quam ad tempus deſeruerat, cum ſe ceſſerat in Effren. ſic enim legitur, in euangelio: Cum ueniſſet Ieſus Hieroſolimam, intrauit in templum, & eiecit ementes, & vendentes de templo dicens: Domus mea, domus orationis uocabitur. inſtat enim ſacerdos orationibus, ne indignus inueniatur. orat autem voce demiſſa, primo, ne vileſcat officium miſſæ: & ideo oratio ipſa, quia ſecrete dicitur, à quibusdam

ſe-

secretella, ad differentiam maioris secretæ, à quibusdam vero sacra uocatur. Orat etiam in silentio, ut deuotius oret, nec cogitet, quomodo eius uox, & corporis compositio placeant populo, quia & dominus elongatus est à discipulis, quantum continet iactus lapidis, ut oraret.

De præfatione.

IN præfationibus enim conueniũt homines, & angeli ad concinendum præconia Regi. Vnde & alta, & delectabili uoce cantatur, quia in eis Angelorum præconia repræsentantur, & cantantur coram altari, & à solo sacerdote iuxta illud apost. 14. & cantabunt quasi canticum, nisi &c. si quidem hæc oratio vocatur præfatio, quia præcedit sacrificium principale, est enim quasi prælocutio, idest, ad misterium præparatio, prælocutio, videlicet totius orationis secuturę: A te igitur, vsq; Ad agnus Dei. in hac enim præloquitur sacerdos grates laudes Deo, ut melius ad consecrandum corpus Christi valeat peruenire. & est notandum, ꝙ licet olim innumeræ essent præfationes. hodie decem tantum sunt canonizatæ. Vnde Gelasius Papa de consecr. dist. 1. Inuenimus, inquit, has nouem præfationes in sacro cathalogo tãtummodo recipiendas: Vnam in resurrectione, & in albis paschalibus: Aliam in die Ascẽsionis Domini: Tertiam in die Pentecostes: Quartam in Natali Domini: Quintam in Epiphania Domini: Sextam de Apostolis: Septimam de Trinitate: Octauam de Cruce: Nonam de Ieiunio in Quadragesima, tantummodo dicendam. Vrbanus quoque Papa addit decimam de Beata Virgine Maria.

De Sanctus.

NOtandum est, quod himnus ille scilicet Sanctus, partim Angelorum, & partim hominum verba complectitur: prima enim pars laudem continet Angelorum, & vltima hominum: legitur enim Esai. 6. c. quod Seraphin clamabant, alter ad alterum, & dicebant: Sanctus, sanctus, sanctus, dominus Deus exercituum, plena est omnis terra gloria eius. Legit quoque in Euangelio. Matth. 21. c. & Mar. 11. c. quòd qui præibant, & qui sequebantur, clamabant dicentes: Osanna filio Dauid. Benedictus, qui uenit. & si quidem vox Angelorum, scilicet, Osanna in altissimis Trinitatis, & vnitatis in Deo commẽdat arcanum. *Vox hominum, scilicet Osanna filio Dauid, diuinitatis, & humanitatis in Christo, per*sonat sacramentum. Merito autem cantica Angelorum in ecclesia cantamus, quia per hoc sacrificium terrena cælestibus iungi non dubitamus, & ideo cum eis in excelsis saluari clamamus.

De Osanna.

SEquitur Osanna, quod est verbum Hebræum, & significat, salua obsecro, supplendum est, populum tuum, vel totum mundum: compositum quidem verbum est, ex osi, quod interpretatur saluifica, & anna, quod est apud hebreos interiectio obsecrantis; motum animi significans sub deprecantis affectu. integre ergo dicitur osianna, quod nos corrupta, idest, uocali litera, & elisa, dicimus Osanna, quod facimus ex ignorantia, aut scienter sinalephantes vocalem elidimus, prout in metris fieri consueuit.

De secreta, vel canone Missę.

POst acclamatum pręconium secretum silentium, in quo & missæ canon deuote dicitur, & sacrum misterium peragitur, quod fit per solum Sacerdotem, quoniam secundum Matth. Christus solus orauit, & secundum quosdam hic incipit missa: cetera sunt de solemnitate de conse. dist. 2. panis est. Canon vero dicitur, quod regulis patrum compositus est. à sanctis enim patribus aliqua verba mistica sunt ibi instituta. Canon græcè, latinè uero regula dicitur, quia regulariter Christus uerus sacerdos in eo repræsentatur, seu quia per hunc regulariter fit consecratio sacramenti.

Canon primus quid signet.

POtest dici, quòd primus canon repræsentat tempus illud, quando Christus uenit Hierosolimam ad diē festum, non manifestè. Hæc autem secreta tempus illud, quo receptus fuit in Hierusalem, cum himnis, & ramis oliuarum, & sexta feria sequenti crucifixus fuit. Præfatio uero tempus illud, quando Christus in cenaculo himnum retulit, & illo dicto exierunt in montem Oliueti. Secunda ideo secreta in silentio dicitur, ne sacerdos clamando his, quæ aguntur, minus intendant: Tertio, ne vox sacerdotis nimio clamore deficiat: Quarto ne sacrosancta uerba vilescant. Porrò sacerdos missam celebrans, repræsentat ea, quæ olim Pontifex inter sancta sanctorum egit, & quæ Christus egit, quem ille præfigurauit. Si quidem ea, quæ fiunt à principio secretæ vsque in finem, passionem domini, sepulturam, & resurrectionem dominicam repræsentant.

De expositione Canonis: Te igitur.

INcipit ergo Canon, & eius primæ particula: Te igitur, & exponit igitur, idest certe. Sacerdos enim hoc dicens alloquitur Deum tanquam prę sentem, uel igitur istud continuat ad præcedentia quasi diceret: Tu es sanctus Deus, igitur clementissime pater, idest, clarissima mente abundantissime, uel, idest, misericordissime, uel, idest, mente clarificans, mens enim clarescit, cum Deum propitium sentit, quæ verba dicendo, sacerdos se ante altare inclinat, significans, quòd Petrus inclinauit se, dum prospexit in monumentum. Rursus hæc sacerdotis inclinatio in principio canonis humilitatem Christi ad passionem designat. Quodque sacerdos ipse cum reuerentia ad misterium crucis accedit, significat. Sequitur: Supplices, idest humiles, vti accepta habeas, idest, vt accipias, seu grata habeas. & hic osculatur altare in reuerentiam passionis, per hoc compati se ostendens. sacerdos facit tres cruces super oblatam, & calicem, cum dicit: Hæc dona, hæc munera, hęc sancta sacrificia illibata, quasi dicat: Offerimus tibi clementissime pater hæc dona, hæc munera, hæc sancta sacrificia, commemorantes illam traditionem, quam deus fecit ex dono: Iudas pro munere: Iudeus in sacrificium illibatum: singuli tamen ad mortem, mortem autem crucis. Secundo etiam fiunt tres cruces in reuerentiam eius, qui est trinus Deus, cuius potentia fit conuersio panis, & vini. Tertio, in figuram triplicis unionis in acceptione Saluatoris. Quarto, in memoriam trinæ crucifixionis: Prima fuit in uoluntate per sequentium, de qua Ioan. 2. Col

lege-

legerunt Pontifices, & Phariſei, &c. ſecunda fuit in uoce clamantium, de qua Marcus: at illi magis clamabant: Crucifige. &c. Tertia fuit in crucifixione manuũ, & pedum, de qua Lucæ: Crucifixerunt eum.

Quare dicitur: Dona, & non donum.

EAdem enim ſacrificia dona ſunt ſimul, & munera, dona ſunt nobis ad ſuſtentationem à Deo collata, munera ſunt à nobis Deo, vt laudetur, oblata, nam & quæ ſacris offeruntur altaribus, & munera nuncupantur, & dona. Vnde & dominus inquit in euangelio: Si offers munus tuum ad altare, uade prius reconciliari fratri tuo. Sacrificia dicuntur, quia ſacrificantur, & offeruntur pro peccatis noſtris, vt nos ſacros efficiant. nam munera dicuntur, quæ manibus dantur, uel accipiuntur. dicuntur etiam dona, quo ad panem, in quo eſt farina, & aqua. Munera quo ad uinum, in quo eſt uinum, & aqua. hæc ſancta ſunt ſacrificia quo ad utrunque ſecundum Auguſtinum. Dona referimus, cum noſmetipſos Deo offerimus, & donamus munera, cum eius beneficiorum memores ſumus. Sacrificia illibata, cum ei humilitatem, & laudes impendimus. De hoc uide. de conſe. diſt. 2. in canone. Comperimus. & nota, quòd ideo dicitur pluraliter dona, munera, & ſacrificia, quia panis, & uinum priuſquam conſecrentur, diuerſæ ſunt ſpecies ſubſtantiarum, & diuerſæ ſubſtantiæ ſpecierum: ſed vbi conſecratio cæleſtis acceſſerit ſpecies quædam remanent: ſed ſubſtantiæ conuertuntur. Itaque diuerſa ſunt continentia, ſed unicum eſt contentum. nam idem ſub utraque continetur, licet non in idem utrunque ſubſtantia conuertatur: dicuntur etiam ſancta, & illibata, quia panis, & uinum ſanctificantur in ſacro ſanctum corpus, & immaculatum ſanguinem Chriſti. non enim dicuntur illibata, quaſi non dum guſtata, ſed potius dicuntur illibata, ideſt, in maculata, quæ ſine macula cordis, & *corporis* oportet offerri, quatenus & cor ab iniquitate, & corpus ab immunditia purgetur antequam offeratur, ut ait Apoſtolus: Quicunque manducauerit panẽ, & biberit calicem indigne; &c. dicũtur ergo illibata, ideſt ſine labe ſicut agnus paſchalis immaculatus, qui ſignificat Chriſtum, qui eſt ſine macula.

De ſecunda parte canonis, ideſt, memento.

MEmento *domine famulorum, famularumque tuarum*, & omniũ circunſtantium, &c. ſecunda pars, in qua etiam oſtenditur orandũ eſſe pro ſubditis, & ex hac iunctura verborum euidenter conuincitur, quòd in hoc loco debeat ſacerdos ſpecialiter viuos; quos voluerit memorare: quoniam ſubſequenti Memento defunctorum poterit agere memoriam ſpecialem. Hinc etiam euidenter apparet, quòd ſanctum ſit, & ſalubre miſſarum intereſſe miſterijs, cum ſacrificium euchariſtiæ pro circunſtantibus ſpecialiter offeratur. verum cum Deus ignoret nihil, nec alicuius valeat obliuiſci, quid eſt quod petimus, ut Deus meminerit noſtri, porro Deus dicitur ſcire, quos approbat. Vnde: Noui vos.

Rurſus dicitur obliuiſci malorum, cum malus ad bonum reuertitur. Vnde: Si impius egerit pœnitentiam, omnium iniquitatum eius nõ recordabor: Sequitur quorũ tibi fides cognita eſt,

&

& nota deuotio &c. quasi qui propitiaris fidelibus,& deuotis;qui solus vides in conscientijs, quæ rectè credant, & deuote te diligant. pro quibus tibi offerimus, uel qui tibi offerunt hoc sacrificium laudis, &c. quasi diceret: *Memento* domine, non solum eorum: pro quibus offerimus, sed etiam sacerdotum, qui offerunt hoc sacrificium laudis, &c. cum enim sacerdos offert pro populo,nihilominus & pro se :uel ideo dicit: Pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt, quia non solum offerunt Sacerdotes, sed vniuersi fideles, nam & quod specialiter adimpletur ministerio sacerdotum, hoc uniuersaliter agitur voto fidelium, uel pro quibus offerimus,scilicet actu, uel qui tibi offerũt,deuotione. Dicitur autem sacrificium laudis, secundum illud Apost.Quicquid facere debetis, omnia in laudem Dei facite,vt Deus laudetur in vobis.

Sequitur:Suisque omnibus &c. videlicet consanguineis,uel affinibus,familiaribus,& amicis, licet diligere teneamur inimicos,secundum illud:Diligite inimicos vestros:seruare tamen debemus ordinem charitatis, qui incipit à seipso.23.q. 5. Si non licet.de pœnit. dist.3.sane cauendum.extra.de usu pallij. in fin. secundum illud : Introduxit me Rex in cellam uinariam, &c.

Sequitur: Tibique reddunt uota, &c.uota sua dicuntur, quæ voluntarie promittuntur,quia volenter, & libenter Deo uouere, & votum reddere debemus.extrauag.de uoto, magnæ: verum cum nostra donemus, & aliena reddamus, quomodo uota,si sua sunt, reddunt,& non potius aliena?sane, votũ,& hominis,& Dei est, sed Dei propter auctoritatem gratiæ : hominis, propter libertatem arbitrij. propter quod dicit apostolus : Non autem ego,sed gratia Dei mecum: vel vouere hominis est, reddere uerò est Dei.

Tertia pars Canonis.

COmmunicantes, est tertia pars. Syritius Papa addidit hæc uerba: communicantes, & memoriam venerantes.sane,pontifex, vt lex iubebat, thuribulum viuis carbonibus plenum intra sancta sanctorũ secũ portabat,& Christus carnis suę thuribulum omni uirtute plenum tulit ad astra, sic & sacerdos noster Christi uicem tenens, vacuus à peccatis, & plenus virtutum odoribus ad sacrificium altaris accedere debet. Communicantes, & memoriam venerantes. communicare, idẽ est,quod participare: quia sanctorum, & angelorum pascuis communicare debemus. Memoriam uenerari, idẽ est,quod memoriam honorabiliter colere, quod beata Maria virgo per aduentum spiritus sancti genitrix facta est filij Dei, Iesu Christi, domini nostri,qui deus,& homo est. Communicamus igitur, & memoriam uenerамur Apostolorum, ac Martyrum, & præcipuè gloriosæ uirginis Dei genitricis Mariæ,vt eorum suffragio, de fide perducamur ad spem,de stadio perueniamus ad brauium, de uia ad patriam transeamus. In primis autem nominatur nomen beatæ Mariæ, quia ipsa eum,qui oblaturus est, & qui vera hostia est,genuit,& in cælis obtinet principatum.Nominãtur & duodecim Apostoli,& duodecim Martyres, qui omnes huius sacrificij testes fuerunt, & passionem Christi,uerbis,& effusionis sanguinis testimonio probauerũt.

Quare in Canone non fit mentio Confessorum.

RESponderi potest, quòd Canon prius fuit editus, quam memoriá sanctorum Confessorum ecclesia celebraret. nam omnes fere sancti, qui in Canone commemorantur, precessere Siluestrum, præter Ioannem, & Paulũ, & Marcellinum, & Petrum, qui proximè successerunt. Ecclesia uero post tẽpus beati Siluestri, cepit memoriam sanctorum Confessorum uenerari. Canon autẽ cõuincitur præcessisse, quod apostolarũ Catalogo nõ ita reperitur.

De quarta parte Canonis.

HAnc igitur oblationem, est quarta pars: & hoc dicendo sacerdos in quibusdam ecclesijs profunde se inclinat, & Christus dum pater pro nobis angelorum pertransit intuitum, quia intelligi non potest quantum præsentia sumptæ carnis impetret apud Patrem, pro nobis seruitutis nostræ, idest meæ, & cunctorum, quam tibi seruiunt, & famulantur. & nota, quòd duę sunt seruitutis species, una soli Creatori debetur, quæ dicitur latria; altera, quæ creaturis impenditur, quæ uocatur dulia. Quasdam enim creaturas possumus inter omnia venerari, vtranque speciem dominus determinat dicens: Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quę sunt Dei, Deo. Sequitur: Dies quoque nostros. & nota quòd Leo Papa adiunxit in actionem: Hanc igitur oblationem, vsque: Placatus accipias: Beatus autem Gregorius has tres petitiones in canone dicitur addidisse, prima est: Diesque nostros in tua pace disponas, supple, per eum, qui pro nobis est traditus in manus eorum, qui pacem oderunt. Secunda ab ęterna damnatione nos eripi, supple per eum, qui pro nobis temporali morte damnatus est. Tertia est: In electorum iubeas grege numerari, supple per eum, qui pro nobis damnatus cum iniquis, in pace tua, &c.

Et nota, quòd est pax peccatorum, & pax iustorum, quæ dicitur pax pectoris, siue spiritualis, pax temporalis, & pax æternitatis. De pace peccatorum ait psal. Zelaui super peccatores, &c. Et de pace iustorũ dicit Apostolus: Fructus spiritus est, charitas, gaudium, pax, patientia &c. De pace æternitatis dominus dixit Apostolis: Pacem meam do uobis, non quomodo mundus dat, &c.

Osculatio altaris quotuplex, & quid significet.

CIrca altaris oscula, notandum est; quòd sacerdos ea facit tribus tẽporibus in missa, iuxta tria, quibus indiget, & alia tria ab eo in altaris agenda: Primo enim facit quædam oscula ante collocationem hostiæ, & calicis, scilicet, quando primo ad altare accedit. quando ad primam collectam dicturus est: Dominus vobiscum. & iterum post euangelium dicturus est: Dominus vobiscum: qui oscula facit, vt fiat dignus minister in sacrificando. Secundo facit alia post collocationem calicis, & hostiæ prius, quàm communicet, scilicet dicturus: Orate fratres, &c. & quando in Canone dicitur; Vti accepta, & quando dicit: Ex hac altaris participatione. & finita oratione illa: Domine Iesu Christe, qui dixisti, Apostolis, &c. quæ facit, ut sit iustus ad Christi corpore recipiendo. Tertio vero facit alia, post quam communicauit, scilicet dicturus dominus vobiscum

ſcum ante, & poſt communionem, & completa oratione: Placeat tibi ſancta Trinitas, &c. quæ facit, ut ſufficiens inueniatur gratia domino Deo, pro receptis referenda. Fiunt etiam oſcula ipſa, manibus ſuper altare depoſitis, primo ad notandū, quòd charitas per oſculum deſignata operibus debet initi. nam ſecundum Gregorium, operatur magna, ſi eſt. Si autem renuit operari, amor non eſt. Secundo ad notandum, quòd in altaris ſacrificio ſacerdos omnium temporalium curam deponere, & ſolum ipſi ſacrificio affixa mentem debet habere.

De quinta parte canonis.

QVam oblationem, &c. quinta pars eſt, in qua ſacerdos accedit ad dominici corporis conſecrationem, dicens: Quam oblationem ideſt terrenam materiam ad corpus tui filij deſtinatam, tu Deus, quæſumus, in omnibus, ideſt, tota cogitatione, tota mente, & toto intellectu digneris facere benedictam, &c.

Sane quarta feria Iudas vnus ex duodecim à diabolo ſupplantatus in mane ſacrilegium perpetrauit, dum filium Dei triginta argenteis vendidit Phariſeis, in recompenſatione damni, quod incurrerat propter effuſionem vnguenti & pretij quantitatem: quo Chriſtus venditus eſt. ſacerdos hic facit tres cruces communiter ſuper oblatam, hoſtiam, & calicem, cum dicit: Benedictam, adſcriptam, & ratam. nam & trecenta pariter, & triginta multiplicationem ſuſcipiunt, aternario. poſt modum autem ad deſignandam venditionem, & emptionem duas cruces imprimit ſigillatim, vnam ſuper hoſtiā; & alteram ſuper calicem, cum dicit: Vt nobis corpus, & ſanguis fiat. 9. d. illa venditio fuerat moleſta, proſcripta, irrita, iniqua, & deteſtabilis, ſed tu Deus hanc oblationem digneris facere benedictam, adſcriptam, ratam, rationabilem, & acceptabilem.

Secundo, fiunt tres cruces communiter ſuper oblatam, & calicem, quia Chriſtus tria cōmuniter egit, circa panem, & vinum, videlicet, accepit, benedixit, & dedit. poſt modum facit ſpecialiter vnam crucem, ſuper oblatam, quia dixit commedite, hoc eſt corpus meum; & alteram ſuper calicem, quia dixit: Bibite: Hic eſt ſanguis meus, & ſecundum hunc ſenſum recte ſubiungitur.

De ſexta parte canonis.

QVI pridie, quàm pateretur, &c. ſexta pars eſt. Hæc verba dicitur Alexander Papa primus addidiſſe, ut præmiſſum eſt. Quod autem hoc loco agitur, repræſentat id, quod Chriſtus in cæna fecit & eſt ſenſus: Qui pridie, quàm pateretur: vna die ante, quam ipſe paſſus eſt pro nobis, voluit tradere diſcipulis ſuis corporis & ſanguinis ſui miſterium, ut illi traderent nobis. Quintadecima nanque die primi menſis, qui tunc extitit feria ſexta, paſſus eſt Chriſtus, & præcedente nocte, videlicet decima quarta luna primi menſis ad veſperam, ut leges, & ſcripturam impleret, poſt tipicum paſcha corporis, & ſanguinis ſui ſacramentum inſtituit, & eccleſiæ tradidit frequentandum: Et notandum eſt, quòd ſicut manna data fuit hebreis poſt trāſitum maris rubri, iam ſubmerſis Aegiptijs; ſic Euchariſtia datur chriſtianis poſt abſolutionem baptiſmi, iam deletis peccatis, ut per baptiſmum emunde-

mur à malo;per eucharistiam confirmemur in bono, sicut enim manna populum illum per vastitatem inuiæ solitudinis ad terram promissionis perduxit; sic eucharistia populum istũ per incolatum vitę prælentis perducit.

Sequitur:Eleuatis oculis in cœlum, &c.Per hoc, quòd Christus oculos in cœlum leuauit,insinuat nobis se habere à Patre, quod habet, quodq; in principio nostrorum operum,debemus dirigere mentis oculos ad dominum, tanquam ad doctorem omnium operũ bonorum. Item quòd oculos ad cęlum leuauit, & Patri gratias egit, docuit nos,quòd semper Patri supplicare debemus,ut hoc tam magnum sacramentum per manus nostras perficere dignetur.

Sequitur:Gratias agens, &c.hic colligitur, unde sacrificiũ laudis dicatur. dicitur enim sic Christus gratias agẽs, &c.illud instituit, gratias autem agebat non pro se,sed pro nobis,idest,pro reparatione omnium futura, & in prolatione huius verbi fit crux super panem, quæ significat, quòd Christus passus est, etiam in natura. totus enim passus est,& secundum animam,& secundum corpus.quia Christus accepit panem,& calicem in sanctas,ac venerabiles manus suas: utrunque benedixit. ideo sacerdos Christi exemplo, panẽ, & calicem in manus accipiens vtrunque per se crucis signaculo benedicit. quæ duæ cruces innuunt tempus cœnæ, & tempus gratiæ, in qua duo parietes in angulari lapide coniungũtur.

Corpus Christi cur eleuetur.

Dictis verbis illis: Hoc est corpus meum, sacerdos eleuat corpus Christi: Primo;ut cuncti astantes illud videant, & petant, quod proficit ad salutem. Secundo ad notandum, quòd non est aliud dignum sacrificium, imò est super omnes hostias: Tertio exaltatio eucharistiæ in manu sacerdotis, signat Christum verum panem,per prophetas in scripturis exaltatum, *quãdo* scilicet eius incarnationem prophetizabant. Vnde Isaias: Ecce virgo concipiet,&c.Quarto significat resurrectionem.Quinto eleuatur: ut populus non præueniens cõsecrationem,sed ex hoc cognoscens illam factam esse, & Christum super altare veniſſe, reuerenter ad terram prosternatur, iuxta illud ad Philip. In nomine Iesu omne genuflectatur,&c.

Quare in elauatione sacramenti campanula pulsatur.

IN eleuatione autem sacramenti cã panula pulsatur: nam & in veteri testamento Leuitæ, tempore sacrificij tubas clangebat argenteas, ut earum sonitu populus præmonitus foret adnotandum dominum præparatus, & propter causam eandem campanula pulsatur, dum corpus Christi ad infirmum portatur. Mula etiam Capellã domini Papæ baiulans campanulam fert ob reuerentiam reliquiarum,quas portat.tunc etiam cerei accenduntur: propter causam in secunda parte sub titulo de accolito scriptam.

De septima pærte Canonis.

SImili modo,&c. septima est pars,licet sub vtraque specie sumatur vtrunque,scilicet,corpus, & sanguis, vtraque tamen consecratur, & neutra superfluit.de conse.dist. 2.cõperimus, ut ostendatur,quòd Christus humanã naturam assumpsit, scilicet corpus, & animam, ut totum redimeret. panis

enim refertur ad carnem, & vinum ad animam, quia vinum sanguinem operatur, in quo sedes est animæ. 23. q. 2. Moyses. Legitur Leuitici: Anima carnis in sanguine. Moyses quoque testatur, quòd caro pro corpore, sanguis autem offertur pro anima. Quo circa panis, & uinum in sacrificio offeruntur, quod ualet ad tuitionem corporis, & animæ, ne sub specie panis sanguis sumat cũ corpore: & sic sub altera tantum specie sumatur, ad alterius tantum putetur peruenire salutem. Et quamuis sub specie panis sanguis sumatur cum corpore, & sub specie uini sumatur corpus cum sanguine secundum Innocẽtium tertium; nec sanguis sub specie panis, nec corpus sub specie vini bibitur, aut comeditur. quia sicut nec sanguis comeditur, nec corpus bibitur, ita neutrum sub specie panis bibitur, aut sub specie vini comeditur. Et si concessibile videatur, quòd corpus bibendo, & sanguis comedendo sumatur. Est ergo secundum eum modus sumendi carnem, & sanguinẽ, quo neutrum manducatur, aut bibitur. & ideo recte statuit in Canone de consecra. distin. 2. comperimus quòd corpus Christi sacerdos sine eius sanguine non sumat.

Sequitur: Postea quam cænatum est, accipiens enim panem, benedixit, ac fregit, &c. similiter calicem dicens: Bibite ex hoc omnes, &c. Hac igitur institutione formati, celebramus iugiter per misterium, quod semel offerebatur in pretium. nam vbi veritas venit, figura cessauit.

De octaua parte canonis.

VNde & memores &c. octaua pars est, quia dominus ipse præceperat in cap. simili mõdo, & hoc in sui memoriam faciemus. idcirco in hac parte tria sibi commemoranda proponit ecclesia, scilicet beatam passionem, nec non ab inferis resurrectionem, & in cælo glorioſam ascensionem: Quorum Primum, idest, passio excitat charitatem: Secundum, idest, Resurrectio corroborat fidem. tertium, idest Ascensio lætificat spem. Quid enim in nobis magis charitatem accendit, quam quòd proprio filio suo non pepercit Deus. Rom. 8. Quid magis in nobis fidem cõfirmat, quã quòd Christus resurrexit à mortuis. sicut enim in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes viuificabuntur. Sacerdos igitur hoc repræsentans dicendo: Tam beatæ passionis: manum in modum crucis extendit, ut habitu corporis manuum Christi extensionem in Cruce repræsentet. quod tamen alij faciunt, quando dicũt hanc oblationem, repræsentantes crucifixionem statim secuturam dicẽs autem: nec non & ab inferris resurrectionem, illas ad se, ut prius, reducens, eas parum erigit. Vnde in cãtico Abacuc: Altitudo manus suas leuauit, & hoc in signũ, quòd Christus inuictus Leo surrexit à mortuis. Item dicens: Sed & in cælos glorioſæ ascensionis, eas erigit æqualiter vsque ad humeros insignum, quòd Christus, eleuatis manibus, ferebatur in Cælum, & sedet ad dextram Dei patris, quod dicitur: Vnde, & memores, &c. sic est intelligendum, quasi dicat nos esse sacerdotes profitemur, & plebem tuam memorẽ esse testamur Christi filij tui &c. sacerdotes quidem memores, & instructi esse debent: quia ipsi missam celebrãt, & sacrificium Christi exemplo offe-

runt.

runt. Plebs etiam ſancta memor eſſe debet, quia Chriſtus non ſolum pro ſacerdotibus, uerum etiam pro plebe paſſus eſt, quæ ſancta dicitur, quia fide, & baptiſmo præcepto ſanctificata eſt.

Cruces quinque ſuper haſtiam quid ſignent.

QVia uero eccleſia dixit ſe mero rẽ dominicæ paſsionis, ideo ſtatim acerbiorem ſpeciem ipſius paſsionis commemorat, recolens in quinque crucibus quinque plagas, ſicut enim ſubſequens expoſitio declarabit, ab hinc vſque, dum corporale de ſuper calicem remouetur, dominicæ paſsionis ordo memoratur. nam ubi dicit ſacerdos: Hoſtiam puram, Hoſtiam Sanctam, &c. quinarium Crucis ſignaculũ imprimit ſuper oblatam, & calicem, ſignificans quinque Chriſti plagas, videlicet duas manuum, totidemque pedum, & unam lateris: tres autem Cruces communiter facit ſacerdos ſuper oblatam, & calicem, quoniã in tribus verbis utrunque pariter intelligitur de his, inquam, & illis offerimus hoſtiam puram, hoſtiam ſanctam, hoſtiã immaculatam. ideſt, euchariſtiam immunem ab omni culpa originali, ueniali, & criminali. Poſſunt etiam expo ni hæc verba, vt videlicet Chriſtus dicatur hoſtia pura, qui conceptus eſt ſine peccato, dicatur panis vitæ æternæ, quia eſt refectio Angelorum, & calix ſalutis perpetuæ, quia refectio eſt hominum.

De nona parte canonis.

SVPPLICES te rogamus, & cetera, nona pars: Pontifex, ut lex iubebat, & aſpergebat tabulam, & aram, & exterius ſacrum ſanguine pacifico: & Chriſtus toties aſpergit patrem ſanguine, quoties eum placat per carnem aſſumptam. Aram aſpergit quandiu numerum reſtaurat Angelorum. Sacerdos eoſdem aſpergit, quia hoc ſacrificium placat Deum, & ueniam impetrat. & ſic etiam ſuper hos aſpergit. nam qui nos emundat, augumentat numerum ciuium ſupernorum. dum autem nominat ſublime altare, commemorat ſancta ſanctorum. etiam Sacerdos ſe inclinans orat, & dicit: Supplices te rogamus, &c. uel Sacerdotis inclinatio ſignificat emiſsionem ſpiritus Chriſti. Item dicens: Vt quotquot ex hac altaris, & c. oſculatur ſemel altare, per quod *repræſentatur oſculum* proditoris. *poſtquam dominus* ab oratione ſurrexit; ſacerdos facit tres cruces, primam ſuper oblatam dicendo: Sacroſanctum filij tui corpus: & ſecundam ſuper calicem, dicendo: & ſanguinem. Tertio ſignando ſe ipſum in facie dum dicit: omni benedictione cœleſti, forte propter ſudorem corporis, crucem imprimens ſuper corpus, & propter guttas ſanguinis crucem imprimens ſuper ſanguinem. & quia procidit in faciem ſuam orans, ideo imprimit ſibi crucẽ in facie; uel potius crux, quæ fit ſupra corpus, deſignat vincula, quibus eſt ligatum corpus. illa, quæ fit ſuper ſanguinem, deſignat flagella, quibus tractus eſt, & ſanguis eductus. conſiderari etiam oportet, quòd ſacerdos dicendo: Supplices, &c. ſtat inclinatus, cãcellatis manibus ante pectus, ad ſignificandum, quòd orationis humilitas per inclinationem deſignata, tunc demum, & non alias exaudiri digna eſt. Si ex fide procedat, pectoris, ideſt,

ideſt, mentis, fide, dico, per dilectionem operante, quæ operatio per manus intelligitur: quia vero quædam ſunt opera vitæ actiuæ, quædam vero vitæ contemplatiuæ: ſed opera vitæ quodammodo cancellatim ad opera contemplatiuæ uitæ, ſicut ſiniſtra & dextra, comparantur, eo quod opera actiuæ ſicut ſuppoſita, ſeu inferiora ad opera contemplatiuæ diſponunt, & opera contemplatiuæ ſicut ſuper poſita, & altiora illa perficiunt, & confirmant. & ideo in ipſa manuum cancellatione dextra ſuperponitur ſiniſtræ. cancellatio enim manuum paſſionem Chriſti figurat, & dextra, per quá reſurrectio: leua, per quam paſsio deſignatur ſuper ponitur, ut per hoc Chriſti reſurrectio à mortuis inſinuet.

Sequitur: Iube hæc perferri, &c. tantæ ſunt profunditatis hæc verba, ut intellectus humanus uix ea ſufficiat penetrare. Vnde Beatus Gregorius. de conſe. diſt. 2. quid ſit ſanguis, & in fine dialogi, tanti ſacramenti dignus interpres de illis tanquam de re ineffabili, pene ineffabiliter loquens: quis, inquit, fidelium habere dubium poſsit in ipſa immolationis hora, ad ſacerdotis vocem cœlos aperiri. in illo Ieſu Chriſti miſterio Angelorum choros adeſſe, ſummiſima ſociari, terrena cæleſtibus iungi, vnumque ex inuiſibilibus, atque viſibilibus fieri.

De decima parte Canonis.

ORat ergo pia mater eccleſia, non ſolum pro uiuis, uerum etiam pro defunctis, & eos Deo patri ſacræ oblationis interceſsione commendat, certiſsime credens, quòd ſanguis ille præcioſus, qui pro multis effuſus eſt in remiſsionem peccatorum, nō ſolum ad ſalutem uiuentium; uerum etiam ad abſolutionem valent defunctorum, ideoque Gabilonenſe concilium, de conſecr. diſt. 1. uiſum ſtatuit, vt in omnibus miſſarum ſolemnijs loco competenti videlicet in hoc loco ſecrete, vel in diebus non ſolemnibus, in dominica enim die ob reſurrectionem Dominicam, animæ requiem credantur habere, eccleſia pro defunctis dominum deprecetur, iuxta illud Auguſt. Non ſunt prætermittendę ſupplicationes pro ſpiritibus mortuorum, quas faciendas pro omnibus in chriſtiana catholica ſocietate laudamus. & quia quandoque deſunt defunctis parentes, filij, cognati, & amici, qui ſupplicationes pro eis effundant, una, & pia mater, ideſt tota eccleſia omnes defunctos ſub generali commemoratione ſuſcipit, tacitis illorum nominibus, & eis exhibet Communionem. frequenter enim ſacra ſcriptura defunctos dormientes appellat. pro eo, quia ſicut dormientes euigilant, ita mortui reſurgent. propter quod dicit Apoſtolus: Nolo vos ignorare de dormientibus, & dominus inquit in euangelio: Lazarus amicus noſter dormit.

Ipſis domino, & omnibus in Chriſto quieſcentibus. in hoc loco ſacerdos quorum maluerit defunctorum debet agere memoriam ſpecialem. finita eſt enim memoria mortis domini, & ideo ſequitur mors noſtra. Chriſtus præceſſit, & nos eius veſtigia ſequimur in Chriſto quieſcentibus. ſed non omnes, qui diſceſſerunt cum fide, & dormiunt in ſomno pacis, quieſcũt in Chriſto. hic autem uocantur quieſcentes in Chriſto, qui in charitate mortui ſunt, habentes tamen aliqua purgabilia, eo

quod

quod non plene satisfecerunt pro peccatis confessis, propter quod ad locum purgatorij descenderunt, ubi existentes suffragio indigent.

De vndecima parte Canonis.

NObis quoque, &c. undecima pars. est. Hæc autem oratio protenditur usque, per omnia secula seculorũ, & hęc uerba proferendo sacerdos, paululum expressa uoce, percusso pectore, silentium interrumpit representans contritionem, & confessionem Latronis in illo passionis dominicæ articulo increpantis alterũ, & dicentis: Nos digna factis recipimus, hic autem nihil mali gessit, & dicebat ad Iesum; Luc. 23. Domine memento mei, & cap. Rursus per exaltationem vocis, & per cussionem pectoris exprimitur illud, quod Centurio, & qui cum illo erant, uisis his, quæ fiebant, timuerunt ualde dicentes: Vere filius Dei erat iste. noti uero eius, & mulieres, quæ Christum secutæ fuerant à Galilea, stabant à longe hæc uidentes. quod significant ministri, scilicet subdiaconus, & diaconus retro stantes, qui ad hanc uocem erecti in os sacerdotis, uel episcopi intuẽtur. Præmissa autem pectoris unica tunsio, significat quod secundum Apostolum, ad Romanos. 7. Christus semel pro peccatis nostris mortuus est, & fit cum tribus digitis scilicet, sine pollice & indice, vt trinitatis in unitate notetur. De multitudine miserationum tuarum sperantibus. iuxta quod Psalmus inquit: Secundum multitudinem miserationum tuarum dele iniquitatem meam, partem aliquam ad societatem donare digneris. sed cum ipse Deus sit omnia in omnibus salus, & præmium, & gloria singulorum, iuxta illud: Salus populi ego sum. quid est, quod dicitur, aliquam societatem, &c. tanquã non omnes sint eundem denarium accepturi. propter quod ipse dominus ait: In domo patris mei mansiones multæ sunt. de pœnitentia. distin. 4. in domo. Sicut vnus sol est, cuius *lumine* participant vniuersi, alij plus, alij minus secundum differentiam intuentiũ. Enumerat ergo sacerdos sanctos, quorum societatem petit, idest, octo uiri, & septem mulieres computantur, quia per hoc sacrificium septem charismata gratiarum, & octo beatitudines iunguntur in nobis.

Sequitur: Nõ estimator meriti: quia non secundum exigentiam meritorum retribuit, sed *mitius puniendo, uel magis remunerando, quàm quisque meruit*: Vnde non secundum peccata nostra, &c. Per Christum dominum nostrum. hic non respondetur: Amen. tum quia angeli, qui semper assistunt, respondent: tum quia hæc tacite dicuntur, nec respondentes, audiri possunt. tum quia verba sequentia per quem omnia, &c. iltis coniunguntur, & ab eis dependent. ita quod nihil interponi potest.

Sequitur: Per quem omnia, &cet. ideo omnia dicit, quia per filium omnia creata sunt. Vnde Ioan. Omnia per ipsum facta sunt, &c. quod autem dicitur hæc omnia, est simplex pronominis demonstratio: sic tempus verbi cõfusum: nam præsens confusum præsentis non tenet vsum, & est sensus: Hæc omnia, scilicet panem, & uinum, & aquam, semper bona creas secundũ causas canonicas primordiales: & Sanctificas secundum causas sacramentales: Vuificas, & transeat in carnem, & san-

ſanguinem:& Benedicis,& conſeruent unitatem, & charitatem. Si quidem ſacerdos dicturus: Præſtas nobis, uel diaconus remouet corporale de ſuper calicem,ad notandum ꝙ quando Chriſtus emiſit ſpiritum, uelum templi ſciſſum eſt à ſummo uſque deorſum, & aperta ſunt nobis ea, quæ prius erant obſcura in lege, & clauſa, ſicut dicitur in euangelio, de quibuſdam, & erat abſconditum uerbum iſtud ab eis. ubi enim ſumpto aceto conſumatum eſt, reuelatum eſt: & calice diſco operto accipiens hoſtiam dicit: Et præſtas nobis.

Sequitur: Per ipſum, &c.& abſque alicuius verbi,vel temporis impoſitione coniungas præmiſſa uerba per Chriſtum dominum noſtrum. Per quem hæc omnia, &c. & facis punctum ibi: & præſtas nobis, plana eſt litera, dic ergo:Per ipſum,ideſt tãquam per mediatorem cũ æquali, quia ipſe coæqualis patri. In ipſo, tanquam in conſubſtantiali: uel ipſo, ideſt,in membris eius. In patre quippe notatur auctoritas propter principium,in filio æqualitas,propter medium. In ſpiritu ſancto communitas, propter conſortium.

Sane.6.feria Chriſtus crucifixus eſt hora tertia linguis Iudæorum, quod narrat Marcus: Hora ſexta manibus Gentilium.quod notat Ioan. Circa autem horam nonam, inclinato capite, tradidit ſpiritum. Ad recolendam igitur crucifixionem hora. 3. factam ex linguis iudeorum clamantium ter:Crucifige,crucifige eum.& rurſus: Tollé, tolle, crucifige eum. Sacerdos facit tres cruces ſuper oblatam & calicem dum dicit ſanctificas,viuificas & benedicis: ad recolendam vero crucifixionem, quæ poſt interuallum trium horarum eſt facta manibus gentilium, cum milites crucifixerunt Ieſum. Sacerdos facit iterum tres cruces cum hoſtia ſuper calicem ſuper præmiſſis tribus uerbis,ſcilicet, Per ipſum, & cũ ipſo,& in ipſo. Poſt modum, ad deſignandam diuiſionem carnis, & animæ domini morientis, facit duas cruces cum ipſa oblata in ore calicis, dum dicit: Eſt tibi Deo patri omnipotenti in vnitate ſpiritus ſancti.

Sequitur per omnia ſecula ſeculorum, quia ergo Ieſus clamans voce magna, tradidit ſpiritum: ideo Sacerdos dicendo per omnia ſecula &c. ſeſe,exaltat uocem,& aliquantulum calicem eleuat,uel dicitur alte ad citationem populi,vt ſciens finem canonis,reſpondeat: Amen.

De oratione dominica.

SEcundum eos,qui dicunt,quòd tertia pars miſſæ,quæ dicitur poſtulatio incipit hic: Oremus pręceptis ſalutaribus, &c.& durat vſq; ad collectas; hæc pars continet quinque clauſulas, Prima eſt:Pręfatio, Secunda eſt:Pater noſter, Tertia: Libera nos quæſumus domine. Quarta:Pax domini. Quinta:Communicatio. Quia ergo Ieſus voce magna clamauit: In manus tuas domine commendo ſpiritum meum, ideo Sacerdos, & non totus populus pronunciat:Oremus præceptis &c. nõ enim dicitur ſub ſilentio, ſed palam,vt de euangelio,ad notandum quòd Rex cęlorum in noua lege palam loquebatur,& ſine uelamine prædicauit.ab hoc ideo hæc Dominica oratio, & etiam Credo in unum Deum alta voce dicuntur,vt omnes illam dicant, & addiſcãt. Sed tertia clauſula, ſcilicet, libera

nos &c. sub silentio dicitur, in signum, quòd Christus interdum à prædicatione siluit. sed & proferens pater noster &c. extendit, ac sursum eleuat manus. Primum enim dicens præceptis salutaribus, &c. actus Ioseph, quos præcepit salutaribus monitos, & diuina institutione formatos gessit, repræsentauit.

Est notandum, quòd oratio ceteras orationes propter quatuor antecessit, scilicet auctoritate doctoris, breuitate sermonis, sufficientia petitionum, & fæcunditate misteriorum, auctoritate doctoris, quia fuit ipsius saluatoris, Apostolos orare docentis ore prolata, & inde dicitur oratio dominica, breuitate sermonis, quia facile dicitur, & profertur, iuxta illud: Cum oratis, nolite multum loqui, &c. Sufficientia petitionum, quoniam utriusque vitę necessaria continet, & fæcunditate misteriorum, quia mensa continet sacramenta.

TERTIA PARS MISSAE.

TErtia pars Missæ incipit in in hac oratione: Libera nos quæsumus domine, &c. quæ oratio dicitur super excrescentia, & eo q̃ nihil in ea petitur quod in præcedenti oratione dominica petitum non fuerit, nec tamen superfluit. quoniam est reparatio, & expositio nouissimæ petitionis illius. illa enim dicit. Libera nos a malo: ista dicit: Libera nos quęsumus, &c. & subdit à quibus malis, scilicet à præsentibus, præteritis, & futuris. subditur etiam transitus ad orationem pro pace ibi intercedente beata Maria, &c. uel dicitur sub excrescentia quia in primitiua ecclesia multo tempore dicta non fuit. Dicitur etiam libera nos, &c. quia nos indigni sumus ueniam de præteritis, & præsentibus, atque futuris promereri, nisi nobis donetur oratione beatæ Virginis, & beatorum Petri, & Pauli, atque Andreę, & aliorum sanctorum. ideo hic eos in nostrum patrocinium inuocamus.

Patenæ absconsio quid significet.

POst vero susceptam oblatam, sacerdos abscondit sub corporale patenam, uel saltem eam ab altari remotam subdiaconus retro continet in uolutam: per hoc ergo discipulorum fuga uel latibulum vel infidelitatis excæcatio designatur. qui dum uerum sacrificium offerretur, Christo relicto a discipulis fugerunt & latuerunt, sicut eis predixerat: uos omnes scandalũ. &c. aliquanta particula patenę non absconditur, ut ostendatur quod beata Virgo, & beatus Ioannes Euangelista nõ fugerunt, nec latuerunt.

Subdiaconus qualiter tenet patenam.

SAne subdiaconus tenet patenam parte posteriori eleuata: quasi diceret imitamini me, qui posteriorum oblitus, & anteriora me extendo, innuens etiam quod referre debemus omnia opera nostra ad Christum, & ad coronam ęternam. patena quoque seorsum a calice reuoluta, scilicet pars superior subtus posita, significat lapidem a sepulcro commotum, & reuolutum.

De Resumptione patenæ.

QVia post passionis tristitiam, ad resurrectionis gaudium peruenitur, iuxta illud: Ad uesperum demorabitur fletus, & ad matutinum lætitia, ideo subdiaconus interea, dum chorus respondet: sed libera nos à malo

lo, accedens ad. Diaconum tradit illi patenam inuolutam: diaconus illam recipiens, eam reuelat, & reuelatam præsentat,& tradit Sacerdoti osculando illius manum; Sacerdos uero cum ea signum sanctæ Crucis sibi facit, & eandem postmodum osculatur. hi quidem tam numero,quàm obsequio, sanctas illas mulieres significant.de quibus narrat Euangelista Matthe. quod uespere sabbati, quæ lucescit in prima sabbati,uenit Maria Magdalenæ,& altera Maria uidere sepulcrum.Præsentantes patenam,idest cor patens,latitudine charitatis, & obsequium sepulturæ.iuxta quod legitur, quòd mulieres emerunt aromata, vt venientes vngerent Iesum, &c.Accessus igitur diaconi,qui Marias significat in tradendo patenam,significat illud, quod Mariæ veniunt uidere sepulcrum,& resurrectionem Christi latè credentes, eam Apostolis nunciauerunt, qui demum domino suæ fidei latitudinem obtulerunt.& ideo de manu diaconi patenã, idest,latitudinem charitatis accipit Sacerdos, idest, Christus acceptat, uel per Subdiaconum intelligitur, Nicodemus,qui etiam latè credidit,& obsequium exhibuit Saluatori: quod uero patena prius inuoluta de hinc reuelata ad altare deportatur, hic est Moyses de fiscella ad regiam perductus domum: diaconus autem manum Sacerdotis osculatur,ad notandum quòd ipse vult esse socius in passione, vt socius sit in regno. secundum quod ait Apostolus:Si compatimur,& corregnabimus. Rursus ideo se signat cum patena,& osculatur post illam, ad notandum,quòd si per passionem filij reconciliamur Deo patri, erimus & hæredes regni cælestis, uel signum crucis cum osculo significat glorificationem Christi in Cruce cum charitate.

Hostia ponitur inter calicem & Sacerdotem. quid signet.

COmmuniter ponitur hostia inter sacerdotem & calicem primo ad notandum quod Christus est mediator Dei & hominum. 10. dist. quando. & secundum hoc Sacerdos Deum patrem,hostia Christum, aqua in calice populum significat. quia non nisi Christo mediante ad resurrectionem gaudium possumus peruenire,secũdo propinquior est Sacerdoti hostia, quam calix, quia prius a Christo consecrata legitur,quam sanguis.

De fractione hostiæ.

SAcerdos ergo hostiam intendens frangere,ipsam de altari leuat supponens illi patenam,& super ora eius collocat: inde tollens eam super calicem per medium frangit dicens: Per eundem dominum nostrum, &c.ad significandum, quòd nemo passionibus mundi meritorie ualet exponi,uel etiã ad æternæ beatitudinis fruitionem admitti, nisi prius in bonorum operum perfectione fuerit solidatus. Vnde Apostolus: Accipite armaturam Dei, vt positis resistere, &c. ad hoc patena hostiæ supponitur, & super calicem frangitur ad significandum,quód Christus ex latitudine charitatis per patenam dispositionem significatę se supponit passioni, frangitur etiam super patenam, vt ipse panis viuus rememoretur.

Quare per medium hostia frangitur.

CIrca quod notandum est, quòd in duas partes frangitur, iuxta duplicem prędestinatorum statum. Scilicet,

licet, æternæ gloriæ, & temporalis miseriæ. ideoque vna medietas sub diuiditur in duas partes. quare una est de prædestinatis, qui purgantur in purgatorio, alia pro illis, qui adhuc viuunt in hoc mundo caduco. Post fractionem uero in manu dextra remanens, potius ponitur super patenam, quàm quæ in manu sinistra remansit, & quidem pars ipsa, quæ in dextra manu remãsit, designat prædestinatos, qui iam sunt in gloria, & iam tenet illam rectitudinem, cui nulla rectitudo admisceri poterit. & ideo merito in parte dextra tenetur, altera uero pars designat prędestinatos, qui adhuc sunt in temporali miseria, ubi multa obliqua, & pauca recta inueniuntur, quare merito in sinistra tenetur.

Quare pars, quę in sinistra remansit, iterum subdiuiditur.

AD quod, illi, qui sunt in gloria vniformem statum tenent, & una beatitudine fruuntur. ideo pars in dextra manu retenta, & super patenam collocata, quæ illos, vt præmissum est, signat, non frangitur: sed illi, qui sunt in temporali miseria, in statu, & miseria sunt diuisi. nam alius est status miseriarum eorum, qui adhuc uiuunt in corpore, & alius eorum, qui purgantur in purgatorio igne, ideo pars, quæ in sinistra tenetur, illos significans diuidi debet.

Quare particula post diuisionem remanens in sinistra coniungitur parti super patenam prius positæ.

DIcendum est, quod secundum Augustinum: Deus duas habet manus, scilicet dextram, qua miseretur, & sinistram, qua punit illos, qui sunt in Purgatorio, in quantum ibi purgãtur: & ideo particula, quæ in sinistra tenetur, illos figurat, hi uero, qui sunt adhuc in præsenti uita, in qua est status merendi, consequi possunt misericordiam, & ideo per aliam particulam, quæ est in dextra, signantur.

Quare dicendo: pax domini, &c. facit signum crucis super sanguinem cum dicta hostiæ particula.

AD hoc dicendum est, quòd tres cruces significant triduum, quo Christus fuit in sepulcro, uel tres mulieres, quærebant Christum crucifixũ ad hostium monumenti. Vnde illud: Quem quęritis viuẽtem cum mortuis. & dicto pax domini &c. Chorus respondet: Et cum spiritu tuo, & quidem hoc dicendo optat pacem ipsi sacerdoti, & petit etiam pacem sibi dari, & ut dignus sit illam recipere, prędicit ter agnus Dei. &c.

Quare dictæ hostiæ particula immittitur in sanguinem.

COmmixtio hæc fit primo, ad notandum, quòd Christi corpus nõ fuit sine sanguine, nec sanguis sine corpore. Secundo ad designandum, quòd vnum sacramentum conficitur ex speciebus panis, & vini. Tertio, corporis, & sanguinis post trinum crucis signum permixtio est animæ ad corpus reditio. omnibus enim in cœlo, & in terra pacificatis, virtus trinitatis animã crucifixi reduxit ad carnem, ne derelinqueret animam eius in inferno, nec daret carnem eius videre corruptionem. iuxta quod dicit in Psal Ego dormiui, & somnum cæpi, & exurrexi, quia dominus suscepit me. &c.

Quare

Quare fiunt tres partes de Christi corpore.

DIcendum est, quòd frangitur in tres partes, primo in memoriam trinitatis, secundo, in memoriam triplicis status Christi. Primus fuit in hominibus, Secundus fuit mortuus in sepulcro iacens. Tertius est immortalis in cœlo existens. Tertio uero in memoriam, & signum, quòd Christus passus fuit in triplici parte sui corporis, idest, in pedibus, in manibus, & in latere.

De Agnus Dei.

QVIA Iesus statim, ut salutauit Apostolos, dedit eis potestatem remittendi peccata dicens: Quorum remiseritis peccata, remittuntur, eis & quorum retinueritis retenta sunt. Ioan. uigesimo. idcirco chorus clamat ad Deum, & postulat: Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miserere nobis. Siquidem Ioannes videns Iesum ambulantem dixit: Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi, idest, qui uenit, ut tollat peccata mundi, quia pro peccatis tollendis pascha nostrum immolatus est Christus. In præmissis ergo verbis Agnus Dei, &c. est quædam deprecatio, ut videlicet Innocentis agni misericordia peccata irruentia, & subitanea auferantur, & dicitur Agnus Dei, quasi agne, qui agnouisti patrē, miserere nobis: Agne qui agnouisti matrem, miserere nobis: Pie, qui redemisti mundum, & qui obtulisti te pro nobis, dona nobis pacem. In ecclesia uero Lateranensi nunquam dicit: Dona nobis pacem: sicut nec schola cantorum: sequens morem antiquum.

De pacis osculo.

POstquam dominus salutauit Apostolos, iterum dixit: Pax vobis, ostendens, quòd non solum debemus pacem habere in ore, uerum etiam in pectore, ne simus ex illis, qui loquuntur pacem cum proximo suo, mala autem in cordibus eorum. ideoque cum hæc dixisset, Apostolis in sufflauit in illos, & dixit: Accipite spiritum sanctum, &c. ideoque quod sacerdos pacem populo tribuit præ figuratum fuit à Iosue, qui, hostibus superatis, terram obtinuit, quam sorte diuisit, & in pace possedit.

In Missa pro defunctis quare pax non datur.

NON datur pax in missa defunctorum, quia fideles animę iam non sunt, nec ulterius erunt in turbatione huius mundi, sed quiescunt iam in domino: unde non est eis necessariū pacis osculum: quod est pacis, & concordiæ signum: & ideo in missa illa non dicitur oratio illa: Domine Iesu Christe, qui dixisti apostolis tuis: Pacem relinquo &c.

Pontifex volens communicare, quare accedit ad sedem suam.

ROmanus Pontifex ideo non communicat, ubi frangit. quoniam ad altare frangit, & ad sedem communicat, quia Christus in Emaus corā duobus discipulis fregit, & in Hierusalem coram discipulis duodecim manducauit: in Emaus enim fregisse legitur, sed non comedisse legitur: In Hierusalem vero fregisse non legitur, sed legitur comedisse secundum Innocentium. 3. Ascendens igitur sedem, ibi communicat: siquidem secundum Apostolum Christus caput est ecclesiæ. caput autē

in

in corpore ſublimius, & excellentius ob ſui perfectionem ceteris membris collocatur: & quia in eccleſia militãte ſũmus Pontifex ſicut Chriſti, vicarius, & caput omnium prælatorum: perfectius Chriſtum repræſentat: congruum eſt, ut ipſe nõ in altari, ſed in loco ſublimiori communicet: oſtendens, quòd Chriſtus etiam in ſua humanitate perfectius, & copioſius participat illa in effabilia gaudia, ut pote, ut in bonis potioribus collocata. cum uero celebrat pro defunctis, tunc ſuper altare communicat: quia tunc ſpecialiter mẽbrorum Chriſti hinc fideliter decedentium gloriam repræſentat. ac membra Chriſti, cum ad illam gloriam perueniunt, inferiorem poſt Chriſtum gradũ obtinent: ſicut membra poſt caput. In Paraſceue quoque ad altare communicat: tum ob reuerentiam paſsionis Chriſti, tum quia tunc quaſi exequias celebret Ieſu Chriſti, tum & iam tunc ſolus communicat: quia in Chriſti paſſione, omnibus diſcipulis fugientibus, ipſe ſolus remanſit: alij autem prælati non ſic, ſed ſuper altare communicãt, quia non ita proprie Chriſtum caput eccleſiæ repræſentant.

QVARTA PARS MISSAE.

De communione ſacerdotis.

HIC incipit quarta pars miſſe. poſt pacis enim oſculum ſacerdos communicat hoc modo: nam ſicut in Nicenen. Concilio. 93. diſt. peruenit: legitur euchariſtiam confectum per ſe de altari, ſiue de patena ſumit, & comedit, quia ſumptio corporis ſignificat corporum noſtrorum reſtaurationem, quam Chriſtus nullius miniſterio perfecit: & futuram reſurrectionem, quam ſua uirtute abſque miniſtro faciet. Sumptio uero ſanguinis redemptionem animarum, ſiue peccatorum ſignificat. Hoc autem breuiter notandum eſt, quòd ſacerdos ante perceptionem corporis, & ſanguinis Chriſti debet dicere orationes à ſanctis patribus inſtitutas: deinde meditari debet incarnationem: & paſsionem, in virtute huius ſacramenti dicens: Panem cæleſtem accipiam, &c. ſed cum ſtatim poſt uerba ipſa ſubiungat: Domine non ſum dignus &c. ex humilitate ſua profitetur indignitatem: & exercitatio ad deuotionem, & profeſsio humilitatis contraria non ſunt. deinde corpus, & ſanguinem Domini ſumpturus, ſe cum illis ante faciem Cruce ſignat dicens: Corpus domini noſtri Ieſu Chriſti cuſtodiat &c. ſumat euchariſtiam: deinde, iunctis manibus, inclinans ſanguini dicit: Quid retribuam, &c. & dicens: Calicem domini accipiã: & non prius accipit, & eleuat calicem de altari: poſtea uero dicens: Laudans inuocabo dominum, ſe ſignat cum illo, quo uerſu expleto ſanguinem ſumit, ſed ſanguinem ſumendo, ter haurit, trinitatem deſignans: Perfuſionem uero ſumendo bis: vt per hoc charitas, quæ inter duo conſiſtit, ſignificetur, ſeu etiã quoties nouerit expedire. Poſtea uero commixto domini corpore cum uino ſimul: quia pace annunciata aufertur corpus dominicum de altari, quoniam in tertia die anima eius, quæ deſcendit ad inferna, ut liberaret iuſtos, & membra uiuificaret: redit ad corpus: nec amplius inuentum eſt corpus dominicum in ſepulcro: quia ergo Chriſtus totus

homo

homo resurrexit simul. ideo ad hoc no tandum illico simul cũ oblatione corpus domini de altari aufertur,& sumitur: & inde calix , & corporale totaliter eleuantur.

Thurificatio quid significet.

EPiscopus, seu sacerdos accipiens de manu diaconi thuribulum sacrum incensat altare: quia Christus corpus assumens de genere prophetarum,factus ex semine Dauid secũdum carnem suis orationibus fouet ecclesiã secundum quòd orat in euangelio: Pater sancte pro eis rogo, & non pro eis tantum,sed pro illis,qui credituri sunt per uerbum eorum.

De perfusione.

POst sumptum eucharistiæ sacramẽtum; sacerdos digitos abluit, & perfudit , ne quid forte incaute remaneat,seu adhæreat ex contractu diuini sacramenti : non quòd quicquam in mundum ex ipso contractu contraxerit : sed ut potius suam commemoret indignitatem : qui se iudicat tantis sacramentis celebrandis indignum: iuxta illud,quod dominus ait : Cum omnia benefeceritis,dicite: Serui inutiles sumus, &c. trina ergo sacerdotis ablutio,quæ fit in principio, in medio,& in fine, designat mundationem cogitationis,locutionis, & actionis, uel purgationem peccati originalis, venialis , & criminalis; siue quod agitur per ignorantiam,& negligentiam,& industriã, ad quorum mundationem offertur sacrificium salutare: de conse. distin. 2. cum omne in prin.

De post communione.

ANtiphona , quæ post communionem à pluribus nuncupatur;ideo sic appellata est: quoniam post cõmunicationem,siue in signum,quòd communicatio expleta est, concinitur: hæc autem antiphona apostolorum gaudium de Christi resurrectione significat:iuxta illud:Gauisi sunt discipuli, viso domino,& præ gaudio mirabantur: est ergo communio gratiarum actio iuxta illud:Edent pauperes,& saturabuntur &c.

De oratione nouissima.

PEracto communionis misterio:Põtifex, seu sacerdos osculat altare: innuens se credere firmiter,& consentire his , quæ circa sacrificiũ acta sunt: & conuersus populum saluat: & deinde redit ad dextrũ cornu altaris:significans , quòd in fine mundi post Antichristi mortem : Christi prædicatio, siue Christus rediturus est ad iudeos, quos iam reprobauit: tũc enim conuertentur:& reliquiæ Israel saluæ fient,& eleuatis manibus, vltimam orationẽ , quæ proprie Postcommunio uocatur: exequitur:in qua rogat, & gratias agit de sacramenti perceptione dicens collect. pro numero secre tellarum: orat enim pro his, qui ad hanc communionem eucharistiæ accesserunt: hæc autẽ oratio significat orationem capitis nostri Iesu Christi : qui pro nobis interpellat quotidie apud patrem.finis uero illius orationis, ubi dicitur per dominum nostrum Iesum Christum,&c. significat , quòd aduocatum habemus in cælo apud patrem.

Notandum est autem , quod missa tribus modis finitur : primo p Itemissa est:scilicet,ite post Christum, & sequimini ipsum : quia missa est ad Deũ patrem placandum hostia , per quam fracta sunt tartara , & reseratus est paradisi

radisi introitus: Secundo modo terminatur per Benedicamus domino : Et populus Deo gratias agendo, ad propria rediens, significat discipulos cum gratiarũ actione post passionem Hierusalem reuertentes : Tertio finitur missa, per requiescant in pace: scilicet, missa pro defunctis: respõdetur, Amẽ, idest fiat: optatur enim requies. Rursus finis missæ, finem mundi significat: Ite missa est, uel Benedicamus domino, libertatem, quæ dabitur iustis in patria, vbi semper Deum benedicent.

De Benedictione post missam.

BEnedictio super populum: missionem spiritus sancti significat: quẽ dominus ascendens in cælum: de celo misit in apostolos: iuxta quod ipse promiserat eis dicens: Accipietis virtutem Spiritus sancti super uenientis in uos: vnde hæc benedictio per uerbum oris, & per siguum Crucis exprimitur: quoniam illa missio personam aeris, & lingum ignis innotuit iuxta illud: Factus est repente de cælo sonus tanquam aduenientis spiritus vehemẽtis, &c. significat etiam vltimam benedictionem. Venite benedicti patris mei &c.

In missa uero pro defunctis Pontifex solenniter non benedicit: tum quia in ea omnes solennitates cessant: tum quia hæc solennis Benedictio fit non solum pro venialium delectione, sed etiam propopuli excitatione, ut in domini adiutorio confidat, & benedictũ in secula confiteatur: At defuncti absentes excitari nequeunt, licet possint nostris suffragijs adiuuari: tum quia gaudium non debet luctui admisceri. Hinc nunc institutum hoc communiter in Missis pro defunctis obseruatur: in his enim nũquam benedictio datur.

Hostia rotunda cur fiat.

HOstia autem formatur rotunda, quia dominus in terra & plenitudo eius orbis terrarum, & vniuersi qui habitant in ea. 8. dist. quo iure. & ipsa sui forma significat illum, qui principio caret, & fine. quamuis ipse sit *principium & finis.* Apoc. 1. c. rursus cum figura rotunda formetur a puncto ad punctum. per hoc innuitur quod ab ipso sunt omnia, & ad ipsum omnia retorquentur: vnde Psalmus: Veritas tua in circuitu tuo.

Linteamina alba operiunt altare.

POrrò linteamina alba, quibus operitur altare, carnem siue humanitatem saluatoris designant, *quæ multo labore candidantur: sicut Christi caro, & terra, idest, ex Maria orta,* per multas tribulationes, ad resurrectionem & candorem, & lætitiam immortalis peruenit: de qua exterius sunt ecclesiastica sacramenta, de quibus dictum est: Altaria tua domine virtutum &c.

DE VIRTVTE, ET vtilitate Missæ.

SAcerdos, qui sine peccato est mortali, & in bono proposito, si non celebrat, cęlestem trinitatem priuat glória, & honore: & ipsos angelos in cælesti patria gaudio, & lætitia: homines in terra laborantes beneficio, & gratia: animas in Purgatorio degentes patrocinio; & venia: & seipsum priuat ordinatione mentis: informatione intellectus; verborum veritate: famæ claritate. Beda presbyter: Accede ergo ad altissimum sacramentum, & communionem propter trini-

trinitatis gloriam: Angelorum lætitiam, hominum gratiam, animarum veniam: ordinationem mentis, formationem intellectus, verborum veritatem, famæ claritatem: desideriorum puritatem: animi stabilitatem. Ista sit tota tua intentio, & finalis deuotio: Gregorius: O quantum bonum, quam mirificum: quia nunquam diuina misteria peraguntur, quin tibi concurrant duo opera virtuosa: scilicet, vnius animę de purgatorio liberatio, &c. caueant ergo hæredes parentum, & charorum mortuorum, & commissarij testamentorum, & maxime sacerdotes, & cæteri, qui animæ committuntur: vel quorum eleemosionis vsi sunt: uel vtuntur, nec aliquo modo hæc remedia subtrahant, uel deserant, quia eorum meritũ est faciendũ, & in futuro pro summo priuilegio eis reputatur: non autem faciendo mortaliter peccant: primo in Deum propter infidelitatem commissi. Secundo, in omnes sanctos, & angelos, de quorum collegio sunt, dum liberantur. Tertio, in omnes animas in purgatorio existentes, quia impediunt eorum absolutionem. Quarto in omnes viuos christianos, pro quibus animæ liberare, orarent, & intercederent ad Deum, pro quibus negligentijs si tales non satisfecerint in præsenti grauiter punientur, & in futuro damnabuntur. Bernardus: Missa tantæ dignitatis est, quòd si homo totum mũdum interim pertransieret, & omnia, quæ habet, in eleemosinas erogaret, plus sibi prodest auditio missæ. Hieronymus: Animæ, pro quibus homines tenentur orare, infra auditionem missæ carent pœna purgatorij. Paulus: Vna oratio capitis plus ualet, quàm oratio omnium membrorum. Missa enim oratio Christi est, qui caput nostrum est, & nos membra eius sumus. Beda: Mulier prægnans deuote missam audiens, si illa die parturierit, sine magno dolore, & periculo pariet. Gregorius: Vna missa plus ualet in vita, quàm mille post mortem, & ad remissionem pœnæ, & culpæ, & etiam omnium peccatorum. Chrisostomus: Tantum ualet celebratio missæ, quantum mors Christi. sicut enim mors Christi nos redemit à peccatis, sic celebratio missæ ipsam deuote audiendo, saluat à periculis corporis, & animæ. Augustinus: Quacunque die homo corpus Christi videt, illa die non perdet lumen oculorum, nec subitanea, uel mala morte morietur. & si casu aliqualiter cito moritur pro communicato habetur, & anima ipsius ad infernum non damnabitur. Item idem, infra auditionẽ missæ homo non senescit, nec debilitatur. Origenes, de ortu ecclesiarum: Conuenientibus nobis in ecclesia, ut animarum celebrentur suffragia: earum mox extinguuntur incendia vniuersa, & minuuntur in futurum nostra supplicia. Gratianus: Vociferatio facta in ecclesia, resonantiaque missarum, ipsarum animarum purgandarum omne extinguit incendium. Cœlestinus Papa: Tũc enim rite, & veraciter nostram salutem operamur, cum defunctorum misericorditer felicibus eleemosinis, & sacrificijs memoramur. Cassianus: Sola enim misericordia Dei, & hominum comes est animarum defunctorum. Augustinus: Ille nimirum sine omni spe cœlestis patriæ moritur, & salute, qui defunctorum animabus non subuenit, quorum tandem intercessionibus

nostrum meritum augetur, & crescit. Gregorius: Scio, quòd defuncti nos accusabunt in iudicio: quia non reseruantur suffragio, auxilioque nostro. Ambrosius de officijs: Omne, quod defunctis pietatis impenditur, ad nostrum tandem meritum transmutatur. Beda: Indignus erit post hanc vitam omnium fidelium suffragio, qui defunctorum immemor fuerit in hoc mundo. Ricardus de sancto Victore: Ipsi, qui iam de purgatorio erepti, cælesti adsunt gaudio, miro quodammodo interpellant pro his, qui defunctis subueniunt in hoc seculo. Aymo super Cantica: Iusto Dei iudicio æternæ damnationis se subijcit, qui defunctorum immemor, quantum ad auxilia, suffragiaque existit. Hugo de sancto Victore: Post hanc uitam consolatio denegabitur ei, qui defunctis in seculo minus suffragatur. Theodorus in libro de ætate mundi: Finito animarum purgandorum supplicio: mox pro salute nostra clamores offerunt Deo. Cælestinus: Missæ, eleemosinæ, ieiunia, & oratio sancta purgandarum animarum sola sunt suffragia. Sanctus Gregorius in dialogo lib. 4. cap. 6. de virtute missæ, & de vtilitate eiusdem: Inter hæc autem pẽsandum est, quòd tutior uia sit, vt bonum, quod quisque post mortem suã sperat agi, per alios agat, dum viuit ipse p se ipso. Beatus quippe est liberum exire, quàm post uincula libertatem quærere debemus. ita quod præsens seculum, vel quia iam conspicimus defluxisse tota mente cõtemnere quotidiana Deo lacrimarũ sacrificia, quotidianas carnis, & sanguinis hostias immolare. hæc nanque singulariter victima ab æterno interitu anima saluat, quę illam nobis mortem unigeniti per misterium reparat, qui licet surgens à mortuis iam non moritur, & mors illi non dominabitur, & tamen in se ipso immortaliter, & incorruptibiliter uiuens pro nobis iterũ in hoc misterio sacræ oblationis immolatur: eius quippe corpus ibi sumitur, eius caro in populi salute partitur: eius sanguis iam non in manus infidelium, sed in ora fidelium funditur. hic ergo pensemus, quale sit pro nobis hoc sacrificium, quod pro absolutione nostra passionem unigeniti Dei filij semper imitatur. quis enim fidelium habere dubium possit in ipsa immolationis hora ad sacerdotis uocem Cælos aperiri? in illo Iesu Christi misterio angelorum Choros adesse summis ima sociari. terrena cælestibus iungi. unum ex inuisibilibus, atque uisibilibus fieri? sed necesse est, vt dum agimus, nosmetipsos Deo in cordis nostri contritione mactemus. quia qui misteria dominicæ passionis celebramus, debemus imitari, quod agimus. tunc ergo uere pro nobis Deo hostia erit, cum nosmetipsos sibi hostiam fecerit. sed studendum nobis est, ut etiã post orationis tempora inquantum, Deo largiente, possumus in ipso suo animum pondere, & vigore teneamus, ne scilicet nos cogitatione fluxa dissolnat. ne uana mentem lætitia subrepat, & lucrum compunctionis anima per incuriam fluxè cogitationis perdat. sed quippe quod poposcerat anima continere meruit, quia se post lacrimas in eodem mentis vigore seruauit. de qua nimirũ scriptum est: quia vultus eius non sunt amplius in diuersa mutati, quæ ergo non est oblita, quæ petijt nõ

est

est priuata munere, quod popoſcit. Sed inter hæc ſciendum eſt, quia ille recte ſui delicti ueniam poſtulat, qui prius, quod in ipſo delinquitur, relaxat. munus enim non accipitur niſi ante diſcordia ab animo pellatur, dicente ueritate: Si offers munus tuum ante altare, & recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid aduerſum te, relinque ibi munus tuum ante altare, & uade prius reconciliari fratri tuo, & tunc veniens offeres munus tuum. quia in re penſandum, cum omnis culpa ſaluatur munere. quam grauis eſt culpa diſcordiæ, pro qua nec munus accipitur. Debemus itaque ad proximum, quamuis longe poſitum, longeque diſiunctum, mente ire, eique animum ſubdere humilitate, illum beneuolentia placare. & ſic conditor noſter, dum tale placitum noſtræ mentis aſpexerit, à peccatis nos ſoluet. quia munus pro culpa ſumit. veritatis autem voce atteſtante, didicimus, quia ſeruus, qui decem millia talenta debebat, cum pœnitentiam ageret, abſolutionem debiti à domino recepit. Sed quia conſeruo ſuo centum ſibi denarios debẽti debitum non dimiſit, exigi iuſtum fuit quod ei fuerat iam dimiſſum. ex quibus videlicet dictis cõſtat, ſi hoc, quod in vobis delinquitur ex corde non dimittimus, & illud rurſum iam exigitur quod nobis iam dimiſſum per pœnitentiam fuiſſe gaudebamus. igitur dum per indulti ſpacium temporis licet, dum iudex ſuſtinet, dum conuerſionem noſtram expectat, in lacrimas duriciem mentis formemus, in proximis gratiam benignitatis. & fidẽter dico, quia ſalutari hoſtia poſt mortem non indigebimus, ſi ante mortem Deo hoſtia ipſi non fuerimus. Hęc ille.

De effectibus ſacramenti euchariſtiæ.

PRimus effectus eſt, quia confert gratiam, quæ vita ſpiritualis eſt. Secundus eſt, quia per hoc ſacramentum augentur gratiæ, & virtutes. Tertius eſt adeptio gloriæ. Quartus eſt, quia delet peccata venialia. Quintus eſt, quia præſeruat à peccatis, & periculis futuris. Sextus eſt, quia pœna peccati remittitur. Septimus eſt, quia ſicut valet ſumẽtibus bene diſpoſitis: ita nocet male diſpoſitis.

Effectus huius ſacramenti generalis eſt: quia ad omnia valet, cum auctor omnium veraciter ibi contineatur, ſcilicet Chriſtus. alia enim ſacramenta ſolum valent his, quibus conferuntur. hoc autem ſacramentum non ſolum valet conſecranti, ſed etiam omnibus, pro quibus ſacerdos ſpecialiter orat, & vniuerſaliter toti eccleſiæ: non ſolũ viuis, ſed etiam defunctis. quia in ipſo continetur vniuerſalis cauſa omnium ſacramentorum, ſcilicet Chriſtus.

De frequentatione euchariſtiæ.

DE frequentationis vtilitate dicit Ciprianus: Mẽs cito deficit, quã non accepta euchariſtia rigat, & accendit. Bernardus: Non eſt paratum, ſed aridum, & exangue cor illius, qui oblitus eſt comedere panem ſuum. Item idem: Corpus Chriſti ægrotis eſt medicina, debiles confortat, ualentes delectat, languores ſanat, ſanitatẽ conſeruat: fit homo manſuetior, ad correptionem patientior, ad laborem ardentior,

dentior, ad amorem sagatior, ad cautelam, & ad obedientiam pronior, ad gratiarum actionem deuotior, & in omnibus gestibus, & moribus compositior. Hæc, & multa, & alia, & plura, quàm dici, & scribi possunt, de hoc sacramento reperiuntur.

Missæ auditio multa confert bona.

ITem auditio missæ, deuota reducit ad memoriam Christi passionem acerbissimam, quę in ea repręsentatur, fidem confirmat, spem auget, charitatem inflamat, dat vitam, gratię, Christo vnit. Interna consolatione reficit; ad operationem sustentat, iuuat contra carnem ex propria infirmitate prouenientem, uel contra impulsum dæmonis, remittit ardorem concupiscentiæ, purgat peccatum veniale, & in bene contrito, ubi imminet purgatio necessaria, si non inueniat sacerdotem, iuuat contra mortale.

Consecratio impeditur ex cogitationibus alienis.

CElebrans debet esse attentus, ut in celebrando, & consecrando intendat facere, quod facit ecclesia catholica: & tunc cogitationes non impediunt consecrationem, sicut de iudeo suscipiente baptismum dicitur. de conse. distin. 4. solet forma uerborum, intentio consecrantis de substantia panis & vini, in sacerdote faciunt celebrationem: uerba consecrationis non debent corrumpi, nec addi, nec minui, ex industria, immo propter cogitationes occupantes fantasiam, bonum est legere saltem uerba consecrationis sanguinis, cum sint aliqualiter prolixa.

Quid est Missa.

MIssa est consecratio corporis, & sanguinis Christi, quæ sacerdos affert Deo patri, & sumit in memoriã vitæ, & passionis ipsius, pro cunctis viuis atque defunctis. nam ab introitu vsque ad passionem exhiberur: à canone vsque ad complenda passio. à complenda vsque ad benedictionem eius resurrectio exprimitur.

Dominus Iesus missam instituit.

SAne, ut præmissum est, missam instituit dominus Iesus sacerdos secũdum ordinem Melchisedech quando panem & vinum in corpus & sanguinem suum transmutauit dicẽs: hoc est corpus meum: hic est sanguis meus: subiungens: hoc facite in meam commemorationem. Apostoli autem hanc missam adauxerunt dicentes *in missa* non solum uerba *præmissa: uerum etiã* dominicam orationem *super addẽtes.* vnde Beatus Petrus sic missam primus dicitur celebrasse in partibus Orientalibus: ubi post domini passionem quatuor annis chatedram tenuit sacerdotalem. Deinde vero accepit cathedrã antiochię ubi tres orationes admissam adiecit, in primordio. ergo nascentis ecclesiæ missa aliter dicebatur, quàm modo.

Missa celebratio quibus primo fuit indicta.

PRimo sciendum est, quòd Iacobus frater domini secundum carnem, cui primum credita est ecclesia Hierosolimitana: postea Basilius Cesarien. episcopus, cuius charitas per totum orbem refulsit, in scripturis addiderunt nobis missæ celebrationem.

Iacobus prius post dominum missam celebrauit.

IAcobus Alphei dicitur primus missam inter apostolos celebrasse. nam propter excellentiam Sanctitatis eius

Apo-

Apostoli hunc sibi fecerunt honorem, ut post domini ascensionem primus inter eos missam Hierosolimis celebraret, etiam prius quam esset in episcopum ordinatus. uel forte ideo dicitur primus celebrasse quia primus in pontificalibus eam dixisse perhibetur. & sic Petrus post modum primus missam in Antiochia celebrauit, & Marcus in Alexandria.

Quid est effectus Missæ.

PEr missam Deum nobis placatum, & propitium reddimus, peccatorum remissionem consequimur, in ea sacrificium, & hostia illa munda, de qua Malachias uaticinatus est, pro uiuis & defunctis offertur.

Missa vnde dicatur.

ALiquando missa est nomen proprium, quia significat Christum, qui missus est à patre in hũc mundum: significat etiam Angelum, qui mittitur, ut per eius manus hostia offeratur in sublime altare domini. ipsum uero sacrificiũ, idest, hostia vocatur missa, quasi transmissa prius si quidem a patre nobis, ut scilicet esset nobiscum: postea a nobis patri vt inter cedat & sit apud ipsum. item transmissa primo nobis a patre diuino: qui per incarnationem Christi filij sui: qui fuit missus celestis & postea patri a nobis per passionem eius. similiter in sacramento transmissa nobis primo a patre per sanctificationem, qua nobiscum esse incipit. postea patri a nobis per oblationem, qua pro nobis apud patrem inter cedit: hęc enim missio, seu legatio sola sufficiens & idonea est ad soluendas inter Deum & homines inimicitias, & offensas. cum ergo diaconus in fine missæ dicit: ite missa est: idem est ac si dicat: redite ad propria, uel sequimini Christum: quia missa siue oblata est hostia salutaris pro nobis apud Deum patrem placandum.

Quot sunt partes Missæ.

PArtes missæ tres sunt præcipuæ; oblatio, consecratio, & sumptio, seu communio. Alij, duas tantum constituunt: Prima, quæ constat uerbis Christi: quibus corpus eius, & sanguis conficitur. reliqua omnia dicunt alteram partem, quæ, teste Augustino, nihil aliud sunt, quàm laudes, & gratiarum actiones, uel certe obsecrationes, & fidelium petitiones.

Vbi sit faciendum signum Crucis.

SAne regulariter in omnibus euangelicis verbis debemus facere signum Crucis, vt in fine euãgelij, Symboli, dominicæ orationis, Gloria in excelsis Deo, Sanctus, Agnus Dei, Benedictus dominus Deus israel, Magnificat, & Nunc dimittis, & in principio horarum, & in fine missæ quando Sacerdos dat benedictionem, & etiam ubicunque de Cruce uel Crucifixo mentio fit, quæ etiam omnia stando, sicut Euangelium audire debemus, in omni etiam actu nostro signum Crucis facere debemus.

Missa qua hora est celebranda.

NOcte sancta Natalis Domini missas celebrare debẽt presbyteri, & hymnum Angeli decantare solemniter; quoniam in eadem nocte ab Angelo pastoribus est nunciatus. Reliquis uero omnibus diebus, ante horã tertiam missa solemnis non est celebranda, quia illa hora dominus Crucifixus fuit, & non nisi à ieiunis.

Missæ non sunt in domibus priuatis celebrandæ.

NOnnulli faciunt sibi cantari missam iuxta lectum in domo, ubi spurcitiæ multæ fiunt: sed sanctius esset, missam non audire, quàm in domibus priuatis: in quibus sine magna causa nullatenus sunt celebrandæ.

Missæ vbi sunt audiendæ in magnis festis.

CAueant laici de confratribus, & habentes oratoria pro commoditate familiæ, quod in festo paschæ, aut Natalis Domini, Epiphaniæ, Ascensionis, Pentecostes, sancti Ioannis Baptistæ; & si qui dies maximæ festiuitatis habentur, non nisi in ciuitatibus, aut parochijs missas audiant. nam clerici, qui in his festiuitatibus in oratorijs, nisi iubente, aut permittente Episcopo, missas celebrauerint: punientur, vt in cap. si quis.

Missæ pro defunctis dici non debent in festis.

ANniuersarium si contigerit in die dominica, uel in aliqua solemnitate, celebrari non debet: sed mutari debet ad sequentem diem, prout fit in festis sanctorum. sed fiat in die præcedenti: vt citius occurat pœnis defunctorum: quas in purgatorio sustinent: defuncti enim nostro indigent auxilio, & beneficio: sed non sancti. die quidem festiuo anni uersarium celebrari non debet, nec missa pro defunctis dici: nisi corpus præsens fuerit: tunc sic, quia omni tempore potest missa pro defunctis celebrari, cadauere præsente, nisi in parasceue. tunc enim non debet corpus inumulari, nec missa pro eo cantari: quia tunc corpus Christi immolari non debet: sed usque ad crastinum reseruetur. & tunc scilicet in sabbato potest missa pro illo cantari, & corpus sepeliri: similiter si quis in die Paschæ moriatur, corpus eius usque in crastinum reseruetur super terram: & tunc cum celebratione missæ sepeliatur: non enim debet corpus sepeliri absque missa, quamuis contrarium fiat in plerisque locis.

De missis in natiuitate Domini.

SAcerdos in natiuitate Domini, & Saluatoris nostri Iesu Christi tres celebrat missas, vt habetur. c. nocte sancta: Prima missa celebratur in media nocte: Secunda in aurora, scilicet die lucescente: Tertia in clarissima die. Per hæc tria tempora significantur tria tempora mundi: *Tempus ante legem* scriptam à Deo datam, seu tempus naturæ legis, in quo populus ambulabat in tenebris, & in cæcitate, quãdo nec Deus, nec uia cœli cognoscebatur: Alterum fuit tempus datæ legis, in quo manifestatus est Deus, & via præceptorum eius mundo: quando Moysi lex data fuit, sed non erant omnia clara. erant enim homines in aliqua luce, qua creator agnoscebatur, sed non perfecte. Tertium denotat tempus gratiæ, in quo lumen cœli, idest Christus filius Dei, Deus uero, homoque perfectus ex intacta Virgine natus suo diuino fulgore mundum illustrauit: omnes propellens tenebras, mentes hominum suæ diuinitatis luce serenauit, ac solari lumine clariores reddidit, cui cum eius Genitore, & sancto Flamine, sit sempiterna laus, & gloria.

Sacerdos itaque uolens ter illa die celebrare uel sacrificium offerre, sit sedulus, & memor, vt neque in prima, ne

que

que in secunda missa, purificationem sumat: sed sumpto sacramento abluat uino digitos in calice, quẽ patena cooperiat. Prẽterea in sequenti missa illud met uinum, appositio parum aquæ, offerat, & si uiderit non esse sufficientis quantitatis, potest aliquid uini addere, & deinde offerre: nec opus est duos in altari habere calices, uel aliud uas, vt nonnullos facere uidi: sed satis est calix unus.

De quo debet missa celebrari.

DIcunt doctores, quòd debet Deo celebrari, de quo fit officium illo die, & præcipue in festis sanctorum, quæ sunt sub præcepto, & dominicis, in quibus habetur. & debet dici missa propria. unde missam uotiuam, vel peculiarem audiens, uel dicens in talibus diebus, non satisfaciat præcepto de audienda missa, uerum aliqui Sacerdotes possent eam dicere occulte, & postea, uel prius audire propriam. in alijs autem diebus, qui non sunt sub præcepto, possunt dici, & audiri missæ uotiuæ, uel peculiares.

Missa de sanctis an valeat animabus defunctorum, sicut si dicatur pro defunctis.

REspondet Hostiensis, quod sic, & dominus Cardinalis dicit, quòd celebrando pro domina, sciebat celebrare pro defunctis: Caue tamen, ꝙ si promisisses specialiter pro defunctis, propriam missam dicere, non satisfaceres, missam dicendo de domina, ratione promissionis. sed quando quis dicit ex deuotione de domina, uel de aliquo sancto, cum memoria defunctorum: vt ipsi orẽt pro eo, supplet bene, & ualet.

Missa sine missali an possit dici.

DIcunt doctores, quòd non, quia peccat mortaliter: & præsertim si non habet Canonem scriptum super altare: Te igitur, usque ad communionem: quia exponit se periculo errandi, & debet dici missa expedite: non tamen festinanter, ne sacrificium fiat sine sale discretionis, & deuotionis: & debet legi in libro, ne error contingat.

Missæ plures in die an possint dici.

DIcunt Doctores, quòd non: nisi in die Natiuitatis domini, in quo tres celebrantur, & diuisim, & in simul, prout placet. Secundo potest dici respectu alicuius necessitatis: ut puta si episcopus, Rex, Princeps, adessent, possunt dici duæ missæ, & non plures. dum tamen in prima missa non acceperit perfusionem, seu cõfirmationem: quia si cepisset, non esset ieiunus: & ita non posset celebrare. Sed si antequam canonem inciperet, veniret, potest iterum reincipere eandem missam à principio, & illam complere, ut solet. item potest, quando esset dies festiuus sub præcepto. item si aliquis infirmaretur ad mortem, & non haberet corpus Christi pro communicando. Item si esset consuetum in aliqua ecclesia, quod dicantur duę missę: vna pro viuis, alia pro defunctis: & nemo est, qui ea die sit acturus rem sacram, nisi vnus sacerdos: tunc potest ambas dicere. Item propter paupertatem ecclesiæ, vel carentia sacerdotum. Item potest, quando duæ missæ occurrunt dicendæ: puta vna de vigilia, alia de festo in vna ecclesia collegiata, & non est nisi vnus solus sacerdos, qui possit, & sit aptus ea die. Intellige tamen

men in his præfatis casibus, ut supradictum est, quod primam perfusionem, seu purificationem non acceperit, & sit ieiunus, quia aliter nullo modo posset, neque liceret, & grauiter esset puniendus. Item aduerte, quòd non potest, ut supra, dicere duas missas tantum, secundum Doctores communiter, tamen cauendum est semper, quantum potest, ne hoc fiat.

Vtrum satisfaciat sacerdos, qui tenetur dicere tres missas, & promisit vnam de domina, aliam pro defunctis, & aliam pro salute viuorum: dicendo vnam cum collectis proprijs prædictorum intendens prædictis satisfacere.

RESpondeo super hoc, quòd fuit diuersa opinio Doct. Vnde est sciendum, quòd missa quælibet, quæ dicitur respectu operis operati, generaliter valet omnibus viuis, & defunctis existentibus in charitate: qui non sunt in patria: Secundo valet singulariter illi, qui eam dicit, si digne celebrat. Tertio, valet illis, qui sunt in statu gratiæ. qui faciunt eam dicere pro se, vel quibus sacerdos per intentionem applicat, & sic non minus habebit quilibet horum trium, quàm si pro singulo eorum singulariter dixisset. Vnde vna missa posset liberare aliquando vnam animam de purgatorio, si cum tanta charitate, & deuotione diceretur. vel si quis se moueret ad faciendum dicere, & sic quantum ad hoc, scilicet per intentionem applicabilem, satisfacit sacerdos omnibus tribus: prout in angelica subtilius, & melius apparet. Sed hic breuiter dixi. Quantum vero ad meritum generale, non satisfacit; vnam dicens pro tribus. Potest vero satisfacere in alijs missis, & officijs, seu bonis per spiritualem applicationem, & intentionem: & si sufficienter satisfaceret in missis, & alijs multis orationibus, & attenta consuetudine, ut dictum est, tales optimè satisfaciunt. Aduerte tamen, quòd si promisisses dicere *missam de domina*, aut de spiritu sancto, seu alijs sanctis in tali ecclesia, seu altari, uel tali die, non posses commutare ad libitum, quia teneris seruare promissum. & aliter non satisfacis, nisi aliqua rationabili causa.

Missæ sancti Gregorij, & sancti Amatoris, & aliorum.

EST notandum, quòd missæ sancti Gregorij sunt triginta. & sancti Amatoris triginta tres, *ut alij dicunt*, in quibus dicendis non debet esse illa abusio, vt in diebus, quæ sunt sub præcepto, & habent missam propriam, vel in dominicis dicatur missa sanctæ Mariæ Magdalenæ, vel Trinitatis, vel Confessoris. nec semper faciant collectas, sed aduertant sacerdotes, ut dicãt tantum missas consequẽter, prout euenerit: & non dimittat proprias in diebus suis, & præsertim festiuis, quia nõ potest fieri: neque in solemnitatibus dicant plurimas collectas, sed vnam prout est missa illius diei, & sufficit intentio tantum. In alijs uero diebus possunt dicere, sicuti volunt, & ita fiat in missis sanctæ Vrsulæ, & sanctæ Catherinæ.

Quæ missa sit dicenda singulis diebus.

PRiscis temporibus, hæresibus pullulantibus, & sanctam Trinitatem impugnãtibu, ex institutione alicuius Magistri Caroli rogatu Bonifacij Archiepiscopi Maguntinensis statuentis

prima

prima feria de trinitate dici, secunda feria de sapientia. tertia feria de spiritu sancto, quarta de charitate, quinta feria de Angelis, sexta de cruce, septima de Beata Virgine. Causa illa uero cessante, illud cessauit, & dominicali officio ordinato, statutum fuit, quód prima feria suum officium haberet, scilicet de Trinitate: secunda de Angelis, quia tunc primi creati sunt in bonis gratuitis. tunc enim lux diuersa fuit à tenebris. ideſt boni angeli à malis, quia tunc ceciderunt mali, boni uero confirmati sunt. In secunda uero feria creati sunt Angeli in bonis naturalibus. Cantatur etiam in secunda feria missa pro defunctis; vt illis adhibeamus suffragia Angelorum, & quia, ut dicunt quidam, in feria secunda refrigerium habẽt illi, qui sunt in purgatorio; & statim post secundam feriam redeunt ad pœnas, & laborem: ideo, ut eorum subueniatur laboribus, missa pro illis in secunda feria celebratur: In tertia feria, pro peccatis. In quarta pro pace. In quinta pro tribulatione. In sexta de cruce. illa enim dies appropriatur Christo, & cruci, quia ipse in ea mori, & crucifigi voluit pro salute humani generis: Et septima feria de beata Virgine. Quod initium habuit, quoniam olim in quadam ecclesia ciuitatis Constantinopolis erat imago Beatæ Virginis, coram qua pendebat velum; quod tantam velabat imaginem: Sed hoc velum in sexta feria post vesperas recedebat ab imagine, nullo mouente, solo dei miraculo, quasi deferetur in cœlum, vt ad plenum posset imago à populo prospici: celebrato vero vesperis in sabbato, descendebat ipsum uelum ante eandem imaginem, & ibi manebat usque ad sextam feriam. hoc uiso miraculo, sancitum est, vt semper illa die septimæ feriæ missa de beata virgine cantaretur.

De his, quæ omittuntur in missis pro defunctis.

IN missa pro defunctis ante confessionem non dicitur Psal. Iudica me Deus: Ad introitum non dicitur Gloria patri, &c. nec dicitur Gloria in excelsis Deo, neque Alleluia, neque iube domne benedicere ad euangelium, neque, euangelio dicto, osculatur textus. neque dicitur Credo. Aqua calice imponenda pro sacrificio non benedicitur, & in fine Psalmi: Lauabo inter innocentes, non dicitur Gloria patri, neque requiem æternam. Agnus Dei specialiter habetur. Oratio: Domine Iesu Christe, qui dixisti Apostolis, &c. non dicitur: Pax non datur, neque, missa finita, populo benedicitur. sed, omissis Ite missa est, & benedicamus domino, dicitur Requiescant in pace. Placeat, & alia omnia dicuntur, & fiunt quæ vt in ceteris missis dici, & fieri consueuerunt.

Missa pro defunctis pro Cardinale, vel Episcopo cantanda.

MIssa pro defunctis erit simplex, & missa absque pompa omnino per celebrantem, & per ministros, ac per chorum cantanda. Cardinalis, siue Episcopus non leget aliquos Psalmos, scilicet: Quam dilecta tabernacula, &c. nec post eos orationes psalmorum, sed tantum orationes, quæ pertinent ad paramenta capienda ab ea oratione incipiendo legere, quæ est: videlicet, Exue me domine, &c. usque in finem dimissis orationibus pro sandalijs, & caligis, ac chirotecis, & canonici non

veniunt ad circulum, & non osculatur celebrans librum post osculum altaris, nec ministri aliquid dantes celebranti, in tota missa manum eius, aut rem aliquam osculatur. Altare in principio non incensatur; Celebrans, dum legit introitum, debet illum proferre in plurali, uidelicet: Requiem æternam dona eis domine, non autem, ei: etiam si missa sit particularis: vt: Absolue quę sumus domine animam famuli tui, & non famulorum tuorum.

Celebrare quotidie, an bonum sit.

AVgustinus dicit: Quotidie celebrare, nec laudo, nec vitupero. nam multi simplices presbyteri abstinent à celebratione frequenti ea occasione, ideo debēt ab Episcopis instrui. Augustinus hoc dicit ignorans conscientiam celebrantium. Sed Doct. parte ult. distin. 12. sic exponit: in sacramēto eucharistiæ, duo requiruntur ex parte recipientis, desiderium coniunctionis ad Christum, hoc facit amor. item reuerentia sacramenti, quæ ad donum timoris pertinet. Primum incitat ad frequentationem sacramenti quotidianam. si quis experimentaliter cognoscat ex quotidiana sumptione fauorē amoris augeri, & reuerentiam non minui. secundum uero retrahit à celebratione, si sentiat per quotidianam celebrationem, minui reuerentiam, & feruorem non multum augeri, ideo interdum abstinere non nocet.

An quilibet Sacerdos teneatur quotidie celebrare.

REspondeo, quòd nō, etiam in diebus festiuis exceptis, qui habet curam animarum, qui ad minus tenetur in diebus festiuis, nisi per alium populo satisfaciat, si uero non celebrat pro quadam incuria, & negligentia, & ad minus in diebus festiuis, peccat mortaliter. Sacerdos autem beneficiatus tenetur celebrare quanto frequentius potest, salua tamen honestate, & debita reuerentia ad sacramentum, ut etiam alij doctores ibidem. *Sacerdos* autem uidens se dispositum, & mundum ad celebrandum, & ex negligentia non celebrat, peccat grauissime. quia illa die sanctam Trinitatem priuat laude, & animas, quæ sunt in purgatorio, oratione, & salute, & uiuorum suffragijs, & sanctorum auxilijs.

Missam non debet sacerdos celebrare in die veneris sancta.

SVnt aliqui Sacerdotes, sacros Canones ignorantes, qui *in die veneris sancta missam sanctam celebrant.* sed sciant post hac se mortaliter peccare. nam in illo die non potest sine mortali peccato consecrare, vt ecclesia sancta instituit ob memoriam mortis Redemptoris nostri: ideo reseruatur hostia præcedenti Die.

An debeat celebrare capite discooperto.

DIco, quòd sic. Vnde dicunt Doctores, quòd si sine rationabili causa celebraret, capite cooperto, peccat mortaliter, & tantum debet dicere quantum reperitur in missali, & nihil aliud addere.

Missa mali sacerdotis, an ualeat, sicut boni.

DIcit sanctus Bonauentura, Ricardus, Scotus, & sanctus Thomas, quòd, quo ad sacramentum sic: quantum etiam ad orationes, quę dicuntur in persona totius ecclesiæ. Similiter tantum ualet; inquantum uero habet efficaciam ex deuotione orantis sacerdotis,

dotis,sic plus valet missa boni sacerdotis,quàm mali. & ideo bene facit, qui libẽtius audit missam boni Sacerdotis.

Sacerdos bonus & malus secundum formam Ecclesiæ celebrans æque sacrificium perficiunt.

IN sacramento autem corporis Christi secundum August. de consecr.dist.2.vtrum.nil a bono magis,nil a malo minus perficitur Sacerdote: dummodo ille cum ceteris in archa consistat & formam obseruet traditam a columba: quia non in merito Sacerdotis, sed in uerbo conficitur creatoris.aurum enim æquæ uerum est in archa furis,sicut in thesauro regis.1.q.1.§.ex his,unde & Cayphas põtifex persecutor unius & verissimi Sacerdotis, quamuis ipse verax non esset: quod dedit tamen consilium uerum fuit:sed nõ suum dedit:sed Dei, idest,in forma Ecclesiæ.1.q.1.dominus.& cap.dictum non ergo Sacerdotis iniquitas impedit effectum Sacramenti:sicut nec medici infirmitas virtutem impedit medicinæ.quamuis igitur opus operans aliquando sit immundum: opus tamen operatum semper est mundum.& sicut omnia sunt munda mundis: sic omnia sunt immunda immundis.1.q.1.omnia & c.multi.

De Missa priuata, & solemni.

IN missa priuata sufficit habere vnum,qui respõdeat,& ministret. Arch.in c.proposuit.d. si presbyter. & Pan.in c.quisque de uita, & honestate Clericorum.non tamen debet esse mulier,quia ministrare non potest,nec incensum circa altare deferre:cap.sacratus.dist.23.& c.vestimenta. de consecr. dist.1.in missa uero solemni plures debent adesse per.c. hoc quoque de consecr.dist.1.& Thom.3.parte.quæst.83. Artic.5.ad ultimum, & vbi ius dicit, plures debere interesse, nunc per contrariam consuetudinem secundum Petrum de Palude abrogatum est. Circa materiam uini consecrandi de musto expresso,potest confici. cap. si necessitate.de consecr.dist.2. & Thom. supra, non tamen debet vua in calicem expri mi propter impuritatem, quia vua nõ est potabilis,sed magis comestibilis.

Quomodo sacerdos potest satisfacere in celebratione missæ pro vno, uel pro pluribus.

SI sacerdos est celebraturus pro aliquo,vel pro aliquibus,dummodo non fecerit promissionem alicui de merito totius illius missæ, & superueniat alius,vel plures rogantes celebrari pro animabus defunctorum; potest omnes accipere,& valet pro omnibus, secundum deuotionem offerentium. non offerentes eleemosinam, & rogantes offerri, dicũtur offerre sacrificium, & in hoc potest intelligi.c. non mediocriter. de consecrat. dist.5. debet ergo sacerdos esse cautus, ut nulli promittat specialiter.sed dicat rogabo pro eo &c. hoc secundum mentem Sylvest. Verum missa circa fi.idem videtur sentire sum. August.n.ver.missa.§.52.quo ad meritum speciale,& si sacerdos tribus sigilatim promisit celebrare vnam missam,& postea non celebrat,nisi vnã pro illis tribus, secundum Petrum de Palude non satisfacit. potest tamen secundum eundem, & Archi. Florent. multis modis excusari potest,& primo propter impossibilitatem celebrandi. & quia oportet,ipsum celebrare secundum intentionem prælati. Secundo, propter consuetudinem, & maxime,si

talis scit consuetudinem. Tertio si in alijs suffragijs satisfacit, vel si haberet tantum effectum ad quemlibet trium, sicut ad vnam tenetur habere, uel sequendo superiorem opinionem, & si promisit celebrare in vno loco, uel de spiritu sancto, uel aluer, & non facit, infideliter agit, & non satisfacit.

Quot ad minus officio missæ debent interesse.

QVæritur vtrum sacerdos minus quam duobus præsentibus debet celebrare missam. & videtur quod non. statuit nanque Soter Papa de consecr. dist. 1. quoque. vt nullus missarum solemnia celebrare presumat, nisi duobus præsentibus, sibique respondentibus, ipse tertius habeatur. cum enim presbyter ipse dicat: Dominus vobiscum: & in secreta dicit: orate fratres &c. conuenit, vt ipsius saluationi à pluribus respondeatur. verum aliud est necessitatis articulus, in quo potest vno solo præsente, & aliud religionis contemptus. pie quoque credendum est, & sacris auctoritatibus comprobatur, quod Angeli Dei comites assistunt orantibus. iuxta illud propheticum: In conspectu Angelorum psallam tibi. & Angelus ad Thobiam: quando orabas cum lacrimis ego obtuli orationem tuam domino: vnde quilibet homo habet suum proprium Angelum ad custodiam.

De communione monialium, siue mulierum.

ADuertat quoque sacerdos, dum sacram communionem solis monialibus, & alijs mulieribus porrigit, vt dicat eis: Domine non sum digna, vt intres sub tectum meum, &c. quia nonnulli ignari dicere solent: Domine non sum dignus, quod non conuenit mulieribus.

CASVS CIRCA MISSAM.

SI sacerdos cum sumpserit sanguinem, aquam gustauerit, quia loco vini posuit, & non aduertit, *nisi post* quam de glutiuerit eam, ut peccatum mortale vitet; & sacrificium, quod perfecte, & complete facere debet, compleat, infundat vinum in calicem cum aqua dicens orationem: Deus, qui humanæ substantiæ, &c. deinde accedat ad medium altaris, & dicat: Simili modo, post quam cœnatum est, accipiens hunc præclarum calicem, &c. vsque ad hæc: Quotienscunque feceritis &c. postea sumat *sacramentum, cum ablutione calicis, & manus, vt fieri solet.* scilicet vino primo, secundo, vt placet, vel vino, & aqua. hic modus in hoc casu seruari debet, est enim remedium præsentaneum, & absque scandalo, & non opus est aliam offerre hostiam, & reiterare canonem. hæc est sententia peritissimi Scoti.

De diligentia tenenda.

VOlo insuper sacerdotem monitũ esse, ut omni diligentia in hac sacratissima domini mensa vtatur, ne calix subuertatur, ut contingere solet. Aduertat etiam sacerdos, vt ex eadem parte calicis semper bibat, & non nunc ex vna, de hinc ex alia sacramentum sumat, relinquendo calicis labium sacramento intinctum, quod facile fiet, si aliquod signum in calicis pede positum aduerterit. ex quo doceri poterat, quia ex parte sacramentum sumpserit. si in caducis, & vanis mundi rebus tanta sedulitate; ac diligentia vtimur? quanta in diuinis vti debemus? &

Sacer-

Sacerdos intendens consecrare decem hostias & inuenit coram se undecim, an sint consecratæ.

ITEM si quis habeat coram se vndecim hostias. & intendat consecrare solum decem, non determinás quas decem intendit: non consecrat, quia requiritur intentio. Secus si putans quidem esse decem, tamen omnes voluit consecrare, quas coram se habebat: tunc omnes erunt consecratę: atque ideo quilibet sacerdos talem semper intentionem habere debet, si licet consecrandi eas omnes, quas ante se ad consecrandum positas habet.

Si sacerdos acciperet duas hostias.

QVid si sacerdos acciperet duas hostias, ita connexas, & coniunctas, vt vnam esse crederet, & consecraret: an ambæ essent consecratæ? Respondetur secundum Doctores: q̃ illa prima, quæ videtur est consecrata, nam intentio consecrantis non fertur præter quam ad id, quod videt, & consecrare intendit: illa ergo, quæ non videtur, non est consecrata. nisi sacerdos accipiens in manibus suis hostiam cõsecrandam, & cogitaret posse esse aliã illi connexam, & intenderet ambas consecrare, tunc ambæ sunt consecratæ, quia intentione actuali, aut virtuali conficitur sacramentum, non autem habituali. Actualis est illa, quando sacerdos actu consecrans consecrare intendit. virtualis intentio est, quando sacerdos paruo tempore ante consecrationem habuit intentionem consecrandi, puta in mane illius dici, vel quod induitur ad celebrandum, aut existens in altari. & postea obliuiscitur: illa virtualis intentio operatur: habitualis est illa, quæ per multos dies, vel annos habita est, quæ conficiendi virtutem nõ habet. sunt enim aliqui sacerdotes, qui in mente sua determinant quandocunque in uita sua hic casus contingeret, quod sua intentio feratur ad hostiam non visam, & hac præuia & habituali intentione credunt ambas consecrare. sed non consecrant, nisi hostiã visam. hæc eliciuntur de mente Scoti. Sacerdos in hoc casu sic se habeat: Post quam animaduerterit, aut in fractione, aut ante, duas esse hostias, & se non habuisse actualem, neque virtualem intentionem consecrandi, separat illam adhærentem à consecrata, & post purificationem eam sumat propter reuerentiam ex contactu sacramenti, si vero habuit intentionem actualem, vel virtualem, simul eas sumat.

Sacerdos non expuat statim post sumptionem sacramenti.

SAcerdos, & quicunque sacram communionem sumpserit; omni, qua potest, diligentia aduertat, ne statim, sumpto sacramento, expuat, seu sputum emittat, sed competẽti spacio, & temporis interuallo, aut, si vsque ad corporalis cibi sumptionem abstinere poterit, abstineat: tum propter sacramenti reuerentiam: tum etiam, ne aliqua particula expuatur. & si vsque ad cibi sumptionem abstinere assueuerit, multo laudabilius erit: si uero ante prãdium expuere contigerit, conetur, ne in loco, qui pedibus calcatur, expuat.

De quibusdam inclinationibus.

DEcreueram nihil de inclinationibus agere, cum in ordinario de eis tractetur. Sed cum multos videam sacerdotes post consecrationem, quoties opus fuerit, parum tantum domino inclinari non possunt non grauato,

mx-

mæstoque ferre animo. si temporalibus dominis magna exhibetur reuerentia, quanto longe maior æterno, vniuersalique domino exhiberi debet. ideo genuflexiones post consecrationem profundissimas fieri condecet. loquor de sanis, & iuuenibus, nõ ęgrotis, & senibus,

De lumine coram sacramento.

SAepe in nonnullis ecclesijs vidi dominicum sacramentum, idest, corpus domini nostri Iesu Christi, sine lumine conseruari: quod quantum iniquum sit; alijs iudicandum relinquo: & si sacerdotes pauperes sunt, dicãt populo. qui non esset adeo ingratus Domino, à quo beneficia cuncta assidue suscipiunt: vt de oleo pro sacramenti lampade non prouiderent. ignis enim ante dominum, ut iuris est, semper ardere debet.

De pollutione nocturna.

DIcunt Doctores, ꝙ si pollutio fuit ex causa voluntaria, & ex cogitatione libidinis ardore, aut nimia crapula, & ebrietate, non debet celebrare: si fuit ex diabolica illusione, sicut solet euenire deuotis in maiori deuotione, & in festis: aut naturæ alleuiatione, potest celebrare: attamen ex bono consilio non tenetur, & si non est festum, poterit abstinere.

Vtrum debeat esse ieiunus de omni re minima.

DIcit Scotus, quòd sic omnino: & quòd etiam citra mediam noctẽ nihil sumpserit, quantumcunque minimum: etiam si sit electuarium, uel medicina, & ante mediam noctem sumpsisset cibum, & adhuc in hora missæ sentiret eructationes, & cibum, non debet celebrare.

Quid si reliquiæ cibi remaneant in ore.

REspondeo, quòd si casualiter deglutiantur, non impediunt, quia non trahiciuntur per modum cibi, uel potus: sed per modum saliuæ secundũ Sanctum Thomam.

Si deglutiat stillam aquæ lauando os.

DIco, quòd potest celebrare: nisi fecerit ex proposito, seu uoluntate, aut in nimia quantitate.

Si cibus sit digestus, tamen dormiuit per totam noctem.

REspondeo, quòd potest celebrare quia solum quies, tempus, & digestio requiruntur.

An requiratur attentio, & uera dispositio.

REspondeo, quòd sic: & dicit Dionisiusita: Ad sanctissimum euntes sacrificium mundari conuenit ab ipsis vltimis animæ phantasmatibus, vnde desperans se posse habere probabiliter cordis stabilitatem: peccat graui ter accedendo, si tamen ex fragilitate distrahitur, minus peccat.

Quid si omittatur aliquid, & qua hora debet celebrari.

REspondeo, ꝙ si dimittit aliquid notabile scienter, peccat mortaliter; tamen consecrat, si habet uoluntatem consecrandi: & idem est, si omittatur tempus debitum, paramenta, & reliqua necessaria. Potest celebrari ab aurora, vsque ad nonam: & non ante, neque post: & aduertat bene sacerdos, quòd uerba consecrationis dicens debet dicere in persona Christi, & non sua, & quod intẽdat facere illud, quod Christus in cæna discipulis fecit, & dixit, & hæc cogitet in corde suo: & sicut Dei ecclesia intendit, quia aliter non con-

consecraret, & consecrans tam hostiã, quàm Calicem, teneat manus firmas super altare portatile, & ita pedem calicis, ut illud tangat, & non aliter, & non faciat Crucem cum ore, nec osculetur: prout aliqui ignari faciunt.

Quid faciet sacerdos si missam dicendo, aduertat non fuisse debitam materiam administratam.

REspondent Theologi, quòd si defectus sit in hostia, & aduertit antequam consecrationem inceperit: sic accipiet aliam hostiam: & reincipiet ab illa oratione: Suscipe sancte Pater omnipotens. qua completa, omissis alijs, dicat: Veni sanctificator,&c.& sic omnibus alijs omissis, prosequatur ubi erat, quando aduertit.

Si defectus fuit in uino.

ACcipiat vinum: & incipiat ab illa oratione: Offerimus t.bi domine calicem:& Veni sanctificator,&c.alijs dimissis,prosequatur ubi dimiserat, & nota, quòd cum ponitur vinum, & aqua in calice, debet apponi stilla, vel gutta aquæ, & non plus, quia si forte aqua vinum superaret, non esset sanguis secundum omnes communiter doctores. si iam consecrauerat, & post aduertit, quia defectus erat in uino,dico,quòd accipiat aliud vinũ cũ aqua, & solum incipiat ab illa oratione: Simili modo, vsque ad orationem: Vnde & memores,& alijs omissis,prosequatur,ubi dimisit.

Si defectus erit in hostia.

DIcunt doctores, quòd accipiat aliam hostiam,& incipiat ab illa oratione: Qui pridie, & loco illius relatiui,qui, dicat dominus noster Iesus Christus pridie, quàm pateretur, &c. vsque ad orationem: Simili modo, & omnibus alij omissis prosequatur, ubi dimisit.& si dimetteret illa verba, dominus noster, & solum diceret: Hoc est corpus meum, non consecraret,secundum Scotum, & Landulfum.

Si sumpto corpore,inuenit aquam in loco vini, & bibit eam.

DIcit sanctus Thomas: quòd est alia hostia, & aliud vinum sumendum, & consecrandum: quidam alij dicunt, quod non: quia non est ieiunus, sed tu tene opinionem Scoti, q̃ solum est accipiendum vinum cum aqua,& dicendum: Simili modo, post quam dominus noster Iesus Christus cęnauit, accepit calicem, vsque: vnde & memores,& alijs omissis dicat:sanguis domini nostri Iesu Christi custodiat &c. sumat; quia istud fieri potest sine scandalo, nec obstat, quòd non sit ieiunus.

Quid faciet sacerdos, si habens aquam in ore loco vini ante, quam deglutiat,aduertit.

REspondeo;quòd si potest sine scandalo: spuat in calice, & extrahat particulam hostiæ: & aquam ponat: & cum accipiat vinum, ut moris est: & consecret, ut dictum est, & ibi ponat particulã,& sumat postea illam aquã: si potest facere sine periculo vomitus, vel, si timet, reponat aquam in sacrario: & idem dicerem de particula:quia esset comburenda, & cineres in sacrario reponendi,si timeretur de vomitu.

Si Musca, vel aranea cadit in calice.

REspondeo, quod si cadit ante cõsecrationem: & sacerdos veretur capere propter nauseã, uel horrorem; proijciat vinum subtus altare, & accipiat

piat aliud cum aqua, & offerat, ut assolet, & Veni sanctificator, & alijs omissis, sequatur ubi dimisit, quando aduertit & si cadit post consecrationem, extrahat illam, & lauet cum vino, nisi esset res uenenosa: uel quæ prouocaret uomitum: quia tunc omnia essent reponenda in alio uase, & aliud vinum cum aqua sumendum, vt dictũ est supra, & consecrandum, & finita missa, accipiat sanguinem illum, & in stuppa madefacta, uel panno lineo comburat, & cineres ponat in sacrario.

Si gutta sanguinis ceciderit in scabello altaris, vel in terra.

REspondeo, quòd si ceciderit super tabulam, aut in terrã, & similia, lambatur lingua, si potest fieri, sine horrore, & postea locus radatur, & rasura comburatur, & cinis iuxta altare recondatur, & Sacerdos quadraginta diebus pœniteat, puta in ieiunio, uel in pane, & aqua, vel totidem diebus sit suspensus ad celebrandum. tamen secundum conditionem personæ, & modum peccati. & si ceciderit super linteum, seu tobaleam, uel corporale, abluatur tribus uicibus calice supposito, & aqua ablutionis iuxta altare recõdatur: & Sacerdos pæniteat quatuor diebus, nisi peruenerit ad tertium linteum, seu tobaleam, quia tunc nouem, si uero usque ad quartum, viginti diebus pœniteat, vt supra.

Si sumendo sanguinem, remaneat particula in calice.

REspondeo, ꝙ debet digito ad labium calicis adducere, & sumere, & nullo modo pro ea apponat vinum, quia vinum citius descenderet. & non esset ieiunus secundum Scotũ.

An Bussula cum hostijs, quæ est in altari, Sacerdote celebrante, intendantur consecratæ.

DIco, quod non, nisi Sacerdos hoc intendat facere, & omnes seu aliam, quam illam, quam habet in manu, vellet consecrare. quia respicitur, & requiritur intentio eius. & idem est de stilla uini, quæ est in pede calicis.

Si oblitus est ponere aquam in uino.

REspondeo, quòd si aduertit ante consecrationem hostiæ, debet eã tunc ponere, & reincipere, vt supra: offerimus tibi &c. se si aduertit post consecrationem hostiæ, & ante consecrationem vini, apponat aquam, nihil reiterando, & si aduertit post consecrationem vini, *dicit sanctus Thomas*, ꝙ nullo modo tunc apponat, *quia non* est adeo de necessitate sacramenti.

Si ex nimio frigore hostia cadat in calice.

DIcit sanctus Thomas, quòd debet vlterius procedere, nec est necesse aliquid facere, seu reincipere, sed si aliqua pars remansit in manu, frangat illam, & faciat, vt assolet, quia prima casualiter cecidit.

Si Sacerdos non recordatur se aliqua dixisse.

REspondeo, quòd Sacerdos non debet propter hoc turbari, quia qui multa dicit, non omnia recordatur: & dicit sanctus Thomas, quòd si probabiliter sibi constet dimisisse formam consecrationis, debet reincipere ab illa forma, & cuncta per ordinem prosequi. Si vero non sunt de forma, non debet resumere, sed vlterius procedere, & complere missam.

Dubium de communicando infirmo.

QVid si aliquis casus necessitatis alicui euenerit, puta infirmitas & huiusmodi: seu alia rationabilis causa esse poterit, ne Sacerdos celebrans illi hostiam daret, cum aliam non habeat consecratam? Respondeo, quòd non totam, sed bene partem, & aliam partem ipse Sacerdos sumere potest secundum sanctum Thomam.

Si hostia inueniatur fracta ante consecrationem.

REspondeo: nihilominus potest cõsecrari, nisi sit scandalum in populo, quod appareat euidenter, quia tunc aliam accipiet, & offeret, ut supra dictum est.

In memento viuorum, & mortuorum an debeat fieri aliquorum nominatio.

DIco, quòd non est necesse, nisi solum, vt supplicantis magis deuotus efficiatur effectus. & hoc dicunt Doctores, & sanctus Bonauentura.

Perfusio debet fieri cum vino.

REspondeo, quòd sic, pro ut habetur de celebr. miss. c. ex parte, & non aqua sola, prout quidam faciunt, & male, nisi de speciali licentia.

Vestes Sacerdotales, & tobaleæ a debeant omnino esse benedictæ.

REspondeo, quod sic, sed non calciamenta, & cingulum secundum Ricardum, & Scotum, quia non sunt de cõsuetudine: sed si potest cingulũ bene dici, melius est. Vnde dicunt doctores, quòd siquis celebraret sine stola, manipulo, alba, amictu, corporalibus, tobaleis, & ceteris ad missam necessarijs, & solitis, non peccat mortaliter, si est ex obliuione: sed si ex comptentu, peccat mortaliter, & ex officio, & beneficio priuetur. non tamẽ efficitur irregularis.

Vestes altaris, & vasa debent esse munda.

DIcit summa Angelica, quòd præceptum est clericis, quod uasa, & vestimenta, in quibus celebrari debet, sint munda, & nitida, &, vt ibi ipse allegat, & faciens contrarium peccat mortaliter. & aduertendum est, quòd Sacerdos debet tenere hostiam, & calicem, quam consecrat super lapidem consecratum: & debet lapis esse ita magnus, quòd saltem possit super eo capi totus pes calicis cum hostia, prout ibidem allegatur.

Si statim post celebrationem missæ sit commendendum.

REspondeo, quòd non de iure, sed de cõsuetudine est illud ius: sed debes post missam aliquas laudes, & gratias Deo reddere: & postea comedere.

Sacerdos dicens missam, si moriatur, aut aliqua infirmitate non possit finire missam, quid.

DIcunt doctores, quòd cum sit ex generali regula, qui dicit missam debet sumere, & perficere, & in vtraque specie, ideſt panis, & vini consecrare; dico, quòd si infirmitas est leuis, puta in uertigine, poterit sedere, donec transeat, seu super altare quiescere: & deinde, si potest, missam complere: sed si non potest; fiat, vt sequitur: Si infirmatur, vel impeditur ante inceptionem canonis, vel testamenti, tunc non est curandum, aut alius suppleat. sed illa hostia, & vinum oblatum debet dari alicui sacerdoti celebranti, ut consecret. & si non est, pro crastino, in

alia missa debet seruari: aliqui vero dicũt, q̃ non opus est. Si vero impeditur, vel infirmatur ante consecrationẽ, tũc debet alius sacerdos ieiunus se induere, & complere, ubi ille dimisit, & consecrare. sed si post consecrationem corporis impeditur alius se debet induere, & vinum consecrare, & reliqua complere, & sumere.

An celebrante sacerdote, eadem ecclesia violetur.

REspondeo, quòd si violetur ante inceptionem canonis, poterit sacerdos ad aliam ecclesiam, ibi proximam se transferre, & missam complere: si autem non habetur ecclesia proxima, cesset à missa, & se exuat, sed si post inceptionem canonis, seu consecrationis euenerit, nullo modo cesset, neque ad aliam ecclesiam uadat. quia timeretur de effusionis sanguine: sed cum primum potest, ibidem submissa voce sequatur, quod remanet, & sumat & compleat. & idem dicerem, si interdicitur, & si nescit, vsque post completam missam, melius est: & deinde nemo ibi audeat diuina dicere, nisi prius ab episcopo reconcilietur cum aqua, & vino, & cinere, prout in Pontificali. & hoc si ecclesia erat consecrata, quod appareat per famam ad posteros, vel per testes, vel per literas, seu signa: si vero non erat consecrata, & violatur, cessent tunc diuina, & per simplicem sacerdotem fiat cum primum aqua benedicta, prout in die dominico, & tota ecclesia: & pollutus locus ter à dicto sacerdote aspergatur, & sic purgetur, & reconcilietur, & ita dicunt Doctores, deinde dicantur, quæ dici debent, & celebretur.

An altare portatile in lapide vel ligno, amoueatur, uel frangatur.

REspondeo, quòd secundum Doctores, si lapis frangatur, & sit enormis fractura, vel à ligno de loco suo remoueatur, est exacratum, nec aplius valet, seu lignum frangatur, vel per vetustatem in loco reliquiarum ibi positarum perforetur, & reliquiæ cadant, vel loco suo remoueantur, est etiam exacratum, & non potest, nec debet amplius celebrari: qui autem scienter, vel per incuriam super eo celebraret: mortaliter peccaret, grauiter puniendus, & memini vidisse, quod sit etiam suspensus.

An sacerdos post consecrationem inceptam recordetur se comedisse, vel bibisse.

SAcerdos post consecrationem inceptam, etiamsi recordetur se comedisse, uel bibisse. nihilominus debet perficere sacrificium, & sumere sacramentum: & si recordetur, se peccatum commisisse, debet pœnitere, & dolere cum proposito confitendi, & satisfaciendi: & sic nõ in digne, sed fructuosè potest sumere sacramentum. & eadem ratio est, si meminerit cuicunque excõmunicationi subiacere. debet enim sumere cum proposito absolutionem petendi, & sic per inuisibilem Pontificem Iesum Christum absolutionem consequitur. Quantum ad hunc actũ peragat diuina misteria. Si vero ante consecrationem alicuius prędictorum memor sit, maxime in casu excommunicationis, suspensionis, & interdicti ad manducationem: quod missam inceptam deserat, nisi timeretur graue scandalum. hæc sanctus Thomas.

De

De vomitu sacramenti.

SI quis eucharistiam euomerit. Si laicus per ebrietatem, vel voracitatem euomerit, quadraginta diebus pœniteat clerici vero,& monachi, presbyteri,diaconi,& subdiaconi, septuaginta diebus pœniteant. Episcopus autem nonaginta.si uero causa infirmitatis euomerit,septem diebus pœniteat. de consecratione. dist. 2. c. si quis per ebrietatē,& debet vomitus cremari,& cinis iuxta altare recondi. hoc tamen obseruandum, quòd vbicunque species integræ inueniantur,sunt reuerenter obseruandæ,& sumendæ: quia remanentibus speciebus, remanet ibi corpus Christi. Hæc sanctus Thomas.

De noua specie apparente.

QVando corpus Christi apparet in alia specie: cum vsus huius sacramenti sit per manducationem: quando scilicet apparet in specie pueri,vel carnis cruentalis, vel simili modo,non habet rationem cibi, nec sumi debet ab eo, cui sic apparet. quod,ut omnibus apparet,debet cum reliquijs poni. Hæc sanctus Thomas.

De Natiuitate domini.

QVando natiuitas domini occurrit die veneris, ecclesia propter solemnitatem festi dispensat, vt, qui volunt, possint comedere carnem. illi qui nolunt,non sunt astricti.sed potius eorum deuotio commendatur. ut habetur extra. de obseruatione ieiunij. c. fin. qui autem vouit nō comedere oua feria sexta, tunc non poterit comedere carnes, cum sit plus, quam comedere oua.

De adoratione sacramenti.

NOta, quòd post consecrationem hostiæ aliqui sacerdotes adorāt dominum dicentes: Adoramus te,Christe, vel alia.secundum suam deuotionem, sunt tamen nonnulli,qui hoc improbant tenentes nullum verbum posse interponi inter consecrationem hostiæ, & vini, atque affirmant, quòd si sacerdos aliquid dixerit, impeditur à consecratione sanguinis: ac prosequēs non consecrat. Quod falsum omnino esse censetur. nam licet aliquid verborum exprimat, non tamen propter hoc potestatem consecrandi amittit. quotiescunque enim illa quatuor prædicta in consecratione concurrunt, semper sequitur effectus.consulo tamen omnibus celebrantibus: ut in tota missa nihil expressa voce addant,est enim omnium doctorum opinio, nihil in missa addi,vel minui posse.Si quid autem ex deuotione addere velint, potius corde quàm ore exprimant, ut sanctorum patrum in tanto sacrificio instituta seruentur. Ego autem quodam paruo tēpore in calicis eleuatione intelligibili voce dicere solebam: Adoramus te, Christe. &c. hoc pro doctrina astantiū sic proferebam, vt non tantum Christi sanguinem in calice esse crederent, sed etiam corpus viuens cum sanguine in eius venis existente.Christus enim;qui verus Deus,& homo est, sub vtraque specie, hoc est, sub apparentia,& accidentibus panis, & vini latitans est totus in hostia, & totus est in calice, in quo nemo ambigere debet. sed deinceps conscientiæ stimulo correctus,ac impulsus hæc dicere omisi, ne alijs dicendi, & addendi occasionem præberem: nam multi expressa uoce addunt, quæ tutius foret meditari, quàm voce exprimere.

De signationibus.

OMnes signationes, & actus deuotè, & grauiter fieri debent præsertim, quando cum hostia fiunt. sunt aliqui sacerdotes, qui hostiam consecratam accipientes faciendo cum ea signationes tam super calicem, quàm extra, voluunt illam nunc horsum, nũc illorsum ipsam deorsum tenentes. quãtum hoc turpe sit, exprimi non potest. Alij nimium eam leuantes faciendo signa in aere longè à calice, non attendentes sanctorum Pontificum instituta præcipientium, ut sacerdos cum hostia faciat cruces super calicem à labio in labium, & alias inter se, & calicem iuxta labium calicis, & non prope pedem. Debet ergo sacerdos tenere hostiam sursum duobus digitis, scilicet pollice, & indice, mouendo manũ, & non digitos per se: & eo modo facere signationes ita, quod ad motum manus moueantur digiti tenendo, faciem hostiæ versus seipsum, non voluendo illam in latera. facto autem vltimo crucis signo inter ipsum sacerdotem, & calicem, debet recta, & breuiori uia super calicem hostiam ferre, nec circuire calicem, & à tergo, ut ita dicam, eã super calicem inducere: quia huiusmodi regiratio turpis, & periculosa est.

Religiosi celebraturi calciari debent, etiam si discalciati soleant ambulare.

NOta, quòd religiosus secundum ordines suæ professionis discalciatus incedens missam celebraturus, se calciat, ex præcepto Apostoli dicentis ad Ephesios. 6. State calciati pedes in præparatione euangelij pacis. nempe per calciamenta, quæ fiunt de pellibus animalium mortuorum, & calcant terram, & sunt clausæ desubter, & aperta desuper significatur, quòd sacerdos debet esse mortuus mundo: & debet cor habere clausum ad terrena, & ipsa tanquam lubrica calcare, & uilipendere, & apertum ad respicienda, & desideranda cælestia.

OFFICIA DIVINA.

De diuinis officijs tam diurnis, quàm nocturnis in genere.

IN exodo legitur. 25. cap. in fi. dominum dixisse ad Moysen: Omnia fac secundum exemplar, quod tibi in monte monstratum est: quo circa nos conuenit illi cælesti Hierusalem, quæ dominum laudare iubetur: & quæ sicut ait Apostolus ad Gal. 4. De sursum est mater nostra, & præsertim in simul laudando Deum: iuxta illud: Super muros tuos Hierusalem constitui custodes, qui tota die, & nocte, non cessabunt, laudare nomen domini, & in Apoc. 4. cap. Habetur, quòd animalia requiem non habebant, dicentia: Sanctus, Sanctus, Sanctus, &c. veruntamen militans ecclesia imitari plene nequit triumphantem, quia sicut legitur in libro sapientiæ. cap. 9. Corpus, quod corrumpitur, aggrauat animã. nequimus enim, infirmitate nostra præpediente in singulis. 12. diei horis iugiter diuinis insistere laudibus. quoniam necesse habet homo aliquando necessarijs corporis intendere: iuxta illud Gene. 3. cap. In sudore vultus tui vesceris pane tuo 1. di. in capite: & ideo facimus, quod possumus certis diei naturalis horis Deum laudando. Vnde Esdras Propheta

pheta populum Israeliticum de Babilonia captiuitate reuersum docuit Deum laudare, quater in nocte, & quater in die: ut vnumquodque quatuor elementorum, ex quibus homo cõstat, per cõpetentes horas obsequio se offerat creatoris: vel de nocte: in uespere: in completorio: in nocturnis: in diluculo. scilicet in laudibus matutinis. De die uero, in prima; in tertia: in sexta: in nona, horis. Vespertinum igitur officium, quod est cuiuscunque officii initium: ad noctem pertinere probatur, quod secũdum Isidorum. lib. Ethimologiarum dicitur à vespera stella, quæ surgit in nocte in oriente. uerumtamen Dauid inquit: Septies in die laudem tibi dixi. & rursus: Media nocte surgebam ad confitendum tibi, &c. Quem ordinem Concilium Agathens. extra. de celebr. miss. c. 1. approbat, & sancta ecclesia seruat: quoniam nocturnum officium media nocte canitur. reliquæ uero septem canonicæ horæ de die dicuntur: uidelicet laudes matutinæ, quæ olim in aurora dicebantur: licet hodie cum nocturnis coniũgantur; prima, tertia, sexta, & nona, uespere, & completorium, quæ septem horæ vocantur canonicæ, quasi regulares extra. de pœnit. & remiss. quod in te. quia regulariter à sanctis patribus, obseruatæ sunt. nam canon græcæ, regula dicitur latinè.

Singulæ horæ correspondent particularibus actibus passionis Christi.

NEmpe in nocte Christus est compræhensus: mane illius: & hora prima gentibus traditus: tertia flagellatus: voce crucifixus. sexta cruci affixus, nona mortuus: vndecima de cruce depositus: in duodecima sepultus: item innocte spoliauit Infernum: mane surrexit: in prima hora Mariæ apparuit: tertia de monumento redeũtibus obuiauit.

Beatissima Virgo laudanda in canonicis horis rationabiliter.

IN eisdem quoque horis beata m Virginem laudare debemus: scilicet in nocturnis, siue matutino: quia tali hora quædam stella apparet in cœlo, quæ transmontana vocatur: cuius ductu nautæ perueniunt ad portũ: & ipsa beata Virgo est stella transmõtana: quia & si eam digne laudauerimus, nos, qui sumus in hoc seculo, ducet ad portum salutis. Item in prima: nam tunc apparet quædam stella, quæ Diana vocatur, quam sequitur sol: & ipsa beata Virgo est vera stella diuina, quæ uerum solem scilicet Christum nobis portauit, quæ illuminat totum mundum. Item in tertia: nam hora tertia consueuimus esurire, & ipsa portauit panem uerum: scilicet Christum, cum quo est omnis satietas. Item in sexta: quia illa hora magis feruet, & calefacit sol: & ipsa laudanda, & roganda est, vt nos frigidos calefaciat in charitate per solem Christum, quem genuit. Item in nona: quia illa hora sol declinat ad occasum: & ipsa iuuat nos, & protegit: cum ad occasum: idest, ad senectutem declinamus. Item in vesperis, quia tunc incipit dies finiri: & ipsa laudatores suos in hora mortis defendit. Item in completorio: nam tali hora dies est completa: & ipsa in complemento vitæ nostræ pro nobis intercedit; & in æterna tabernacula recipit: vbi completum est gaudium electorum.

Quid

Quid sit officium.

EST autem officium secundum Isidorum, proprius, vel congruus actus uniuscuiusque personæ secundum mores ciuitatis: vel institutæ professionis. alia namque habent instituta Monachi: alia Canonici: alia Eremitæ: & sic de reliquis: & dicitur officium secundum Hieronymum in libro de officijs, ab efficiendo: quasi efficium ab efficio efficis, vna litera in aliam propter decorē sermonis mutata. unicuique etenim conuenit suum efficere officium. uel secundum Isidorum officium dicitur, vt quisque illa agat, quæ nulli officiant, sed omnibus prosint. Ceterum in ecclesia generaliter nil canendum, aut legendum est: quod à sancta Romana Ecclesia canonizatum, & approbatum expresse, aut per patientiam non sit.

Beatus Hieronymus officium ecclesiasticum ordinauit.

THeodosius Imperator hæreticorum extirpator rogauit Damasum Papam, vt per aliquem prudentem, & catholicum virum, ecclesiasticum faceret officium ordinari. Vnde idem Papa præcepit Hieronymo presbytero, tunc Betheleem cum Paula, & Eustochio, & alijs virginibus cō moranti, qui prius sub septem Apostolicis Romæ vixerat, quatenus officium Ecclesiæ ordinaret. ipse namque nouerat linguas quatuor, Hebraicam, Græcam, Caldaicam, & Latinam. quod ille obtemperans fecit. Ordinauit itaque quantum de Psalmis in Dominica: quantum in secunda feria, & tertia feria, & sic deinceps legeretur. Euangelia quoque, & epistolas, &c. quæ de nouo, & ueteri testamento in ecclesia leguntur (præter cantum) magna ex parte ordinauit; cuius operis exemplū idem Hieronymus Romam misit, & à Damaso Papa Canonizatū est, & præceptum, à cunctis ecclesijs obseruari, & appropriatum est ipsi Damaso propter auctoritatem suam, quam *interpo* suit: c. de uet. iu. enu. l. tanta.

Officium Gregorianum, & Ambrosianum.

LEgitur in vita Beati Eugenij, quòd dum adhuc officium Ambrosianum magis, quàm Gregorianum ab ecclesia seruaretur; Adrianus Papa Concilium conuocauit: vbi statutum est quòd Gregorianum deberet uniuersaliter obseruari. ad quod Karolus Imperator *omnes Clericos minis, & supplicijs per diuersas prouincias cogebat* libros Ambrosiani officij comburere. Beatus vero Eugenius ad Concilium quoddam propter hoc conuocatum veniens inuenit illum Concilium per triduum iam solutum, inducens dominum Papam, quòd omnes prelatos, qui Concilio interfuerant: etiam per tres dies recesserant, reuocaret. Concilio iterum congregato, omnium patrū, fuit una sententia, quòd missale Ambrosianum, & Gregorianum super altare sancti Petri Apostoli ponerentur: plurimorum episcoporum sigillis munita, & fores ecclesiæ clauderentur: & ipsi tota nocte orationi insisterent, vt dominus per aliquod signum indicaret, quod horum magis ab ecclesia seruari uellet: sicque per omnia factum est. Mane igitur ecclesiam intrātes vtrumque missale super altare apertum inuenerunt: vel, vt alij asserunt, missale Gregorianum penitus dissolutum, & huc, illucque dispersum inuenerūt: Ambro

sianum

sianum uero solummodo apertum super altare in eodem loco, ubi positum fuerat, inuenerunt. quos signo edocti sunt diuinitus Gregorianum officium per totum mundum dispergi. Ambrosianum vero tantum in sua ecclesia ob seruari debere: & sic vsque hodie seruatur.

In principio, & fine horarum canonicarum oratio dominica dicenda est.

VT autem muscæ morientes abigantur, & mens orantis serenetur, vt digne cum Deo loquatur: & vt si mente non orauerit, dominus in furore non irascatur: sed misereatur: ideo laudabili cõsuetudine inductum est, ut sacerdos ante canonicarum horarum initia, & in fine dominicam orationem, & ante horas beatæ Marię, & in fine Aue Maria, &c. uoce submissa, præmittat. Vnde in Concilio Gerundiensi, de cons. d. 5. id semper statutum est, vt etiam post singulas horas dicatur: ne diabolus de corde Sacerdotis rapiat, si quid boni ibi seminatum est.

Quare in principio singularum horarum dicatur Deus in adiutorium &c.

QVia vero dominus ait in Euangelio: Sine me non potestis facere quicquam: ideo in singulis diurnis horis Sacerdos incipit: Deus in adiutorium meum intende: & singulæ finiuntur per Deo gratias, & sic initium, & finis referuntur ad idem, scilicet, ad Deum, qui est Alpha, & O, idest, principium, & finis. 35. dist. ab exordio. dicendo igitur: Deus in adiutorium meũ intende: mater ecclesia inuitat homines iuxta illud: Venite filij, audite me: quod ideo introductum est: quoniam dum arca Domini ad portandum leuabatur: dicebat Moyses: Surge domine: idest surgere fac: & dissipentur inimici tui, & fugiant, qui oderunt te à facie tua: sic & Sacerdos noster dicit: Deus in adiutorium meum intende, hoc est: præsta mihi auxilium, dum resurgo à peccatis, & contra uarios inimicos, qui tuam circundant ecclesiam.

Quia tribus modis contingit peccare: ideo tribus modis horæ incipiuntur.

CIrca hoc notandum est, quòd contingit tribus modis peccare: uidelicet, corde, ore, & opere; ideoque tribus diuersis modis horæ incohantur, uidelicet completorium per Conuerte nos Deus: contra peccatum cordis. Matutinum: per Domine labia mea aperies: contra peccatum oris: Aliæ vero omnes diei horæ per Deus in adiutorium meum intende: contra peccatum operis. & quoniam in peccato cordis, & oris est aliquid operis, ideo in omnibus bonis tam diurnis, quàm nocturnis dicitur Deus in adiutorium meum intende: contra peccatum operis.

Gloria patri dicitur in principio omnium horarum.

POST Deus in adiutorium meũ intende, &c. statim in singulis horis subiungitur Gloria patri, & filio, &c. quos duos uersus Beatus Hieronymus scripsit inter opuscula, quæ Papa Damaso misit: & ipsius rogatu idẽ Damasus illos in fine psalmorum cantari instituit: ipsum tamen uersum Gloria Nicena Synodus dicitur edidisse. quoniam dominus dixit: Adhuc te loquente, ecce ad sum, ideo quasi iá nos intellexerimus, exauditos esse gratiarum actiones Trinitati tribuimus, dicente, Gloria patri &c.

Quare in exequijs mortuorum non dicitur Gloria patri, neque Deus in adiutorium.

IN exequijs mortuorum nec Deus in adiutorium, nec Gloria patri dicimus, quia in illis Saluatoris exequijs imitamur, in quibus hæc ceſsant, prout in ſequenti parte ſub titulo de quinta feria in cæna domini dicetur.

Antiphonæ vnde ortum habuerint.

ANtiphonæ quoque in ſingulis horis ex inſtitutione beati Ambroſij dicuntur, pro eo quod beatus Ignatius tertius à beato Petro Antiochenus Epiſcopus audiſſe legitur in tripartita hiſtoria ſuper quendam montem Angelorum Choros Antiphonas canentes. inde enim Græci primo antiphonas compoſuerunt: & eas cum pſalmis in choro quaſi inchorea cantari ordinauerunt. qui mox ad uniuerſas eccleſias: vt iam ubique antiphonæ decantarentur. incohatur enim ante pſalmum, qui opus ſignificat: ipſa uero ſignificat charitatis copulam, ſeu mutuam dilectionem, ſine qua opus non prodeſt, & per quam opus incipit meritorium eſſe.

Hymnus vnde primum.

HYmni quoque tam ex inſtitutione Gelaſij Papæ, quàm ex approbatione Conciliorum Toletani, & Agathen. de conſe. diſt. 1. de hymnis, & diſt. 5. conuenit, in ſingulis diuinis officijs canuntur. eſt autem hymnos græcè, latine laus Dei cum cantico, uel uox humana in laudem Dei, metrice compoſita. Canticum uero eſt exultatio mentis habita de æternis in uocem humanam prorumpens. quia uero pſalmi ſunt hymni, unde & pſalterium dicitur liber hymnorum. ideo in quibusdam eccleſijs, hymnum non cantant, quod tamen approbandum non eſt, quoniá nõ ſine cauſa ſunt à Sanctis patribus inſtituti, ut quando nihil operando Deum cum mentis exultatione laudamus, propter quam laudem exprimendam hymnus cantatur. *pſalmi* vero opera bona ſignificant.

Hymni an, & vbi præcedant pſalmos, aut contra.

NOtandum eſt autem, quòd in diuinis officijs hymni præcedunt pſalmos, in nocturnis vero, ſcilicet, in ueſperis, & completorio, & laudibus matutinis, è conuerſo. dies enim pertinet ad ſpirituales, qui habet gaudium conſcientię. nox pœnitentes, qui habẽt remorſum conſcientiæ. illos exultatio inducit in operationem, quibus dicitur: Cantate ei canticum nouum: bene pſallite ei in uociferatione. iſtos per operationem oportet uenire ad exultationem.

Pſalmi cur dicantur alternatim.

DAmaſus inſtituit, ut chori induas partes diuiſi pſalmos canerent alternatim: & dicuntur pſalmi alternatim ad notãdum alternam ſanctorum, ad bene operandum, exhortationem. priſcis nanque temporibus confuſe, & quaſi in chorea dicebantur. ideoq; ſancti patres ordinauerunt, ut alternatim dicerentur. ideſt vna pars chori vnum verſum, & altera alium diceret. quod beatus Ignatius primus ſtatuiſſe fertur in eccleſia Antiochena, pro eo, qđ in viſione audiuit Angelos antiphonatim pſalmos pſallentes. dicuntur etiã alternatim ad notandum, quòd alter alterius onus ferre debet.

Psalmi graduales quot, & vnde.

NOtandum est, quòd psalmi graduales sunt quindecim, qui signari sunt per quindecim gradus, quibus ascendebatur ad templum Salomonis, quod erat in mente. hos quindecim gradus vocant quidam canticum graduum: eo quòd in quolibet præmissorum, quindecim graduum singuli psalmi decantabantur: & verbum graduũ casus genitiui est: significati sunt etiam dicti quindecim psalmi, per alios quindecim gradus Ezechielis, quibus visum est ascendere in ciuitatem Dei.

Versus quid notet.

QVæritur quare versiculi, in nocturnis ante lectiones dicuntur, in alijs vero horis post capitula.

Respondeo: in nocturnalibus lectionibus propter earum vniuersitatem, & magnitudinem sedere solemus: ne igitur propter longam sessionem, aut propter lassitudinem, siue etiam obliuiscamur doctrinæ domini, quam lectiones significant: cogitando forte inania, aut dormiendo, vel confabulando: ideo versu precedente ad lectiones audiendas incitamur. in alijs vero horis, quia nec tot, nec tantæ sunt lectiones: non est necesse sedere, nec versiculos præmitti: uel ideo in alijs horis versus post lectiones dicuntur: ad notandum, quòd propter interualla horarũ, doctrina domini non negligitur. Rursus versus sæpe à pueris cantatur: ad notandum seruitium nostrum cum innocentia præstitum, domino, fore gratum.

Lectiones matutinales quid significent.

LEctiones quoque in singulis horis tam nocturnis, quam diurnis dicuntur: & dicitur lectio, quia non cantatur, ut psalmus, uel hymnus, sed legitur tantum: illic enim modulatio, hic sola pronunciatio quæritur: si quidem lectiones nocturnales sunt doctrina nostra: quia per eas docemur, opera nostra retorquere ad eum. obtinent ergo vicem lectionum, quas doctores faciunt ad ignaros: per eas quoque sanctorum opera imitamur, & earum commemoratione ad Dei laudem compungimur: & ideo, ut præmissum est, sedendo, & in silentio audiuntur. Lecturus autem lectionem, ad librum accedens super gradum ascendit, quia doctor perfectiori vita vulgus transcendere debet, & à presbytero, vel episcopo benedictionem tanquam legendi licentiam postulat dicens: Iube domne benedicere: per quod principatus ecclesiæ, quòdque nullus, nisi à maiore iussus debet in ecclesia legere, designatur, & dicit: domne, & non domine. quia solus Deus vere dominus est: hinc est, quòd presbyter vel episcopus non à se benedictionem largitur, sed discrete à Deo postulat illam dari dicens: Benedictionem perpetuã tribuat nobis, &c. quia tunc sermonem ad Deum dirigit, qui vere dominus est.

Responsorium vnde dicatur.

DIcitur nanque responsorium: quia lectioni respondere, idest, consonare debet, & si forte lectiones sunt de actibus Apostolorum: responsoria sint similiter de eodem. vnde nonum responsorium respondere solet nonæ lectioni: quæ olim erat de trinitate: hoc tamẽ fallit in responsorijs de historijs, quæ post Euangelium in nocturnis cantantur: quæ Euangelicis lectionibus

non respondent: iuxta illud Aposto. 1. ad Cor. j. ut id ipsum omnes dicamus: & non sint in nobis scismata.

Quare post lectiones dicitur: Tu autem domine miserere nobis.

LEctione finita, dicit lector: Tu autem domine miserere nobis: quod neque de lectione est: neque ei continuatur: sed ille sermonem ad Deum dirgiens se exculat, quòd dicit: Domine peccaui legendo forsam modulate: pronuncians cupidine laudis humanæ: uel ad captandum uentum humani fauoris: & audientes similiter forte peccauerũt uanis cogitationibus intẽdẽtes, uel à lectione auditum auertentes: sed tu domine miserere nostri: quod vero respondetur à cunctis: Deo gratias: nõ tu autem, sed ad lectionem refertur.

Quare in officijs dicantur capitula.

NOtandum vero est, quòd pulcherrimus mos in ecclesia inoleuit; ut quater in die, & quater in nocte per singulas diurnę, siue nocturnæ psalmodiæ horas: lectio vna siue capitulum de veteri siue de nouo testamento dicatur. quædam tamen ecclesiæ non dicunt capitulum in prima, nec in completorio. quia secundum hoc lectiones nostræ non erunt octo: sicut erant secundum Esdram in veteri testamento, prout præmissum est: ideo ecclesiæ illæ post primam legunt in capitulo in prima, præter missam. & ante completorium legunt prætermittendo in completorio scilicet: Fratres sobrij estote, & cetera.

Orationes cur dicantur in singulis horis.

ORationes in singulis horis dicuntur, per quas promissio impetranda est: oratio namque petitio est: nam orare petere est: sicut exorare est impetrare: & secundum Gregorium, veraciter orare est amaros in compunctione gemitus, & compositas verba sonare: oratio autem Dei misericordiam significat, quæ præcedit, & subsequitur hominem in bonis operibus: & ideo dicitur in principio missæ, & fine: est autem vltima oratio domini ad operarios benedictio, quod orationes in fine dicuntur: ab actibus sumitur Apostolorum, qui quando diiungebãtur, positis genibus suis, orabat: si quidem oraturus sacerdos populum salutat dicens: Dominus vobiscum: & hoc ideo, ut illum animet ad adorandum pro ipso, quòd eius oratio sit accepta Deo.

De nocturnis.

LIcet ecclesiastica officia à uespere incipiant: iuxta illud de vespera in vesperã celebrabis sabbata vestra: extrau. de ferijs. c. 2. quia tñ ordo cõueniens est, ut à tenebris procedamus in lucem: & non econuerso: ideo a noctis officio inchoemus: tempus autem nocturnum significat vitam nostram in peccatis: nocturnum officium, nostri exilij seruitium: nam laus matutina, pœnitentiæ suffragium, per quam tendimus ad laudis gaudium, & libertatis, vel tempus ante nocturnum, significat tempus ante legem mortis: in quo omnes silebant a laudibus Dei: Tempus nocturnum significat tempus legis datę Moysi: Tempus laudis matutinę, significat tempus gratiæ. à resurrectione vsque ad finem mundi: in quo tempore Deum laudare tenemur de bonis naturæ: quæ illa hora nobis

con-

contulit resurgendo, & de bonis glorię, quę in ea nobis dabit resuscitando.

Quare ter de nocte surgebant ad diuinum officium.

SCiendum est autem, quòd in primitiua ecclesia ministri ecclesiæ ter de nocte interpellatim surgebant ad diuinum officium celebrandū: tria in hoc tempore designantes: videlicet; tempus ante legem, tempus sub lege, & tempus gratiæ: Surgebant enim primo circa primum somnum, quando vulgus solet ire dormitum: Secundo circa mediam noctem. Tertio paululum ante diem: sic ordinátes officium, ut nocturnę finitę: & cum sui responsorijs perlectę essent priusquam lucesceret: apparente vero aurora pulsatis campanis cantabant: Te Deum laudamus: & matutinas laudes.

Nocturna quid.

ET nota, quòd nocturna non ponitur per horam, sed nocturni nocturnorum pro officio: uel nocturna nocturnæ est collectio psalmorum: qui dicuntur ante lectiones in dominica, vel in profestis diebus. nocturnæ in plurali: dicuntur tempora, in quibus psalmi cantantur. nocturni nocturnorum: dicūtur nouem psalmi, & nouem lectiones cum suis responsorijs in solemnitatibus.

Ecclesiam ingredientes ad altare inclinamus

AVlam igitur regiam, idest, in ecclesiam egredientes ad altare inclinamus, quasi Regem milites adoramus: æterni enim Regis milites sumus, inclinátes autem, trinam facimus orationem, dicentes ter Pater noster, &c. sermonem ad patrem, & filium, & spiritum sanctum dirigentes: cum ad patrem loquimur, ad medium altaris intentione cordis, & statu corporis nos præsentamus propter patris potentiam, & nostram perseuerantiam: cum ad filium loquimur, ad sinistram altaris partem nos conuertimus propter ipsius exinanitionem, & nostri lapsus offensionem: cum ad spiritum sanctum ad altaris dextram transimus; propter ipsius benignitatē, & nostram gratiæ consecutionem.

Inuitatorium quid significet,

VErum quia non sufficit Deum laudare: nisi etiam ad laudandū alios inuitemus: ut qui audit dicat: Venite exultemus: ubi multiplex causa redditur. quare Deo exultare, & iubilare debemus. dum ibi dicitur: Quoniā Deus magnus, &c. Et ultimo assignat causa, scilicet ne ingrati simus, sicut q propter suam ingratitudinem, & malitiam terram promissionis non intrauerunt. Vnde dicitur ibi: Si introibunt in requiem meam. Inuitatorium autē alta uoce dicitur, quasi mater ecclesia per illud inuitet homines ad confitendum domino: iuxta illud: Venite filij audite me: quod notat secundus versus: Præoccupemus, &c. præmittitur quoque inuitatorio vox humilis, sed cum venit ad Psalmum inuitatorium exaltatur: quia ecclesia primo secreto, quasi ostio clauso laudat Deum propter se: sed postea manifeste propter alios: ut ardor accendat proximos: Hinc ergo est, quòd in præcipuis festiuitatibus inuitatorium quasi uoce valde demissa incohatur: sed cum uenitur ad uersum: Hodie si uocē eius audieritis, &c. exaltatur, ne quis corde forte obduratus de uoce non audita excusetur: vnde Esaias: Quasi tuba exalta

uocem tuam: Rursus voce demissa in choatur, ad notandum quòd in primitiua ecclesia populus clam ad fidem, & ad Christum colẽdum inuitabatur: sed postea vox exaltatur, ut ostendatur, quod hodie libere inuitatur, prædicatur, & adoratur.

Inuitatorium cur aliquando integrè, aliquando imperfectè repetitur.

ITem inuitatoriũ ipsum ad aliquos versus illius Psalmi: Venite, repetitur integre, & ad alios imperfectè, quia licet omnes per ipsum inuitatorium ad laudes, & gloriam Dei inuitentur; aliqui tamen perfectè, & aliqui imperfectè hanc inuitationẽ recipiunt. dicitur autem sexies integrè, quia illi integra recipiunt, qui perfecte laudes Deo referunt: perfectę autem laudes Deo offerunt, qui nihil, quod non sit laudis, interponunt. ter vero imperfecte repetit: pp illa tria hoĩum genera, qui ad cænam inuitati inuitationem non receperunt, scilicet: auari, superbi, & luxuriosi.

Quare in die Epiphaniæ non dicatur inuitatorium.

INuitatorium non dicitur in die Epiphaniæ propter quatuor rationes. primo ad ostendendum, quòd ecclesia in primitijs suis uenit de gentibus ad dominum, non inuita, vel uocata per præconem aliquem: sed sola stella duce iuxta illud: Nemo nos conduxit: ut sic incutiatur erubescẽtia eis, qui tarde credunt, cum multos habeãt prædicatores. Magi enim non uocati venerunt adorare Christum. Secundo, ut nos, qui quotidie inuitamur: & excitamur ad adorandum, & deprecãdum videamur detestari inuitationem fraudulẽtam Herodis dicentis magis: Ite, & interrogate diligenter de puero, &c. Tertia est causa, quia ipsa stes nos inuitat, scilicet stella, per quã significatur fides, *quæ ducit nos ad Deum, & illuminat nos in nocte huius seculi.* Quarta, quia Psalmus: Venite, *qui idẽ* dicit: dicitur in nocturnis: & sic idem repeti videretur.

Hymnus cur sequatur inuitatorium.

POst inuitatoriũ consequenter multi Deum cum lætitia laudant iuxta Illud: Audiuit, & lætata est Syon. ideo post inuitatorium cantatur communiter hymnus. Tertio dicitur hymnus in signum, quia sicut in actibus Apostolorum, gentes gauisæ sunt: quia ad fidem uocatæ sunt. *Quarto quia* iterum non sufficit laus *oris, & cordis* nisi & opus sequatur. quia fides *sine* operibus mortua est, ideo post hymnũ sequantur Psalmi, qui bonam operationem designant. dicuntur etiam antiphonæ, quæ significant charitatem: sine qua opus non perficitur.

Quare dicitur oratio dominica post uersus.

POst versus ante lectiones, per quas doctrinam habemus, dicitur oratio dominica: primo ad notandũ, quòd qui eget sapientia, & intellectu doctrinæ, postulet illam à Deo, qui secundũ beatum Iacobum, dat affluenter omnibus, & non improperat: secundo, ut ipsius orationis auxilio proficiat in nobis versus intentio. Tertio, ut per illã diaboli tentationes pellantur. dicitur secrete, per quod secretum regis concilium intelligitur. vltima tamen pars patenter cõcluditur, ut pateat ad quid oratio ipsa dicatur, scilicet, ne lector per fantasiam tentationum offeratur,

& audiatur lectionis intellectu,& profectu fraudetur per preces, quæ dominicam orationem antè lectiones sequuntur:imploratur sanctorum intercessio ad obtinendum, quod in ipsa oratione postulatur.

Nocturni tres aliquando, aliquando vnus.

IN quibus diebus festiuis, & dominicis tres dicimus nocturnos:in profestis unum. si quidem in trium nocturnorum officijs tria tempora repræsentamus.scilicet tempus ante legem,tẽpus sub lege,& tempus gratiæ. quorũ quodlibet tribus distinctionibus variatur. Tempus ante legem has distinctiones habuit: Prima fuit ad Adã vsque ad Noè. Secunda à Noè usque ad Abraham:Tertia ab Abraham usq; ad Moysen. Tempus sub lege has distinctiones habuit: Prima à Moyse usque ad Dauid,à Dauid vsque ad trãsmigrationem Babilonis, à transmigratione Babilonis usque ad Christum. Tempus;vero gratię has distinctiones habuit:Prima distinctio fuit apostolicæ,& euangelicæ prædicationis. Secunda tempus impugnationis per hæreses emergentes. Tertia tempus pacis: quando videlicet hæreses eliminatæ sunt. recte autem tres nocturni, patres, seu fideles vtriusque temporis significant. qui uigilantes per Dei laudem ad æternam peruenient laudem. Vnde Apostolus ad Corint. 1. Omnes stabimus ante tribunal Christi, & nos, qui uiuimus,& qui residui sumus,non præueniemus, &c.

Dicto de nocturnis festiuitatum,& dominicarum,nunc de nocturnis ferialibus,siue non solemnium dierum pauca dicamus.& quidem in illis dicimus duodecim Psalmos vt & nos Deo debere seruire in duodecim horis noctis, ostendamus: cuilibet horæ unum psalmum attribuentes: cum non possimus iugiter Deo seruire: qui psalmi bini,& bini dicuntur ad notandum, ꝙ sine charitate, quæ ad minus inter duos consistit: laudes nostræ,uel opera nostra,nihil prosunt. Gloria patri &c.interponitur ad notandum, quòd Christus est Dei, & hominum mediator.

Quare ante lectiones benedictionem petens dicit:domne,& non domine.

LEcturus autem lectionem ad librũ accedens super gradum ascẽdit, quia doctor perfectiori vita vulgus transcendere debet, & a presbytero uel Episcopo benedictionem antequã legendi licentiam postulet dicens, iube domne benedicere, per quod principatus ecclesiæ, quodque nullus nisi a maiore iustus debet in Ecclesia legere, designatur.& dicit dõne,& non domine: quia solus Deus vere dominus est; hinc est ꝙ presbyter uel Episcopus,non a se benedictionem largitur, sed discrete à Deo postulat illam dari dicẽs: Benedictione perpetua,benedicat nos pater æternus.

Quare post lectiones dicitur Tu autem domine miserere nobis.

LEctione finita,dicit lector: Tu autem domine &c. quod neque de lectione est neque ei continuatur: sed ille ad Deum sermonem dirigens se excusat quasi dicat:domine peccaui legendo forsam modulate pronuncians cupidine laudis humanę:vel captando ventum humani fauoris:& audientes similiter forte peccauerunt vanis cogitationibus intendentes uel à electione audi-

auditum auertentes: sed tu domine mi ſerere noſtri: quod uero reſpondetur a cunctis: Deo gratias: nō ad Tu autē, ſed ad lectionē refertur. eſt enim vox eccleſiæ Deo gratias exoluentis, ac ſi dicat: Deus pauit nos uerbis ſalutis, quæ ſunt cibus animę: & pro huiuſmodi beneficio Deo gratias, ſupple exoluimus.

De lectionibus.

TRes quoque lectiones, quæ tunc dicuntur, doctrinam electorum trium temporum ſignificant: & cum ipſis interpellanter tria reſponſoria dicuntur: ad notandum, quod quicquid electi in tribus temporibus docuerūt: & quicquid in tribus ætatibus factum eſt: ad domini trinitatem referamus: & trinitatem in fide, ſpe, & charitate glorificemus.

Te Deum laudamus.

TE Deum laudamus alta uoce cātatur, ad notandum quòd manifeſte, & mirifice eccleſia tempore gratiæ laudat Deum: & ad ſignandum, quòd bonis operibus doctrinæ ſanctæ bene reſpondemus: ad cæleſtem' laudem cum angelis perueniemus: cantus quoque tunc alta uoce factus gaudium mulieris de dragma perdita, & inuenta ſignificat. quod verò finis eiuſdem canti ci ibi per ſingulos dies, &c. & alij verſus ſequentes altius canuntur: ſignificat congratulationem vicinarum, quā mulieri propter dragmam repertam fecerunt.

Te Deum quis compoſuit.

ET ſciendum, quòd cum beatus Ambroſius, beatum Auguſtinum de Manicheis conuerſum baptizaſſet, dixit: Te Deū laudamus. Auguſtinus uero reſpondit: Te dominum confitemur: & illo dicēte: Te æternum patrē: ille reſpondit: Tibi omnes angeli, &c.

De Matutinis laudibus.

DIcuntur autem laudes: quod illud officium laudem præcipue ſonat diuinam, quam ei facimus: pro eo quod à tenebris erroris nos ad lucem, ſeu uiam ueritatis reduxit, & ad tentationes diaboli expellendas: vnde Eſai. 25. Expergiſcimini, & laudate, qui habitatis in puluere: quia ros lucis eſt. Sane matutinum, & veſpertinum officium ideo canimus, quaſi domino iuge ſacrificium offeramus.

In laudibus quinque pſalmi quid ſignent.

POrrò in laudibus matutinis quinque pſalmi dicuntur, vt quinque ſenſuum reparatio notetur; & propter quinque ſtatus eccleſiæ: primus pſalmus eſt: Dominus regnauit, in quo laudatur Deus, qui firmauit orbem terræ: ſcilicet in fide, & reſurrectione. Secundus eſt: Iubilate, qui pertinet ad confeſſores: Tertius eſt: Deus Deus meus ad te de luce vigilo, &c. qui ſignificat ſtatum martyrum, qui ſitiunt ad dominum: vnde dicitur ibi: Sitiuit anima mea, &c. Quartus eſt canticum trium puerorum: Benedicite, ſignificans ſtatum Antichriſti: in fine huius Pſalmi non dicitur Gloria patri, neque Amē. primo quia propter confeſsionem fidei proiecti ſunt tres pueri in caminum ignis: in quo facto maxime Deo, & trinitati derogatum eſt: & quia in ipſo Pſalmo diſtincte tota trinitas notificatur, & laudatur. Quintus pſalmus: Laudate dominum: in quo ſtatus ille notatur: quando poſt mortem Antichriſti conuertentur Iudæi: & in fine eius dicitur Gloria patri: ad oſtendendum,

dum, quòd per bonam operationem sociabimur Angelis, qui incessanter Deum laudant.

Quare psalmus: Deus Deus meus ad te deluce vigilo, & Deus misereatur nostri coniungantur.

QVærit ét quare præmissi psalmi duo, scilicet Deus, Deus, meus, & Deus misereatur nostri, combinantur. & sub uno Gloria patri, & sub vna antiphona dicuntur: ad quod respondetur: quia psalmi Deus, Deus meus, significat sitim ad Deum: in psalmo: Deus misereatur nostri, trinitas notatur: vt supra, ad significandum igitur sitim, & desiderium cótinuum ad Deũ, hoc fit.

Capitulum sequitur antiphonam, & quare.

POST Antiphonam sequitur capitulum, per quod fit exhortatio, ne deficiamus in via: & dicitur quãdoque benedictio, & claritas. Apost. 7. cap. & quandoque fuistis aliquando tenebrę. Ephes. 5. quandoque nox precessit ad Romanos. 13. cap. ubi hortamur in fide perseuerare, in misericordiæ operibus intendere: & opera tenebrarum abijcere, & arma lucis induere, & consolamur per repromissionem gloriæ.

Cantica Benedictus, & Magnificat cantanda sunt stando.

POST Psalmos, & lectiones, & versum, canticum Benedictus dicitur, vt recordemur, quòd finito tempore noui testamenti. quod per præmissos matutinales psalmos significatur; remuneratio Abrahæ promissa nobis dabitur, si doctrina Christi imbuti, quod per lectionem, & ad Deum seruitium uisitati, quod per uersum significatur; sine timore in sanctitate, & iustitia omnibus diebus seruiemus Deo. Rursus ideo dicitur psalmus Benedictus, hoc loco: quia in eo agitur de præcursore illius, qui in sexta ætate uenit, & iste est sextus psalmus in laudibus. & nota, quòd hoc canticum, & canticum Mariæ, scilicet, Magnificat anima mea dominum, &c. euangelia sunt: ideo astantes cantamus: offertur itaque incẽsum circa altare, vt notetur canticum toto cordis affectu esse proferendum: & ne nobis accidat, quod contigit Zachariæ: cui, dum incensum offerret, apparuit Angelus dicens, quód ei nascerétur filius: quod quia non credidit, ob mutuit. Credamus igitur de promissionibus Dei, ne à laude eius muti efficiamur.

QVARE ORAMVS hora Prima.

POST quam de nocturnali præmissum est officio: conuenit aliqua dicere de diurno, & primo de hora prima, in qua Deum laudare debemus; tum quia est initiũ diei, & nobis dedit noctem cum salute, & sine Satanæ impedimento transire: tum quia tali hora Christus à Iudeis Pilato traditus est: & etiam Angelus nunciauit mulieribus ad monumentũ, orto iam sole, uenientibus, eum surrexisse: eadem etiam hora visus est in litore maris à discipulis piscantibus dicens illis: Pueri habetis aliquid pulmẽti; tum quia eadem hora dominus conueniebat in templo, & populus mane expectabat.

Quare

Quare oramus hora Tertia.

HOra Tertia Deo laudes exsoluimus. quoniam in illa secundum Marcum Iesus linguis Iudeorum morti adiudicatus est, & à Pilato ad colúnam ligatus est,& flagellatus: merito ergo hora illa oramus:ut sicut,scilicet ab Adam per diaboli suggestionem separatus est: ita per Christi crucifixionem dignetur eadem hora spiritus Sanctus in cordibus nostris infundi:in hac etiam hora repromissus spiritus sanctus,datus est Apostolis,& visibiliter Dei magnalia loquebantur:vnde in actibus Apostolorum: Nó isti ebrij sunt, cum sit hora tertia dici, propter quod dicitur hymnus:Nunc sancte nobis spiritus. &c.

Quare oramus hora Sexta.

HOra sexta pro nobis crucifixus, & clauis confixus est Christus: quare tenebræ super omnem terram factæ sunt: ut sol in morte domini sui lugẽs: se quasi nigris tegeret vestibus: ne illum crucifigentibus lumen præberet:hac ẽt hora in die Ascensionis cũ discipulis discubuit:merito ergo ecclesia illa hora Deo laudes exhibet, gratias ei agens: quia pro ipsa Christus pati voluit, propter quod ipsum diligit vehementer:vnde in canticis: Nunciate dilecto: quia amore langueo.

Quare oramus hora Nona.

HOra Nona Christus clamans emisit spiritum. mori enim voluit pro homine illa hora, in qua homo de paradiso expulsus est: & in eadem hora per mulierem, & lignum deceperat hostis: ut ars autem artem falleret,& medelam ferret.vnde hostis læserat:in eadem quoque hora miles latus Christi aperuit. & quod duo nostræ saluationis sacramenta, scilicet aquam baptismi, & sanguinem nostræ redemptionis nobis eduxit: & velum templi scissum est:& monumenta aperta sunt: eadẽ hora inferna penetrans inextricabiles tartari tenebras confringens; seraſque eius comminuens captiuitatem sanctorum secum transuexit ad cęlos, igneaq; romphea submota antiquum incolam in paradiso restituit: eadem etiam hora cætus Apostolorũ ad adorandum conuenire consueuit: & Petrus,& Ioannes ascendebant in templũ causa orationis.Petrus quoque eadem hora ascendit in cenaculum oraturus, quando raptus est in extasim: & linteolum plenum reptilibus de cælo ante se dimitti vidit:audiens hæc verba: Petre macta,& manduca:merito igitur,propter prægotiuas hac hora ecclesia laudat dicens psal. Mirabilia &c.

DE VESPERIS.

Quare oramus hora vespertina.

IN hora vespertina significat ecclesia primum aduentum domini, qui fuit vergente mundi vespere, idest. vltima ętate: de quo psallens reddit gratias Deo iuxta illud aposto. Nos sumus in quos fines seculorum deuenerunt: de pen.distin. 3. si enim.in fine. Præterea Christus in vespere de cruce depositus fuit: eadem quoque hora in cena, sacramentum corporis & sanguinis instituit

stituit, pedes discipulorum lauit discipulis euntibus in Emaus in habitu peregrini, in fractione panis se manifesta uit. merito ergo ecclesia catholica Christo in hac hora gratias agit.

Officium mortuorum quare caret secundis vesperis.

OFficium mortuorum incipit à vesperis: non tamen habet secundas vesperas: ad notandum, quòd hoc officium finem habebit, quando animæ saluandorum ab omni pœna liberatæ æterna beatitudine fruentur. Sed sancti, de quorum glorificatione in anima iam certa est ecclesia, primas; & secundas vesperas habent, si in festo eorum nouem lectiones dicantur. primas enim habent pro glorificatione animæ iam percepta, secundas pro glorificatione corporis: quam habebunt, quæ nonnunquam finem habebit. Si vero habent tantum tres lectiones, primas vesperas tantummodo: non quia & ipsi duplicem stolam habituri non sint: cum hoc omnibus electis conueniat: sed ecclesia ad ostendendam differentiam præmiorum illis, & istis debitorum, magis solemnizat pro illis, de quorum maioribus meritis sibi per miracula, vel per alia documenta constat: quamuis ad plenum certa esse non possit: nam & stella differt in claritate à stella: vnde Augustinus ait in sermone de beato Stephano: Cum præciosa sit mors sanctorum, si quid distare inter Martyres potest: præcipuus esse videtur, qui primus est.

Quare in exequijs mortuorum non dicitur Gloria patri, nec Deus in adiutorium meum &c.

IN exequijs mortuorum nec Deus in adiutorium meum intende, nec Gloria patri dicimus: quia in illis saluatoris exequijs imitamur, in quibus hęc cessant, prout in sequẽti parte sub titulo de quinta feria cœnæ domini, dicetur.

DE COMPLETORIO

IN hora completorij Christus orauit patrem: eadem quoq; hora sanguineas guttas sudauit, & etiam corpus eius in sepulcro positum fuit: & custodes deputati. merito igitur in hac hora ecclesia Deo laudes, & gratias agit: illam etiam in memoriam æterni gaudij celebrat: nã completo electorum numero: in illa hora complebitur gaudium electorum in die generalis retributionis: & inde est, quòd completorium significat gaudium: dicitur autem completorium, quia in eo completur communis vsus locutionis, cibi, & potus, & aliorũ quæ necessario pro corporis sustentatione sumuntur: & secum etiam hoc significat finem vitæ præsentis.

Quare incipit per, Conuerte nos, officium completorij.

HOC officium incipit præter morem aliorum officiorum: Conuerte nos Deus, &c. quia quasi tota die psalmodiæ insistimus, & pene impossibile est, quin aliquem, puluerem superbiæ contraxerimus: & quia sœpe erramus, iuxta illud: Erraui, sicut ouis,

quæ perijt: inde est, quòd nos humiliãtes dicimus: Conuertes nos Deus, &c. præterea quilibet quantumlibet perfectus, & bonus extimare se debet imperfectum, siue insipiẽtem: iuxta illud: Iustus accusator sui est: ideo dicit sacerdos: Conuerte nos, &c.

Completorium quatuor psalmis constat.

DIcuntur autem quatuor psalmi ad obtinẽdam remissionem peccatorum, quæ committimus, dum sumus in hoc corpore ex quatuor elemẽtis; & ex quatuor humoribus, uel complexionibus composito. extra. de cele. miss. in quadã: seu quia corpus ipsum ex his compositum contra pericula, & phantasmata noctis munimus, & Deo commendamus: ideoque tunc dicitur: In manus tuas domine commẽdo spiritum meum, & custodi nos, &c.

Canticum Simeonis cur dicitur in completorio.

IN completorio dicitur canticum Simeonis, scilicet: Nũc dimittis, &c. quod est Lucæ. 2. cap. 1. vt illius exemplo pacem inuenientes mereamur videre lumen, quod est Christus: secundo ideo istud canticum dicitur; quia sicut sanctus Simeon cupiens ex hac uita in alteram transire illud cecinit: sic & nos cum dormire debemus, quasi morituri: quia somnus est quasi mortis imago: illum dicimus per quem nos domino commendamus: & quia canticum illud est de vtroque aduentu: vnde merito illud dicimus, vt ꝑmissionibus alliciamur: & à vitijs quiescamus; Consequenter oratio dominicæ, & preces dicuntur: quibus etiam contra noctis phantasmata nos muniamus. Subijcitur etiam Symbolum, in quo nostræ fidei professio continetur: vt si forte nos mori contigerit, in confessione fidei moriamur: precibus & oratione completur hoc officium. iuxta illud Apostо. Orate pro inuicem, vt saluemini.

Quomodo sit dicendum officium in choro.

SI quis Principem rogaturus, habitu honesto, gestu decenti, prolatione non præcipiti, sed distincte: tanta quoque mente seipsum, ac verba sua studet componere, quanto diligentius in hoc sacro loco omnipotentem oraturus Deum hæc omnino facere curabit? Debent igitur in cunctis cathedralibus, & collegiatis ecclesijs horis debitis, signis congrua pulsatione præmissis laudes diuinæ *per singulas horas*, non cursim, ac festinanter, sed asiatim, & tractim, & cum pausa decenti, præsertim in medio cuiuslibet uersiculi psalmorum debitam faciendo inter solemne, & feriale officium differẽtiam ab omnibus persoluantur. horas canonicas dicturi cum tunica talari, superpellicijs mundis vltra medias, tibias longis, uel cappis iuxta temporum, & regionum diuersitatem ecclesias ingrediantur: nõ cappucia, sed almutias, vel bireta tenentes in capite: qui cum in choro fuerint, grauitatem seruent: quã & locus, & officium exigunt, & non insimul, aut cum alijs confabulantes, seu loquentes, aut literas, aut scripturas alias legentes: & cum psallendi gratia ibidem conueniant: muta, & clausa labia tenere non debent: sed omnes præsertim, qui maiore funguntur honore, in hymnis, psalmis, canticis Deo alacriter modulentur: cum dicitur Gloria patri, & filio, & spiritui sancto: omnes

nes consurgant: cum nominatur illud glorioſum nomen: Ieſus, in quo omne genuflectitur cæleſtium, terreſtrium, & infernorum, omnes caput inclinent: nemo ibidem, dum horæ in communi publice cantantur, legat, uel dicat priuatim officium; nam non ſolum obſequium, quo obnoxius eſt, uel in choro ſubtrahit: ſed alijs pſallentes perturbant: ſuper his debite obſeruandis: alias quod ad diuini officij perſecutionem ac chori diſciplinam ſpectantibus: Decanus, uel cui onus incumbit, diligenter inuigilet hinc inde; ne quid inordinate fiat. ſi quis circa prædicta exceſſerit: prout erit grauitas erroris, plectatur pęna.

Quo tempore quiſque debet eſſe in choro.

QVI in matutinis ante finem: Venite exultemus: in alijs horis ante finem primi pſalmi: in Miſſa ante vltimum Kirie eleiſon, uſque in finem, diuino officio interfuerint, niſi forte neceſsitate cogente, ac petita licentia, & obtenta à Præſidente chori diſcedere oporteat: abſens pro illa hora cenſebitur, ſaluis eccleſiarum conſuetudinibus: ſi quæ forte circa hæc arctiores exiſtant, idem in his obſeruetur. qui à principio vſque in finem in proceſsionibus non perſeuerauerit: pro cuius executione deputetur aliquid onus habens perſonas ſingulas notandi, ſtatuto tempore non conuenientes: iuramento aſtricti ius agere fideliter: & nulli parcere.

Quo tempore debet dici officium priuatè.

TEmpus, quo debet dici officium priuatè ſecundum Caietanum. ibi eſt totus Dies, à ueſpera præcedentis diei vſque ad mediam noctem diei ſequentis. ita tamen quod ſolas matutinas liceat dicere in veſpere diei præcedentis, reliquas autem horas vſque ad mediam noctem diei ſequentis. Multum autem tardare ex negligẽtia: licet non ſit mortale, graue tamen veniale eſt: ſi ſine rationabili cauſa fiat. poſſunt tamen præuenire horam conſuetam dicendo matutinas in ſero: ut quietius, & commodius dicant: uel ob aliquam cauſam, ut conſulitur in iure. cap. Presbyter. de celeb. miſſ. de officio autem, quod collegialiter dicitur, eſt ſancitum in lege. clemen. 1. de celeb. miſſ. quod dicatur debitis horis ſecundum conſuetudinem, & ordinationes eccleſiarum. prætermittere autem etiã negligentia, dummodo communiter ſeruetur conſuetudo: non videtur mortale, remoto contemptu: dicit tamen Syluester. §. 8. quòd Prælati eccleſiarũ collegiatarum, & cathedralium, mortaliter peccarent ſi notabiliter ſine rationabili cauſa horas proprias his horis non dici facerent. propter illud verbum clemen. diſt. ſancimus. hora autẽ debita accipitur punctaliter. alioquin poſt primam in mediate non poteſt dici tertia: ſed ſecundum communem conſuetudinem: niſi aliquo imminente periculo.

De dicendis horis canonicis generaliter.

QVid ſi clericus beneficiatus neſcit horas legere?

Reſpondeo, quòd non excuſatur, quia debet ſcire, alias priuatur beneficio. ut dicitur in cap. cum in cunctis. cum elect. competens autem ſcientia ſecundum Archid. 36. diſt. illiteratos,

est autem, ut sciat canones pœnitentiales, psalterium, & homilias; & huiusmodi. 23. dist. c. Quinimmo dicit Augustinus. 85. dist. in cap. Archidia. & in c. omnes. 31. dist. nō solum requiritur, quòd sacerdos sciat in libro legere perfectè: sed etiam debet corde tenus pro maiori parte scire psalterium. quęritur etiam, quid si aliquis puer maior septennio ex dispensatione obtinet beneficium non curatum, & nescit horas legere? Respondeo: Cum eo episcopus potest dispensare ex causa necessaria, uel utili, ut aliquas alias orationes loco horarum dicat. ratio magistri Stanislai scabin in quadam positione sua est: quia ex quo dispensat Episcopus in principali, scilicet in beneficio.

Quæritur, quid si quis est infirmus? Respondeo, secundum Innocentium, de celeb. miss. c. 1. si est talis infirmitas, quæ impedit dicendo, uel audiendo horas, excusatur infirmus, nec tenetur postea aliquid dicere nec pro isto pœnitere. quia necessitas non habet legē. de obseruantia ieiunij consilium, secus est secundum Hostien. si est aliqua infirmitas, quæ solum impediret dicere, sed non audire: tunc enim sacerdos debet aliquem alium coram ipso legentem audire, si eum habere potest. vel si est infirmitas leuis, sicut vetus. quartana, in qua etiam sua negocia procuret: tunc omnes horas legere tenetur.

Quæritur quid de illo, qui amisit librum in via eundo? Respondeo: si casu hoc accidit: potest excusari pro illa vice ab horis: sed nihilominus dicat illa, quæ scit: puta orationes, uel pater noster: ne vacet ocio.

Quæritur si clericus beneficiatus in scholis stans de licētia episcopi, vel peregrinans ad curiam, excusatur ab horis canonicis dicendis? Respondeo: licet aliqui dicant tales excusari, si per alios loco sui in ecclesijs constitutos, compleantur. & hoc si est clericus beneficiatus: in minoribus constitutus: prout recitat Archidia. 91. dist. Eleutherius allegando dictum Abbatis, & Petri de Samprana. de celeb. miss. c. 1. dicas audacter quòd talis clericus; siue sit beneficiatus, siue nō, dum sit in maioribus constitutus: siue in minoribus, nec propter studium, nec propter laborem peregrinationis ab horis canonicis excusatur. nec Archiepiscopus, nec episcopus potest super his dispensare, aut in aliud cōmutare. nec Abbas cum monacho propter studium. ita scribit Archid. in dicto c. Eleutherius. & Raymundus in summa. in tit. de offi. cleri. cap. nunquid. & sequentibus, ex his omnibus sumitur istud documentum, quòd omittens horas ex voluntate, aut ex accurata negligentia, peccat mortaliter. tenetur etiam eas resumere, vel dispensatiue in alio genere satisfactionis recompēsare. ratio. quia ex quo talis soluere tenetur. sed dicit Hostien. quòd si est tanta diuersarum horarum negligentia, quòd quasi impossibile sit eas redicere: commutetur in aliam pęnitentiam.

Quæritur etiam an ille, qui ex occupatione licitis operis, aut quia multū scripsit, uel audiuit confessiones, uel aliud fecit per quod neglexit horas, mortaliter peccet? Respondeo quòd non, quia talis per ignorantiam probabilem excusatur de cleri. excommunicamini. Apostolica.

Quæritur an tot quis peccata committat mortalia, quot horas unius diei, omisit,

omisit,uel neglexit: Respondeo quòd licet officiũ tãtum unius diei sit quoddam totum integratum ex suis partibus, & vno præcepto præcipiatur, & consequens, transgrediens omnes simul una die, non peccet nisi peccato vno mortali: tamen si quis negligit vnã horam, ut puta primam, uel tertiam, &c. & alias complet: etiam peccat mortaliter, sed non ita grauiter sicut omittens, uel negligens omnes horas unde, unum peccatum mortale est grauius alio. est autem ueritas, quòd pro negligentia horarum vnius diei integre incurrit quis mortale grauius, quàm pro negligentia unius horæ canonicæ diei illius ratio, quia maior est contẽptus diuinæ laudis, in toto, quàm in parte.

Quæritur etiam an attentio mentis in horis sit necessaria? Respondeo secundum Thomam. 22. q. 83. quod duplex est attentio: vna, qua attendit ad uerba: ne quis in eis erret. Secunda qua attenditur ad finem orationis, scilicet ad Deum: & ad rem, pro qua oratur: quæ quidem maxime est necessaria: quando ergo euagatio mentis fit in oratione ex proposito, peccatum est mortale: & impedit orationis fructum. Quæritur quid de illo, qui non interfuit principio horæ alicuius, ut quãa neglexit, sed non malitiosè: quia forte pulsum tam cito non audiuit, ut sicut induatur: nunquid ille debet principium repetere? Respõdeo, quòd non oportet à capite incipere, nisi magnam partem omitteret: quia tunc deberet repetendo adimplere secundum Innocentium, & similiter dico de fine horæ, si aliquis ex necessitate exit chorum. tũc enim residuũ suppletur per alios, quia omnes sunt unum corpus in domino de constitu. cum omnes.

Et si neglectus, vel omissus est vnus psalmus, debet fieri repetitio in choro? Respondeo, secundum Innocentiũ, quòd non est tanta omissio Psalmi vnius, quòd deberet repeti, si scandalum in populo immineret, vnde melius est omittere, & non repetere propter scandalum populi: veruntamen, vbi hæc sine scandalo fierent: vt populus deesset, melior sit repetio Psalmi, quàm omissio secundum Ioannem Andream. indit. cap. dolentes.

Quæritur an degradatus ab ordine suspensus, & excommunicatus, & quilibet criminosus teneatur ad horas canonicas. Respondeo quòd sic: quandiu toleratur ab ecclesia. patet: quia non debet esse melioris conditionis malus, quàm bonus: sic ergo bonus obligatur, multo magis malus, vnde licet isti amiserint honorem, non tamen onus: alias ex malitia commodum reportarent; tamen tales in horis non debent dicere dominus vobiscum, &c.

Quæritur quæ sit competens hora pro qualibet hora canonica regulariter dicenda? Respondeo, quòd septem sunt horæ canonicæ: scilicet, Matutinũ, Prima, Tertia, Sexta, Nona, Vespera, & Completorium ut in cap. 1. de celebra. miss. 11. distin. Presbyter, & sunt istæ horæ institutæ in memoriam passionis Christi, ut dictum est. tamen horis competentibus, & distinctis, horæ canonicæ in ecclesijs cathedralibus, vel collegiatis regulariter sint cõplendæ. potest tamen in horis canonicis dicẽdis ex causa rationabili, ut quia plebanus habet visitare infirmos, & eis procurare sacramenta, uel habet audire confessiones: & cum hoc aspicere licitos

citos labores corporales omnes horas incluſiue dicere, etiam ante diem. Similiter qui habet prædicare, uel aliquid legere in facultate utili ſeculari-bus, poteſt etiam ſimul ante diem omnes complere. qui uero hoc facit cauſa laſciuiæ: vt ſcilicet expeditius ante diem, ut in die vacet liberius ocio, & vanitatibus ſeculi: non poteſt hoc facere ſine peccato ſecundum Thomam in quodam quolibeto.

Legitur in Vitis patrum, quòd quidam pater, quãdo orabat ualde mane, Angelus ſibi portabat vuas non maturas: quãdo vero nimis tarde, tunc portabat putridas: quando vero competenti tempore, tunc portabat maturas valentes.

Sed quare in quadrageſima dicuntur veſperæ ante prandium ferialibus diebus cum miſſa? Reſpondeo ſecundum Archi. de conſecra. diſtin. 1. ſolet enim ieiunium quadrageſimæ magis celebrari ad imitationem Chriſti, & quia Chriſtus ieiunauit quadraginta diebus, & quadraginta noctibus nihil comedens: deberemus nos toto illo illo tempore ieiunare nulla die, uel hora comedentes, ſicut ipſe non comedit, & quia hoc facere non poſſumus propter defectum naturæ ſaltem totadie ieiunando, volumus eum modo, quo poſſumus imitari. & quia inſtante, & vrgente famis neceſsitate, non poſſumus expectare, vt finiatur dies: expectamus ſaltem, quòd horæ diurnales finiantur: horæ ſcilicet, quæ in die ſunt celebrandæ: quarum vltima eſt officium veſpertinum. Completorium enim, quod ſequitur, licet deputetur huic diei, quaſi complens ipſam: non tamen decantur in hac die, ſed poſt finem ipſius; in principio ſequenti diei: quia ſecundum computationem canonicam à Veſpertino tempore incipit ſequens dies. Arch. 75. diſt. quod à patribus. & ideo ſtatutum eſt, quod in quadrageſima veſperæ poſt miſſam conuentualem ſtatim celebrentur ſine interuallo, quod nõ fit in alijs ieiunijs, quæ non cum tanta diſtrictione ſeruantur. Her. Arch.

Aurea Roſa Romani Pontificis quid ſignificet.

IN dominica quarta quadrageſimæ Romanus Põtifex celebraturus ad eccleſiam pergens; & rediens eandem auream roſam in manu ſub aſpectu populi fert. circa quod duplex inſurgit ratio: una ſcilicet ſecundum literam: ne fidelis populus propter quadrageſimalis obſeruantię aſperitatem ſub continuo labore deficiat: quia Qui caret alterna requie durabile non eſt. ideo in hac mediana Dominica quadrageſimę quoſdam recreationis ſolatium interponitur. vt anxietas temperata leuius, ſufferatur: iuxta illud: Interpone tuis interdum gaudia curis. Roſa in manu Pontificius gaudium Iſraelitici populi deſignat: quando per gratiam Chriſti data eſt illi de babilonica captiuitate licentia redeundi. deinde illam donat nobiliori, & potentiori: qui tunc incuria reperitur, in quo nobilitas, & excellentia illius peculiaris populi domini deſignatur: demum ille cum multo equitatu, & ingenti lætitia cum Roſa circuit: figurans gaudium illius populi in ciuitatem Hieruſalem reuerti. & quæ communionem totius fidelis populi, & eccleſiæ lætitiam, de præmiſſis. triplex eſt autem in hoc flore materia, aurum, uidelicet muſcus, & balſamum.

mum.quia triplex est in Christo substã tia: Deitas, corpus, & anima:sed bal, samo mediante muscus auro coniungi tur. quia anima mediante corpus coniungitur Deitati. diuina enim natura tantę subtilitatis est, vt corpori de limo terræ formato non congrueret uniri,nisi rationabili spiritu mediante.

Christus fuit Ramus viridis.

DOminica in Ramis Palmarũ ante crucem,& in cruce rami virides infiguntur ad notãdum, quòd omnem virtutum virorem in crucifixo habemus.Christus ramus viridis fuit habens in se, & nos ab ipso omnem virorem virtutum. Vnde ipse dicit: Si in viridi hoc faciunt, in arido quid fiet? In summa ergo dum processionem facimus, Christum venientem ad nos susc ipimus cum pueris obuiamus: si innocẽtiam seruamus,oliuas gerimus, si pacis,& misericordię operibus indulgemus. Palmas portamus, si diuitijs, & diabolo victoriam obtinemus.virẽtes flores, & frondes gestamus, si virtutibus exornamur.vestimenta sternimus,carnem mortificantes:ramos carpimus, si sanctorũ vestigia imitamur.

Quare in Die palmarum rami benedicantur.

BEnedicuntur, & distribuũtur rami per sacerdotẽ, licet Christus eos nec benedixisse, nec distribuisse legitur. tamen quia Christus non honorauit eos:sed fuit ab eis honoratus: & ex eo, quòd populus ille iudeorum fecit hoc corporaliter, & temporaliter,sed nos agimus sacramentaliter,& spiritualiter ad effectum,qui in eorum benedictione exprimitur: illi namque ferentes ramos triumphum Christi nondum completum: sed tempore passionis complendum præfigurabãt. vnde non oportuit ramos destribui, vel benedici à Christo. quia nondum figura fuerat impleta.ecclesia vero per tales repræsentat triumphum Christi iam completum.

Quare non petatur benedictio ante passiones.

PAssionem lecturus, benedictionem nõ petit: quia in illa ad scribitur esse sublatus, qui auctor est benedictionis. Vnde non est à quo petatur. legitur quoque sine luminaribus: quia ille morte extinctus nunciatur: qui, secundum Ioannem, lux est mundi.& vt repræsentetur. quia eius discipuli tunc quasi extincti sunt: quibus ipse viuens dixerat: Vos estis lux mundi: non fertur etiam incensum: ad notandum, quòd tunc feruor deuotionis, vel orationis, qui per incensum designatur, significari in apostolis tepuit, vel potius quasi extinctus fuit. legitur etiã sine salutatione: sine Dominus vobiscum: in detestationem salutationis Iudæ: & sine responsione.non enim respondetur Gloria tibi domine: quia in ipsa exprimitur, quòd Christus fuit à suis separatus per mortem corporaliter: & corporaliter qui metu mortis, eo de relicto,fugerunt: & nulla gloria sibi erat. hæc autem Dominica in tribus est priuilegiata: Primo, quia illa die filij Israel intrauerunt in terram promissionis:& Iordanem sicco vestigio transierunt.si enim contingit,quòd eo anno tot dies fuerunt vsque ad Pascha, quot sunt ab hac dominica. Secundo quia hac die veniens dominus de Bethania honore maximo in Hierusalem susceptus est. Tertio quia eadem

dem die dominus à templo ementes, & uendentes eiecit.

Quare in passionibus voce diuersi modo de mutantur.

NOn legitur etiam sub tono euangelij: sed cantus uerborum Christi dulcius moderantur, ad notandum quòd dulcius verba Christi in ipsius ore resonabant, quàm in ore cuiuslibet euangelistę referentes. cuius verba vero impijssimorum iudæorum clamosè: & cum asperitate vocis, ad designádum, quòd ipsi aspere loquebantur. In fine tamen benedictio petitur, incẽsum portatur: & sub euangelij tono legitur, siue cantatur: quia finita est iam narratio passionis: & ex tunc omniá verba sunt euangelistæ narrantis: qui post Christi mortem vsque ad resurrectionem contigerunt.

DIES MAIORIS Hebdomadæ.

Quare ecclesia lugeat tribus diebus passionis.

PRænotandum est, quòd ecclesia luget tribus diebus: quia tot diebus fuit dominus in sepulcro, sicut enim Ionas fuit in ventre ceti tribus diebus, & tribus noctibus: ita fuit filius hominis in medio terræ &c. Quod synecdochiche dictum esse asserit Augustinus. nam pars sextæ feriæ, qua fuit in sepulcro, accipitur pro nocte, & die sextæ feriæ; & nox diei dominicæ similiter pro nocte, & die ipsius die accipitur. Dies vero sabbati integra est scilicet nox cum die suo, ideſt, spacium: videlicet vigintiquatuor horarum: est ergo sensus: Fuit dominus in sepulcro tribus diebus, & tribus noctibus: *ideſt*, tribus temporibus, quorum quidlibet constat ex die, & nocte. *sic enim loqui cõ sueuimus*: qua si aliqnis etiam minima parte alicuius diei fuerit in aliquo loco, dicimus eum ea die ibi fuisse.

Quare Matutinę his tribus diebus in tenebris terminantur.

ECclesia his diebus tenebras colit, & matutinas in tenebris finit. primo quia in luctu, & mærore est, propter domini passionẽ, & propter eius triduanam mortem exequias celebrat triduanas. secundo officium tenebrarum significat, non tam tenebras materiales, quæ fuerunt super faciem terræ, dum pendebat sol iustitiæ in cruce (fuit enim tunc eclipsis miraculosa & non naturalis per tres horas: videlicet, à sexta hora vsque ad nonam *inclusiue*) quàm etiam spirituales, quæ illo triduo in cordibus fidelium extiterunt. Tertio, per hoc, quòd tenebras colit tenebrarum primatus insinuatur, quæ his diebus inceperunt præcedere dies.

Quare campanæ non pulsantur.

IN his vero tribus diebus silent cãpanę: quia tunc siluerunt Apostoli, & prędicatores, & alij, qui p cãpanas intelliguntur. sonus autem campanarum significat sonum prædicationis: de quo dicitur: In omnem terram exiuit sonus eorum: unde à completorio, siue à uespera, qua dominus traditus est, campanarum silentium inchoatur. à vespera autem, qua dominus traditus fuit, quando videlicet Discipuli fugerunt campanis silentium indicitur.

Quare fiunt signa cum tabula.

PRimo ad significandum Christi humilitatem, qui se abscondit, & vsq;

ad

ad mortem,& sepulturam se,humiliauit. ligni quidem vsus humilior æris sono hoc ostendit. & inde ecclesia Orientalis usum adhuc tenet lignorum,& vt populus humilior reddatur. Secundo,per signum tabulæ terrorem accipimus. Tabula ergo percutitur, qa magnus timor Apostolis à Judeis incutiebatur: Tertio per lignum in ligno malleum scilicet in tabula suspensum, intelligimus Christum in lignum plantatum secus decursus aquarum: qui in crucis ligno pependit: & pendens orabat, & prædicabat dicens:Pater ignosce, &c. Quarto per tabulam ipsam lignum fructiferum scilicet Christum:per malleum, quo tabula percutitur: lignum præuaricationis significatur.

Quare principium horarum dimittitur.

PRincipia quoque horarum dimittitur:scilicet: Deus in adiutorium meum intende:&fines,scilicet,Per dominum nostrum, &c. & Benedicamus domino: & alia huiusmodi dimittuntur:quia recessit,& à nobis oblatus est Sacerdos,& pastor bonus. qui est Alpha,& O,idest principium,& finis:qui etiam est summus Sacerdos, & caput nostrum, & traditus impijs, nec est, à quo petamus,quod intendat in adiutorium nostrum:percusso nanque Pastore nostro, discipuli eius dispersi sunt. sic ergo istud officium,quod caret principio,& fine;quasi mortuum, & uiduatum videtur: quia & patres nostri viduati post mortem Christi fuerunt. nec dicitur Gloria patri: quia in Christi passione absconditafuit fortitudo gloriæ ipsius Christi, & in eius morte trinitas visa est extincta: in cuius laude dicitur ille uersus.

Quare candelæ extinguuntur, & tot numero.

COnsequenter candelæ, & lumen extinguuntur: nam hæ tenebræ tribus noctibus celebratæ significant tenebras, quæ tribus horis fuerunt, Christo in cruce pendente:vel ideo tribus noctibus lumen extinguitur: quia uerum lumẽ triduo iacuit in sepulcro. Quindecim candelæ significant duodecim Apostolos,& tres Marias,quæ sequebantur dominum, quę extinguuntur: quoniam tunc omnes laudes Dei tacuerunt: Apostolis tamen fugientibus,ipsæ Mariæ, quia minus timebant circa Christum,quo ad poterant versabantur.

Dictæ candelæ significant etiam Prophetas, & alios patres: qui Christum uenturum lumen nostrum pronunciantes, & verba salutis prædicantes diuersis pœnis uexati mortui sunt, & extincti: Omnes quidem candelæ non simul, sed una post aliam extinguuntur: quia discipuli non simul à Christo,sed successiue unus post aliũ discesserunt.

Candela vltima cur non extinguatur, & occultetur.

CAndela,quæ in medio est, non extinguitur,sed in fenestra,vel arca occultatur,& accensa seruatur:significat lumen fidei, quæ in sola Virgine remansit, dum crucifixus est Christus. Sunt qui dicunt candelam illam parũper occultari,& statim postea ostendi accensam,quia Virgo paruo temporis interuallo, & in momento dubitasse, statimque deinde redijt ad fidem de Christo.

Hæc candela multa alia significat, sed præsertim Christum, qui licet secundum carnem videretur extinctus: tamen secundum diuinitatem, quæ illis erat occulta, viuebat: & postea resurgens cum luce clarissima se suis discipulis manifestauit. Alia significata, breuitatis causa, omittemus.

Quid significat clamor, & percussio post Benedictus, & orationem.

VOciferatio post Benedictus, & tumultus popularis: qui tunc fit: concrepatio est Iudæ proditoris, & tumultus cohortis, quam cum gladijs, & fustibus Iudas contra Christum adduxit: vel cæci discipuli salutatio dicentis: Aue rabi. Canticum ipsum alta voce dicitur, ad notandum, quòd multi, interfecto Antichristo, gaudebunt.

Quid significat denudatio altarium.

NOtandum est, quòd statim, finito vespertino officio, denudantur altaria vsque ad sabbatum: quæ post modum in tertia die cooperiuntur: si quidem hæc denudatio significat primo recessum discipulorum domini, seu apostolorum: unde qui iuxta me erant de longe steterunt. & in Euangelio: relicto eo fugerunt. Altare nanque Christũ, seu corpus eius significat: vnde: De terra altare facietis mihi. altare de terra facere: est incarnationem eius credere, uel sperare. Altaris vero vestimenta apostolos, seu sanctos Dei designant. quorum prædicatione Christus quasi quibusdam vestimẽtis adornatur, & per illos magnificatum est nomen eius. Altare igitur vestimentis denudatur: quia, fugientibus Apostolis, Christus solus remansit. Tertia die cooperitur, quia post eius resurrectionem discipuli ad eum redierunt. Secũdo denudatio altaris designat; quòd Christus fuit nudatus in cruce.

Denudatio crucis quid significat.

CRux denudatur in signum, quòd peruersi Iudei Saluatorem denudauerunt: & fit denudatio *inter tres vices*, ad notandum, quòd *illi ter Christo* in passione illuserunt. primo, quando in atrio Principis, velata facie eius, colaphis eum cedebant. ad quod designandum principio reuelationis ipsius crucis non ostenditur facies crucifixi. Secundo ante prætorium, quando, eo trãdito ad crucifigendum, milites plectentes coronam spineam illudebant ei, flexis genibus, adorando eum dicentes: Aue Rex iudeorum. ad quod repræsentandum in secunda reuelatione, discooperitur caput, & facies crucifixi. & scias, quia corona fuit de iuncis marinis, sicut eam videre licet in thesauris Regis francorum, quorum acies non minus spinis duræ sunt & acutę. Tertio, quando ei in cruce pendenti transeuntes dicebant: Vah qui destruis templum Dei: & quia quando hæc illusio fiebat, Christus totus nudatus in cruce pendebat, ideo in tertia reuelatione, totus nudus ostenditur crucifixus: & etiam ad significandum, quòd omnia, quæ in lege, & prophetis obscura fuerãt, in passione aperta, & manifestata sunt. Reuelatur ergo crux post orationes: ad notandũ, quòd oratio à Christi passione, quam in cruce sustinuit, habet effectum, & exemplar. ipse enim in cruce pendens pro amicis, & inimicis orauit.

Profundum Crucis misterium exponitur.

FVerunt autem in dominica cruce ligna quatuor, scilicet stipes, sine

lignum

lignum ereptum, lignum transuersum, truncus suppositus, & titulus superscriptus. fuerunt & claui quatuor quibus & manus & pedes confixi sunt. fuit & lancea, qua latus apertum est, & corona spinea capiti circumposita, quæ omnia possunt in spirituali cruce significari. quatuor enim crucis ligna, sunt quatuor mentis virtutes, scilicet, fides, spes, perseuerantia, patiẽtia, de quibus ait Aposto. ut comprehendatis cum omnibus sanctis, quæ sit longitudo, & latitudo, sublimitas & profundum. longitudo crucis est perseuerantia, de qua dominus inquit: Qui perseuerauerit vsque in finem hic saluus erit. latitudo crucis est patientia: de qua veritas ait: In patiẽtia vestra possidebitis animas vestras. profunditas eius est fides, de qua apostolus ait: Fides est substantia sperandarum rerum, argumentum non apparẽtium. sublimitas vero est spes, de qua apostolus: In verbo tuo supersperaui. habuit ergo crux Christi vnũ lignum erectum in longitudinem, alterum transuersum in latitudinem, quasi in modum potentiæ, seu martelli: quæ duo significata sunt per illa duo ligna quæ paupercula mulier in Sarepta collegi t. Stipes vero erectus habuit truncum suppositum in titulum superscriptum: quia perseuerantia de fide procedit ad spem, quasi stipes erectus de trunco supposito ad titulum superscriptu m. quod beatus Iob intelligens ait: Credo quod redemptor meus viuit & in nouissimo die &c. reposita est hæc spes mea in sinu meo, nisi enim crux habeat fundamentum fidei, & titulũ spei, profecto supplicium solummodo & nõ meritum. quod autem patia spectet ad crucem; ex eo apparet quod patienter in aduersis tribulationibus sustinet cruciatum. vnde Iacobus: tribulatio patientiam operatur. de perseuerantia quoque legitur: esto fidelis vsque ad mortem & dabo tibi coronam vitæ, in his ergo duobus lignis duos pedes & duas manus quatuor clauis debet affigere christianus, quatuor claui sunt quatuor principales virtutes scilicet iustitia, fortitudo, temperantia, & prudentia, pedes sunt mentis effectus: de quibus spiritus sanctus in cãticis: Laui pedes meos, quomodo inquinabo illos: duo ergo pedes sunt: duo mentis effectus: scilicet, timor & amor: pes timoris clauo fortitudinis debet configine timidus propter aduersa succumbant: vnde psal. Confige timore tuo. c. m. a. in. eo. tit. timui. dum enim in Petro metus clauo fortitudinis affixus non restitit ad vocem ancillæ Christum negauit: cum uero confisus extitit ante reges & præsedes nomen domini prædicauit. p amoris siue appetitus clauo iustitiæ debet configi ne cupidus ad illicita desideria euagetur. Sic itaque christianus pedes suos cruci debet affigere, ne vel timidus succumbat: vel cupidus euagetur.

DE PASCHATE.

Quare cereus paschalis à Diacono benedicitur.

CEreus paschalis benedicitur propter gloriam resurrectionis Christi, quem & pater benedicit. & quia per ipsum ipse Christus visibiliter ad memoriam reducitur. benedicitur quidem etiam, præsente episcopo, uel Sacerdote à

Diacono, qui est minoris ordinis: quia Christus resurgens à mortuis primum Mariæ magdalenæ se manifestans uoluit per debiliorem sexum gloriã suæ resurrectionis apostolis nunciari: vt sicut nostræ mortis initium per mulierem in mundum intrauit; ita & per reparationis initium per mulierem in mundo nunciaretur. adhuc Diaconus benedicens cereum significat euangelij prædicatorem, qui Christum pro nobis passionis violentia corporaliter extinctum debet laudum benedictionibus prædicando resurrectionis luminosa gratia reddere illustratum: qui dalmatica induitur. quoniam debet esse cælesti cõuersatione adornatus, quam Dalmatica ipsa designat.

Cereus paschalis quid significet.

CEreus super columnam illuminatus significat primo columnam ignis, quæ præcedebat in nocte populum Israel; extinctus vero significat columnam nubis, quæ præcedebat in die. prima quidem de nocte illuminans, & secunda in die refrigerans, in qua spiritus sanctus significabatur. Tenuit quidem in nobis columna nubis figuram humanitatis, columna ignis figuram diuinitatis: Recte autem cereus columnam significat. item super columnam significat Christum, qui nos in huius anundi nocte illuminat: & in die à vitiorum incentiuo refrigerat, ut præmissum est. Recte quidem cereus Christum significat propter tria, quæ in eo sunt. lichnium nanque animam, cera corpus, & lumẽ diuinitatem significat. Cereus renouatus, & illuminatus post benedictionem, significat doctrinam Christi, qui ait: Mandatum nouum do vobis, uel gratiam nouam, qua nox dominica singulariter illustrata est: videlicet, Christi resurrectionem, qui resurgens à mortuis apparuit in carne gloriosus, & splendore diuinitatis illuminatus. huius enim cerei ceram apes mater sine concubitu eduxit: & Christi carnem virgo Maria concepit; & peperit, & in carne Deum, quasi mel in cera perferens inuiolata permansit: & cereus iste ardebit, sicut in missali: videlicet à mane sabbati sancti vsque paschatis mane, & ad omnes horas diei, & per totam octauam in officio diei, in dominicis diebus vtriusque vesperis & missa diei, & die Ascensionis domini per omnes horas, & ad missam vsque in finem euangelij, quo finito, deponit.

Quinque grana thuris in cereo quid significant.

GRana thuris designant aromata, quæ mulieres emerunt, vt vngerent crucifixum: emerunt enim ad literam aromata vespere sabbati, quia sabbato siluerunt propter festum sabbati: & ostendit ecclesia se illam deuotionem habere in aromatibus virtutum. Vel quinque grana significant quinq; plagas in cruce receptas: post hoc aliquantulum inferius fit cerei illuminatio, quia post passionem secuta est resurrectionis gloria: & lucet cathecumenis ante baptismum, & post vsque ad octauas, ad notandum, quòd Christus lucet ecclesiæ usq; ad diem iudicij.

Quare non dicantur hymni in Paschate.

HYmnus non dicitur, quia in resurrectione non cantabimus hymnos huiusmodi. scilicet in plateis Hierusalem, sed cantabimus alleluia. ut habetur. c. penul. Thob. scilicet loco hymni cantatur alleluia propter spem,

quam

quam habemus de glorioſa reſurrectione.

Quare hac hebdomada ad matutinum dicantur tantum tres pſalmi.

HAC etiam die,& per hebdomadam cantantur tres Pſalmi cum ·ribus antiphonis. obſeruatur autem ideo iſte ternarius numerus primo quia parcitur hominibus propter præcedens ieiunium à tritis Secundo ne neophiti multitudine onerẽtur,ut præmiſſum eſt. Tertio, propter triduanam ſepulturam. Quarto ad notandum, quòd tria, quæ dominus ſecundum Lucam promiſit in hoc ſeculo perficere, ſcilicet dæmones eijcere,ſanitatem perficere, & tertia die conſumari in reſurrectione conſumata ſunt. Primum operatus eſt dominus cum fecit, ut, relicta creatura, rediremus ad Creatorem. Secundum cum perfidem nos ſibi quanquam membra capiti vniuit: ut de eius ſpiritu uiueremus. Tertium cum hoc confirmauit nos ne laboremus, uel conſumatio eſt noſtra reſurrectio.hæc etiã in noſtra conuerſione apparent.eiiciuntur enim à nobis demones per exorciſmos, ſanamur per cathechiſmum, & conſumamur per baptiſmum, & confirmationem.

Paſcha quid ſignificet, & unde dicatur.

PAſcha græcum nomen eſt quod hebraicè dicitur phaſe: quod latinè tranſitus interpretatur ſecundum Bedam.non ergo dicitur paſcha à paſſione ex eo: quia paſsim grecè, dicitur pati latinè: ſed dicitur à tranſitu:& hoc primo ſecundum hiſtoriã ex eo quod exterminator Angelus videns ſanguinem in foribus Iſraelitarum per tranſiit,nec eos percuſsit: tunc etiam populus ex Aegipto tranſiuit,ideſt,exiuit: tertiaque die mare rubrum pertranſiuit. ¶

Quare paſcha potius græca, quàm hebraica lingua nominetur.

NOminamus autem paſcha græco, & non hebraico vocabulo, licet lingua hebraica dignior ſit, tanquam mater: Primo, ne in hoc videamur iudaizare.ſecundo, ne in hoc imitemur quoſdam hæreticos, dicentes euangelium ſine ceremonialibus non ſufficere ad ſalutem.

In die paſchæ nihil commedere debemus, niſi ſit prius à ſacerdote benedictum.

IN hac ſancta die nihil,quod à ſacerdote non ſit benedictum,comedere debemus,quia inimicus noſter tunc ſatagit ſupplantare. vnde in quibuſdam locis quæcunque comedi debent, ad eccleſiam portantur:& in atrio uel ueſtibulo eccleſiæ cum cruce,& aqua benedicta,&in ueſtibus ſacris à ſacerdote benedicuntur. hinc eſt,quod agnus à ſacerdote benedicitur, ad repræſentandum,quòd Deus per Moyſen,& populum agnum comedi iuſsit in figurã Ieſu Chriſti,cuius ſanguine omnia primogenita ſibi de mundo redemit, & Angelo in nocte illa omnia primogenita in Aegipto percutiente,populum ſuum ſeruauit agni ſanguine prænotatum. Agnus autem ſecundum romanum ordinem non altare, ſed menſam benedicitur:in quibuſdam etiam locis benedicitur lac, & mel in memoriam eius,quod dominus inquit patribus noſtris Abraham,Iſaac & Iacob:Introducam

Diacono, qui est minoris ordinis: quia Christus resurgens à mortuis primum Mariæ magdalenæ se manifestans uoluit per debiliorem sexum gloriá suæ resurrectionis apostolis nunciari: vt sicut nostræ mortis initium per mulierem in mundum intrauit; ita & per reparationis initium per mulierem in mundo nunciaretur. adhuc Diaconus benedicens cereum significat euangelij prædicatorem, qui Christum pro nobis passionis violentia corporaliter extinctum debet laudum benedictionibus prædicando resurrectionis lumino sa gratia reddere illustratum: qui dalmatica induitur. quoniam debet esse cælesti cõuersatione adornatus, quam Dalmatica ipsa designat.

Cereus paschalis quid significet.

CEreus super columnam illuminatus significat primo columnam ignis, quæ præcedebat in nocte populum Israel; extinctus vero significat columnam nubis, quæ præcedebat in die. prima quidem de nocte illuminans, & secunda in die refrigerans, in qua spiritus sanctus significabatur. Tenuit quidem in nobis columna nubis figuram humanitatis, columna ignis figuram diuinitatis: Recte autem cereus columnam significat. item super columnam significat Christum, qui nos in huius mundi nocte illuminat: & in die à vitiorum incentiuo refrigerat, ut præmissum est. Recte quidem cereus Christum significat propter tria, quæ in eo sunt. lichnium nanque animam, cera corpus, & lumẽ diuinitatem significat. Cereus renouatus, & illuminatus post benedictionem, significat doctrinam Christi, qui ait: Mandatum nouum do vobis, uel gratiam nouam, qua nox dominica singulariter illustrata est: videlicet, Christi resurrectionem, qui resurgens à mortuis apparuit in carne glorioſus, & splendore diuinitatis illuminatus. huius enim cerei ceram apes mater sine concubitu eduxit: & Christi carnem virgo Maria concepit; & peperit, & in carne Deum, quasi mel in cera perferens inuiolata permansit: & cereus iste ardebit, sicut in missali: videlicet à mane sabbati sancti vsque paschatis mane, & ad omnes horas diei, & per totam octauam in officio diei, in dominicis diebus vtriusque vesperis & missa diei, & die Ascensionis domini per omnes horas, & ad missam vsque in finem euangelij, quo finito, deponit.

Quinque grana thuris in cereo quid significant.

GRana thuris designant aromata, quæ mulieres emerunt, vt vngerent crucifixum: emerunt enim ad literam aromata vespere sabbati, quia sabbato siluerunt propter festum sabbati: & ostendit ecclesia se illam deuotionem habere in aromatibus virtutum. Vel quinque grana significant quinq; plagas in cruce receptas: post hoc aliquantulum inferius fit cerei illuminatio, quia post passionem secuta est resurrectionis gloria: & lucet cathecumenis ante baptismum, & post vsque ad octauas, ad notandum, quòd Christus lucet ecclesiæ usq; ad diem iudicij.

Quare non dicantur hymni in Paschate.

HYmnus non dicitur, quia in resurrectione non cantabimus hymnos huiusmodi. scilicet in plateis Hierusalem, sed cantabimus alleluia. ut habetur. c. penul. Thob. scilicet loco hymni cantatur alleluia propter spem,

quam

quam habemus de glorioſa reſurrectione.

Quare hac hebdomada ad matutinum dicantur tantum tres pſalmi.

HAC etiam die, & per hebdomadam cantantur tres Pſalmi cum ·ribus antiphonis. obſeruatur autem ideo iſte ternarius numerus primo quia parcitur hominibus propter præcedens ieiunium à tritis Secundo ne neophiti multitudine onerẽtur, ut præmiſſum eſt. Tertio, propter triduanam ſepulturam. Quarto ad notandum, quòd tria, quæ dominus ſecundum Lucam promiſit in hoc ſeculo perficere, ſcilicet dæmones eijcere, ſanitatem perficere, & tertia die conſumari in reſurrectione conſumata ſunt. Primum operatus eſt dominus cum fecit, ut, relicta creatura, rediremus ad Creatorem. Secundum cum perfidem nos ſibi quanquam membra capiti vniuit: ut de eius ſpiritu uiueremus. Tertium cum hoc confirmauit nos ne laboremus, uel conſumatio eſt noſtra reſurrectio. hæc etiã in noſtra conuerſione apparent. eiiciuntur enim à nobis demones per exorciſmos, ſanamur per cathechiſmum, & conſumamur per baptiſmum, & confirmationem.

Paſcha quid ſignificet, & unde dicatur.

PAſcha græcum nomen eſt quod hebraicè dicitur phaſe: quod latinè tranſitus interpretatur ſecundum Bedam. non ergo dicitur paſcha à paſſione ex eo: quia paſsim grecè, dicitur pati latinè: ſed dicitur à tranſitu: & hoc primo ſecundum hiſtoriã ex eo quod exterminator Angelus videns ſanguinem in foribus Iſraelitarum per tranſiit, nec eos percuſsit: tunc etiam populus ex Aegipto tranſiuit, ideſt, exiuit: tertiaque die mare rubrum pertranſiuit.

Quare paſcha potius græca, quàm hebraica lingua nominetur.

NOminamus autem paſchã græco, & non hebraico vocabulo, licet lingua hebraica dignior ſit, tanquam mater: Primo, ne in hoc videamur iudaizare. ſecundo, ne in hoc imitemur quoſdam hæreticos, dicentes euangelium ſine ceremonialibus non ſufficere ad ſalutem.

In die paſchæ nihil commedere debemus, niſi ſit prius à ſacerdote benedictum.

IN hac ſancta die nihil, quod à ſacerdote non ſit benedictum, comedere debemus, quia inimicus noſter tunc ſatagit ſupplantare. vnde in quibuſdam locis quæcunque comedi debent, ad eccleſiam portantur: & in atrio uel ueſtibulo eccleſiæ cum cruce, & aqua benedicta, & in ueſtibus ſacris à ſacerdote benedicuntur. hinc eſt, quod agnus à ſacerdote benedicitur, ad repræſentandum, quòd Deus per Moyſen, & populum agnum comedi iuſsit in figurã Ieſu Chriſti, cuius ſanguine omnia primogenita ſibi de mundo redemit, & Angelo in nocte illa omnia primogenita in Aegipto percutiente, populum ſuum ſeruauit agni ſanguine prænotatum. Agnus autem ſecundum romanum ordinem non altare, ſed menſam benedicitur: in quibuſdam etiam locis benedicitur lac, & mel in memoriam eius, quod dominus inquit patribus noſtris Abraham, Iſaac & Iacob: Introducam

nam uos in terram fluẽtem lac,& mel. nullus debet etiam vnquam aliquid comedere, nisi prius saltem signo crucis facto, unde legitur in dialogo Gregorii Papæ, libro primo, cap. 4. quod quædam monialis cum iret per hortũ, lactucam sine benedictione comedit: & simul dæmonem, qui supra ea erat, suscepit, qui eam multum uexauit.

DE ROGATIONIBVS
Ante die festum Ascensionis Domini.

IN tribus diebus ante festum Ascensionis Domini fiunt rogationes, quæ dicuntur letaniæ. letania autem græcè, apud nos supplicatio, seu rogatio est. in qua ecclesia S. Deum rogat: vt qui destruxit consilium Architofelis, destruat consilium eorum, qui volunt viuere super pacem eius: tunc etiam supplicamus Deo, vt nos à morte subitanea, & ab omni infirmitate defendat. Rogamus vero sanctos, vt pro nobis apud Deum intercedant. ideo letania nominatur lingua greca.

Maiorum letania à quo instituta fuit.

EST autem duplex letania, scilicet maior, & minor, maior est in festo sancti Marci, quæ inuenta fuit à beato Gregorio propter pestem inguinariam, siue in flaturam inguinum. Cuius institutionis causas Paulus montis Cassini, monachus Longobardorũ Historiographus ita describit dicens: quòd tempore Pelagij Papæ tanta fuit inundatio aquarum per Italiam, quod aquæ ascenderunt vsque ad superiorem fenestram templi Neronis, quod erat Romæ: nec aquæ intrabant templum. tunc per Tiberim efluxit multitudo serpentium, inter quos fuit maximus draco: ex quorum flatibus aer est corruptus: & inde emersit pestis inguinaria, qua homines passim, & subito moriebantur. & cum penè totus populus Romanus deleretur; Pelagius Papa omnibus ieiunium, & processionem indixit: sed in ipsa processione ipse cũ septuaginta alijs expirauit: Cui substitutus est Gregorius primus, qui & magnus dictus est. & Letaniam vbique terrarum seruari precepit.

Letania ideoque hæc dicitur Gregoriana, vel Romana. Vocatur etiam cruces nigræ: quoniam insignum pœnitentiæ, homines nigris vestibus induebantur, & cruces, & altaria velabãtur: fuit quædam tam sæcca hæc pestis, vt ubiq; homines subito perimeret: itaq; sicut dicitur, cum aliqui sternutabant sæpe spiritum emittebant. unde cum aliquis sternutabat audiens statim occurens dicebat: Deus te adiuuet. Rursus autem fertur, cum tũc aliquis oscitabat, frequenter subito spiritum emittebat. unde cum aliquis se uelle oscitare sentiebat, continuo signum crucis sibi imprimere festinabat. quæ consuetudo similiter usque hodie obseruatur.

De minori letania.

MInor vero letania, quæ etiam rogationes, & processiones vocantur: fit tribus diebus ante Ascensionem: quæ sicut legitur in Bucardo. lib. 13. c. exigentibus, inuenta est apud Viennam a Beato Mamerso episcopo Vianen. qui propter pestem luporum, & aliarum ferarum in gallijs acriter homines perimentium: & propter periculosos terræ motus illic crebro contingentes, indixit populis ieiunium tri-

dua-

duanum,& letanias instituit: Cessante vero illa persecutione, ieiunium illud in consuetudinem annuæ obseruationis deuenit.& sicut quidam referunt, fuit per ecclesiam cõfirmatum, vt uniuersaliter obseruetur: dicitur autem letania minor, quia à minori scilicet à simplici episcopo, & in minori loco scilicet in Vienna inuenta est.illa vero dicitur maior, quia in maiori loco scilicet Romæ, & à maiori scilicet à magno Gregorio, & pro magno, & grauissimo morbo inuenta est.

Quare in processione portentur vexilla.

IN processione portantur vexilla ad repræsentãdam victoriam Resurrectionis, & Ascensionis Christi, qui cum magna preda cælos ascendit: vnde uexillum per aerem incedens est, Christus in cœlum ascendens: & sicut uexillum in processione ipsa multitudo fidelium sequitur; sic & Christum ascendentem magna sanctorum collectio cõcomitatur:portãtur etiam uexilla ad imitationem eius, quod dicitur in Esaia.c.2. Et leuabit dominus signum in nationes: & cõgregabit profugos Israel, & dispersos Iuda colliget à quatuor plagis terræ: quòd uero cruces,& uexilla portantur, à Constantino sumpsit ecclesia, qui cũ in somnis crucis signum uidisset, eique dictum: Vinces in hoc signo: iussit crucem in uexillis bellicis insigniri.quod in letanijs crux maior à crucis baiulo de altari sumitur.recolit,quòd de Christi humeris tulit eam Simon Cireneus.

Processiones debent cantari à pueris.

IN letanijs debet cantari in principio: Exurge domine, adiuua nos, & redime nos propter nomen tuum. Frequentandum esset etiam à pueris, & dicendum illud canticum Euangelicum: Sanctus Deus, sanctus fortis, sanctus & mortalis:miserere nobis. nam Ioannes Damascenus refert in libro quarto,quòd apud. Constantinopolim cum propter quandam tribulationem fierent letaniæ, quidam puer à medio populi raptus est in cœlum: & hoc canticum ibidem edoctus, demum ad populum rediens illud in conspectu omnis populi de cantauit, & mox omnis tribulatio cessauit. quod canticum Calcidonensis sinodus approbauit.

Sex priuilegia sextæ feriæ veneris sanctæ.

HAec sexta feria,& ab ista,omnes aliæ sextę ferię priuilegiatæ sunt propter Christi passionem: sicut & à sequenti dominica, omnes aliæ dominicæ propter eius resurrectionem.sunt autem huiusmodi sextæ feriæ sex priuilegia: scilicet Christi immolatio,inferni spoliatio,mortis conculcatio,humani generis redemptio,paradisi apertio, & Scripturarum manifestatio.in Parasceue vno solo cibo vescimur, quia Christus ea die vnum scilicet latronẽ sibi in corporauit dicẽs:Hodie mecum eris in paradiso. vnde ipse dixit:Singulariter sum ego,donec transeam.

Deo semel dicatum ad vsum humanum redire non debet.

SEmel Deo dicatum,sancto sanctorum erit domino. vnde ad vsus profanos redire nõ debet. de.re.pręm mancip. de relig. do. ad hoc. & in regula semel Deo. cum sim.

DE

DE SVFFRAGIIS

Suffragia facta pro mortuis quid prosunt.

NOta, quòd suffragia, quæ fiũt in ecclesijs pro defunctis valde bonis: actiones sunt gratiarum. illæ enim animę, quæ sunt perfectè bonæ, statim cum egrediuntur à corporibus, euolant ad cœlos: nec subsidijs nostris egent: extra de celeb. missl. cum Marthæ. ad fin. 13.q 2: tempus. pro valde malis fiunt qualescunque consolationes viuorum. eis enim subsidia nostra non prosunt. quoniam animæ illorum statim descendũt in infernum. pro mediocriter bonis, qui scilicet sunt in purgatorio, sunt expiationes. pro mediocriter malis, qui sunt scilicet in inferno, sunt propitiationes, siue pœnarum mitigationes. nam secundum Aug. quibus prosunt: aut prosunt, ut sit plena remissio: aut certe, ut tolerabilior sit damnatio. 14. q. 2. tempus in fin. quidam pro eodem sumunt mediocriter bonos: & mediocriter malos, quos vocant non valde bonos, qui, videlicet intrant purgatorium, qui viuentes iniunctam pœnitentiam non perfecerunt, quibus prosunt eleemosinæ, orationes, ieunia, sacrificia, quæ pro eis fiunt: nam, ut dicunt, eis, qui sunt in inferno, nihil prosunt.

An defuncti sciant suffragia, quæ pro eis fiunt.

DEfuncti sciunt suffragia, quæ pro eis fiunt tribus modis secundum Aug. 13. q. 2. fatendum. primo. per diuinam reuelationẽ: quãdo scilicet Deus eis reuelat. Secundo per bonorum angelorum manifestationẽ: Angeli enim; qui hic semper nobiscum sunt, & omnes actus nostros considerant, quasi in instanti potest ad eos descendere: & eis protinus nunciare. Tertio per animarum hinc exeuntium intimationem. Quarto, per experientiam: cum videlicet: se à pœnis sentiunt se releuari. Sciendum autem, quòd defuncti valde mali nescium, quid à viuis agitur, nisi quatenus eis scire permittitur. Similiter nec mediocriter boni adhuc in igne purgatorij constituti, qui non Dei visione fruuntur nisi quatenus per aliquẽ de præmissis modis permittitur eis scire. sed valde boni, qui iam ea fruuntur, bene sciunt quid hic agitur. iuxta illud Grego. quid est quod non videant qui videntem, omnia vident?

Thus in missis defunctorum quare non exhibeatur.

ADhuc licet in missa pro viuis fiãt omnes thurificationes ad significandum, quòd illorum orationes ad cęlestia diriguntur: in missa tamen pro defunctis non debet thus per chorum portari, nec offerri, ideſt, altare thurificari: sed circa corpus tantum, quia hoc in lege prohibitum fuit, ut iam præmissum est. nullus ergo in hoc officio thurificatur: ad notandum, quòd mortui nihil à modo valent orationibus suis promereri: unde psalmus: Non mortui laudabunt te domine. ipsa autem defunctorum corpora thurificantur, & aqua benedicta asperguntur: non ut eorum peccata tollantur: quæ tunc per talia tolli nequeunt: sed ut omnis in in mundorum spirituum prȩsentia arceatur. & fiunt etiam in signum societatis, & communionis sacramentorum, quam nobiscum, diem vixerunt habuerunt.

Sacerdos celebrans, vt eius inimicus mortem incurrat deponatur.

IN Concilio Toletano. 26.q.5.quicunque. ſtatutum eſt, quòd ſacerdos miſſam defunctorum celebrans, vt eius inimicus mortem incurrat, deponatur: & tam ipſe, quàm eum incitans exilio perpetuo puniatur.

Qualiter corpus ſit ſepeliendum.

QVando homo videtur agere in extremis, debet deponi ad terram ſuper cineres, uel ad minus ſuper paleas: per quod innuitur, quòd cinis eſt, & in cinerem reuertetur: & fit hoc exemplo beati Martini, qui, ut ſe alijs daret exemplum, in cinere iacens, vitã finiuit: & ſi moriens literatus ſit, legi debet paſsio domini, uel ſaltem pars illius ante eum, ut ſic ad maiorem compunctionem moueatur: & debet eſſe crux erecta ad pedes, ut moriens eam cernens, magis conteratur, & conuertatur: debet etiam ſupinus iacere, ut ſemper erecta facie aſpiciat cœlum: exemplo beati Martini: & priuſquam expiret eius anima, domino commendent.

Lauare cadauer quid ſignificet.

POſtquam vero, expirauerit, campanæ debent pulſari: deinde corpus, niſi viuens nouiter. inunctus fuerit, debet lauari ad ſignificandum, quòd ſic anima per confeſsionem, & contritionem mundata ſit, vtrunq; ſcilicet anima, & corpus æterna clarificatione, & claritatem in die iudicij conſequetur: quodque illi ſecundum Iob in domino moriuntur, & beati ſunt, qui nullam ſecum portant maculam: ſed in hoc mundo per pœnitentiam derelinquunt.

In exequijs defunctorum quare thus cremetur.

THus vero ibi ponitur propter fętorem corporis remouendum: ſeu, ut defunctus creatori ſuo acceptabilem bonorum odorem intelligatur obtuliſſe: ſeu ad oſtendendum, quòd defunctis proſit auxilium orationis: Carbones in teſtimonium, quòd terra illa ad communes vſus amplius redigi non poteſt: plus enim durat carbo ſub terra, quàm aliud, uel hædera quoque, vel laurus, & huiuſmodi, alia, quæ ſemper ſeruant virorem inſargophago, corpori ſubſternuntur: ad ſignificandum, quòd qui moriuntur in Chriſto: viuere non deſinent: nam licet mundo moriantur, ſecundum corpus: tamen ſecundum animã viuũt: & reuiuiſcunt Deo.

Quo habitu quiſque ſepeliri debeat.

DEbent quoque fideles chriſtiani ſepeliri induti ſudarijs: prout prouinciales obſeruant: quod ſumunt ex euangelio, in quo legitur de ſudario, & ſindone Chriſti: quidam vero cilicio induuntur: ut hac veſte ſignum pœnitentiæ repræſentent. nam cinis, & cilicium arma ſunt pœnitentium, nec debent indui veſtibus communibus, prout in Italia fit, & ut quidam dicunt, debent habere caligas circa tibias: & ſubtulares in pedibus. ut per hoc ipſos eſſe paratos ad iudicium repræſentetur. Clerici uero ſi ſunt ordinati illis inſtrumentis induti ſunt, quæ requirunt ordines, quos habent. ſi vero non habent ordines ſacros, more laicorum ſepeliantur. veruntamen licet in alijs ordinibus propter paupertatem hoc ſæpius omittatur: in ſacerdote tamen, & epiſcopo nullo modo prætermittendum eſt.

An Christus post resurrectionem fuerit vestitus aliquibus vestibus.

CIrca hoc autem considerandum est, vtrũ Christus vestitus fuerit, Post resurrectionem, & vtrum cælum vestitus ascenderit: & vtrum duobus Discipulis euntibus in Emaus, & ceteris mulieribus, & Discipulis vestitus apparuit. Siquidem Angeli leguntur vestiti apparuisse iuxta illud. Io. Vidit Angelos sedentes in albis, & alibi: Ecce duo viri astiterunt iuxta illos in vestibus albis, qui & dixerunt: Hic Iesus, qui assumptus est à vobis in cælum, sic veniet quemadmodum vidistis eum eumtem in cælum. Nempe Christus vestitus ascendit in cælum iuxta illud: Quis est iste qui venit de Edon tinctis vestibus de Bosra? item Angeli dixerunt: Quare rubrum est indumentũ tuum?

An homines post iudicium nudi erunt.

QVæritur etiam, vtrum homines, erunt nudi post diem iudicij: an vestiti, & videtur, quòd vestiti. Nã semper Angeli apparere solent uestiti: & Christus etiam post resurrectionem cum ueste apparuit: & in transfiguratione vestitus fuit. Vnde & apparebant vestimenta eius alba, sicut nix. econtra videtur, quòd nudi erunt: quia habet auctoritas, quòd in eadẽ forma erimus, in qua fuit Adam prius quam peccaret, & etiam in meliori: sed tunc fuit nudus: ergo similiter nudi erimus.

Solutio: Nihil diffinimus de ueste, sed hoc solum dicimus, quòd ibi non erit deformitas, nec ulla aduersitas, vel infirmitas, & erimus vestiti, & ornati vestimentis virtutum.

Vtrum defuncti loqui possint.

HIC etiam quæri potest, vtrum voces mortuorum loquantur: & videtur, quòd sic: iuxta illud *Prophetæ*. Exultationes Dei in gutture corũ. Hormisda Papa. 1. distin. siquis diaconus: dicit, quòd illi, quibus cum falsa misericordia *indulserimus*, ante tribunal Christi *contra nos* facient quæstionem, & August. 13. q. 2. fatendum dicit quòd defuncti, qui nesciunt quæ hic fiunt, dum hic aguntur, postea audiũt ab his, qui moriẽdo hinc recedunt. sed Apostolus contradicere videtur dicens: Quòd tunc linguæ cessãbunt, & Psalmus: Non mortui laudabunt te domine, & nota secundum Augustinũ, quod tempus, quod inter *hominis mor*tem, & vltimam resurrectionem interpositum est, animas abditis, ideſt nobis occultis receptaculis continet.

Quid significet statio, & unde dicta sit.

SEquitur de stationibus videre. Statio autem secundum Isidorum est obseruatio statutorum dierum, uel tẽporum: dierum, vt quartæ, & sextæ feriæ ieiunium ex veteri lege præceptũ: de qua statione in euanglio: Ieiuno bis in sabbato, ideſt, in quarta, & sexta sabbati. Temporum scilicet, quæ legalibus, & propheticis institutionibus determinatis temporibus statuti sunt: ut ieiunium mensis quarti: quinti: septimi: & decimi: uel sicut in euangelio dicitur, dies illi, in quibus oblatus est sponsus.

Statio

Statio quoque uocatur processio facta ad aliquam ecclesiam ad exsoluẽdas ibi gratias Deo: & dicitur Statio, quia tunc stantes orare:& Deo gratias persoluere: non flexis genibus debemus tunc:nec ieiunamus tũc:nec in eis supplicationis uoces fiunt: quæ omnia cum vestibus humilitatis in letanijs fiunt, videntur autem stationes à uetere lege initium habuisse: quoniam tunc populus Iudeorum, & etiam multi gentiles conueniebant in magnis solemnitatibus,scilicet in Pascha,& Penthe. ut ibi orarent in templo, & Deo gratias persoluerent, & offerrent: Aliæ stationes à Romanis habuerunt initium: qui eas maxime frequentant: qui cum intercessionibus sanctorum,quorum suffragia implorabant pericula euasissent cum processione veniebant ad ecclesiam illius sancti,cuius patrocinio fuerant liberati,laudes Deo cum gratiarum actionibus per soluentes. Isidorus dicit in sexto. ethimol. quòd statio ex militari exemplo nomen accepit:pro eo,quod nulla lætitia castris obueniente, stationem contristatio militum rescindit. Nempe beatus Gregorius,qui stationes in urbe ordinauit. 20. homil. Euangelij diuerso tempore in illis dicendas declarauit. alias uero stomaco lacessente, alijs pronunciandа commisit.

FINIS.

QVARTA PARS.

SACERDOTALIS,

PRO OMNIBVS CHRISTI FIDELIBVS

In exercitium animæ.

Propter tria peccata plaga Dei venit ſuper populum, & propter tria bona Deus placari poteſt.

PROPTER tria peccata plaga venit ſuper popolum: ſcilicet, propter ſuperbiam, & incontinentiam, & cupiditatem. & ideo placari poteſt Deus per tria, vt tempus plagæ abbreuietur. Primum eſt, quòd omnes aſſumant veram humilitatem in veſtibus habentes: veſtes moderatas, non nimis longas, more feminarum: nec nimis ſtrictas, more ſcurrarum, nec ſciſſuras, vel fixuras veſtium diſpendioſas, & vanas, & inutiles, quia talia diſplicent Deo. Corpora etiam ſua ſic honeſte gerant: vt nec prominentiora appareant, quàm Deus creauit, propter oſtenſionem: nec breuiora, uel ſubtiliora per aliquas ligaturas, vel nodos, uel ſimilia artificia. ſed omnia ſint ad vtilitatem, & honorem Dei. Mulieres etiam deponant veſtes oſtentationis, quas propter ſuperbiã, & vanam gloriam aſſumpſerunt. quia diabolus dictauit mulieribus contemnentibus mores patriæ ſuæ antiquos, & laudabiles: quandam nouam abuſionem, & ornamenta indecentia, in capitibus, & pedibus, & reliquis membris ad prouocandam luxuriam, & irritandum Deum. Secundum eſt, quòd fiant eleemoſinæ cum hilaritate mẽtis. Tertium eſt, quòd quilibet parochialis Sacerdos: ſemel in menſe per annum integrum, cantet miſſam de ſancta trinitate, ad quam totus populus eius conueniat confeſſus, & contritus, & ieiunet illa die, orando, & obſecrando intente, vt peccata remittantur, & ira Dei mitigetur. epiſcopi quoque ſimiliter in quolibet menſe faciant per ſeipſos, vel per alios in cathedralibus eccleſijs ſuis proceſsiones, ſolemnes

celebrando missam de sancta trinitate, & colligant pauperes, lauentque humiliter pedes eorum.

Cogitare quid homo debet, quando timet peccatum.

PRimo cogita, quòd omnia, quæ spiritum habent, sicut Ranæ, & cętera animalia, quandoque habent incommoda, nec tamen in æternum viuit spiritus eorum, sed cum corpore moritur: tua vero aïa, & omnis hoïs viuit in ęternum. Secundo, cogita misericordiâ Dei. quia nullus homo sic peccator est: si cum emendationis proposito, & contritione rogauerit, quòd non dimittatur ei peccatum. Tertio, cogita, quanta gloria est animæ, quæ cum Deo, & in Deo sine fine viuit, contra secundum, scilicet inimici Dei sunt multi. Do etiam tibi tria remedia: Primo considera, quòd Deus tuus, & creator tuus, & eorum, est iudex super eos & nunquam amplius ipsi iudicabunt eum, licet patienter supportet ad tempus malitiam eorum. Secundo, quod filij damnationis sunt: & quam graue, & intolerabile erit eis semper ardere. ipsi sunt serui pessimi, qui carebunt hęreditate, filij autem recipient hæreditatem. sed dices forte. Ergo non est eis prędicandum? vtique: Considera, quòd inter malos frequēter sunt boni, & filij adoptiui quandoq; recedunt à bono, sicut ille filius prodigus, qui abijt in aliam regionem, & uixit male: sed ipsi quandoque per prædicationem compuncti reuertuntur ad patrem: & erūt eò acceptiores, quò prius peccatores. ideo magis prædicandum est. quia licet prædicator ferè omnes videat malos: consideret tamen sic secum: Forte sunt aliqui inter eos filij futuri domini mei. prædicabo ergo eis. hic prædicator optimam habebit mercedem. Tertio cōsidera, *quòd mali viuere permittuntur ad bonorum probationem*: ut ex eorum moribus exasperari, *patientiæ fructu* remunerentur. *sicut etiam* per exemplum intelligere *poteris*. Rosa enim suauiter redolet, pulcra est visu lenis tactu, & tamen non crescit nisi inter spinas, quę sunt asperę tactu, deformes *visu*, *nihil* boni redolentes: sic etiam boni, & *iusti* homines, licet lenes sint patientia, pulcri moribus, suaues bono exemplo: non tamen possunt proficere, uel probari, nisi inter malos. quandoque spina defendit rosam, ne carpatur ante maturitatem: sic mali occasio sunt bonis, *ne excedant* in peccatis: quandoque *per eorum malitiam* refrænantur, ne immoderata *lætitia*, uel alio peccato dissoluantur. núquam etiam vinum seruatur benè in bonitate sua, nisi infecte, nec boni, & iusti in virtutibus stare, & proficere possunt, nisi probentur tribulationibus; & iniquorum persecutionibus: ideo libenter supportamus inimicos filij Dei, & cogitamus, quòd ipse iudex eorum est, & quod ipse posset in momento omnes eos delere: ergo tolerandi sunt.

Cogitare quid debeat homo de Deo.

DEbet homo habere tria: Primo non ire, nisi ad voluntatem Dei. Secundo, non sedere, nisi ad honorem Dei. Tertio, non stare debet, nisi in seruitio Dei. Tunc vadit autem ad uoluntatem Dei, quando omne tempus suū dispensat ad voluntatem Dei. quando nec comedit, nec bibit, nec dormit, nec aliud quicquam facit, nisi sicut Deo placere

placere intendit,& intelligit. Stat autem firmiter, cum voluntatem habet ſtare in ſeruitio Dei. Sedet vero tũc, quando mentem ſuam iugiter ad cæleſtia eleuat,conſiderando,qualis ſit gloria ſanctorum, & uita ſempiterna.his ergo tribus alia debet addere: Primo, debet diſpoſitus eſſe ſicut virgo deſpõſanda,quæ cogitat ſic apud ſe: omnia, quæ poſſum patris mei,quæ ſunt caſura,congregabo mihi ad ſponſum meũ, cum quo debeo eſſe in neceſsitate, & aduerſitate:ſic ergo & homo debet facere, quia quaſi cum ſponſo lætari poſſit,quia corpus ſuum caſurum eſt, nec ei parcendum eſt in præſenti, ut in futuro reſurgat ad meliorem uitam. Secundo, cogitare debet ſecum ſicut bona vxor cogitat ſecum: ſi vir meus diligit me, cur debeo ſolicitari? pacificus eſt mihi,cur habeo timere?ideo ne ira ſcatur mihi,exhibebo ei omnem honorem, & ſtabo ſemper ad voluntatem eius. Tertio debet cogitare ſecum, quod ſponſus ſuus eſt æternus,& ditiſſimus,cum quo habebit honorem perpetuum, & diuitias æternas:ideo non debet diligere caſura,ut poſsit obtinere æternaliter permanſura.

Cogitare quid debeat homo contra uitia.

SVnt duæ vitæ,quæ aſsimilãtur Marthæ,& Mariæ,quas qui imitari voluerit, faciat primo puram confeſsionem de omnibus peccatis ſuis:aſſumẽdo veram contritionem pro eis: & habendo voluntatem amplius peccata non faciendi. Prima igitur vita,quam teſtante domino, Maria elegit, ducit ad contemplationem cæleſtium, hæc enim eſt optima pars, & dicta ſalutis æternæ:omnis ergo ille, qui uitam Mariæ tenere deſiderat ſufficit ei ſolũmodo habere neceſſaria corporis ſcilicet veſtes ſine oſtentatione,cibum, & potum in parcitate, & non in ſuperfluitate. Caſtitatem ſine vlla delectatione praua,ieiunia rationabilia iuxta eccleſiæ conſtitutionem. Qui uero ieiunat, attendat, ut non infirmetur ex irrationabili ieiunio, ne ex illa infirmitate orationes,&prædicationes diminuant, ſeu alia bona ex hoc omittat, quibus proximo, & ſibi ipſi prodeſſe poſſent. diligenter quoque examinet, ne tepidus fiat ex ieiunio ad iuſtitiæ rigorem, uel remiſſus ad opera pietatis ad puniendos rebelles,& ad ſubijciendos iugo fidei infideles:ideo omnis infirmus qui magis in honorem Dei ieiunare uellet,quàm comedere, magnam mercedem habebit, propter uoluntatem bonam,ſicut ille, qui ieiunat rationabiliter ex charitate. Similiter qui propter obedientiam ſanctam comedit, volens magis ieiunare,quàm comedere,eãdem habebit mercedem: ſicut qui ieiunat.Secũdo: Maria non debet gaudere de mundi honore,& eius proſperitate, nec dolere ex eius aduerſitate. ſed in hoc gaudeat, q̃ ſcilicet impii fiunt deuoti, quòd mundi amatores fiunt dilectores Dei: quòd boni perficiunt in bono, & decertando in ſeruitio fiunt deuotiores. Tertio Maria nõ debet eſſe occioſa, ſicut nec Martha: ſed peracto ſomno ſuo neceſſario ſurgat:& regratietur Deo ex attentione, quia omnia ex bonitate ſua creauit,& ex charitate ſua aſſummendo carnem, omnia recreauit, oſtendens per paſsionem ſuam dilectionem ſuam ad hominem,qua maior eſſe non poſſet. Quarto Maria non debet eſſe auara, ſicut nec Martha, immo nec largiſsima. nã

ſicut Martha tribuit temporalia propter Deum, ſic Maria debet diſtribuere ſpiritualia ſua. ſi enim Maria habet Deum in corde ſuo carum, caueat à verbo illo, quod multi habent in ore dicentes: Sufficit mihi, ſi iuuare potero animam meam propriam. quid mihi de operibus proximorum: aut ſi ego bonus ſum, quid ad me, quomodo alij viuant. Qui talia cogitant, & dicunt, ſi vident amicum ſuum dehoneſtari, & tribulari, currerent vſque ad mortem, vt amicus de tribulatione eriperetur: ſic faciat homo. dolere enim debet, quòd Deus ſuus offenditur: quod frater ſuus, & proximus ſuus ſcandalizatur, vt ſi aliquis incurrerit peccatū, faciat quantum poteſt, vt ille à peccato eripiatur.

Exempla mala dantes proximo, quàm miſeri erunt, verba Chriſti ad ſponſam.

EGO ſum Ieſus Chriſtus, qui loquor tecum: qui in vētre virginis verus Deus; & verus homo fui, non minor cum patre omnia regens. licet eſſem cum virgine, ille talis inimicus meus peſsimus, ſimilis eſt tribus. Primo aquilæ volanti in aere, ſub qua alię aues volant: Secundo ſimilis eſt aucupi cantanti in fiſtula linita bitumine tenaci; cuius voce aues delectantes, cū fiſtula aduolant, & bitumine illo retinentur. Tertio, ſimilis eſt pugili, qui primus eſt in omni certamine. Ipſe nanque ſimilis eſt aquilæ: quia per ſuperbiam, qua neminem pateretur, ſi poſſet, ſe eſſe ſuperiorem; lacerat omnes, quos poteſt, vnguibus malitię. ideo abſcindam ei alas potentiæ ſuæ, & ſuperbię: auferam de terra malitiam eius: ipſum autem tradam ollæ inextinguibili: vbi ſine fine cruciabitur: niſi emendauerit ſe. Similis eſt aucupi, quia ſcilicet per dulcedinem verborum, & promiſsionum, omnes ſibi attrahit. Sed quicunque ad eum venerint, ſic infiguntur in perditione, vt nunquam poſsint inde fugere. ideo aues infernales configent oculos eius, ne vnquam videant gloriam meam. ſed ſempiternas inferni tenebras pręcedent aures illius, ne audiat uerba oris mei. à planta pedis vſque ad verticem capitis facient ei pro dulcedine amaritudinem, vt tot pœnas ſuſtineat, quot homines adduxit ad perditionem. Similis etiam pugili, qui primus in omni malitia nulli cedere vult: & omnes deprimere proponit: ideo ſicut pugil erit primus in omni pęna, ſemper innouabitur pœna eius, & non deficiet.

Exempla bonæ vitæ clericorum. verba Chriſti ad ſponſam.

EX tribus perpendi poteſt ſi aqua fontis non eſt bona, primo ſi non habet debitum colorem: ſecundo, ſi eſt lutuoſa. tertio, ſi aqua eſt continue ſtans, & non in motu: omnes ſordes aduenientes per iſtas aquas intelligo mores, & corda clericorum; qui tanquam fontes tenentur eſſe dulces ad potandum, & ſuauitatem morum. Clauſi contra omnes ſordes uitiorum. ergo proprius color clerici, & uera humilitas eſt, vt tanto plus humiliet ſe cogitatione, & opere, quanto obligatiorem ſe conſpicit pro Deo debere laborare: vbi enim ſuperbia eſt, ibi color diaboli, quæ ſicut manus leproſa hauriens aquam de fonte, quaſi abominabilem reddit aquam intuentibus: ſic ipſa ſuperbia opera clerici monſtrat maculoſa. tunc vero eſt aqua lutuoſa,

quando

quando clericus cupidus est, nec contentatur de necessarijs, qui sicut sibi ipsi inutilis est, & anxius, sic alijs per exẽplum cupiditatis suæ est nociuus. Tertio, aqua immunda est, quæ recipit sordes, & non eicijt à se, quicquid immundum occurrerit. nam sicut macula in corpore ubique est deformis, sed maximè in facie, sic immundicia omnibus odiosa esse debet, sed maxime his, qui ad excellentiora sunt uocati. ergo clerici ad opus meum eligendi sunt, qui non abundant verbosa scientia, sed humilitate, & puritate, qui sibi ipsis viuunt, & alios erudiunt uerbo, & exemplo, quia etiá manus leprosa ad opus meum est utilis, dummodo mens bona sit, & manus non desit spiritualis.

Verba Christi ad beatam Brigidam de sancta Trinitate.

EGo sum cum patre, & spiritu sancto, vnus Deus, trinus in personis vnus non separatur ab alio. nec diuiditur: sed pater est in filio, & spiritu: & filius in patre, & spiritu: & spiritus in ambobus. Deitas misit uerbum suæ Mariæ virgini per Angelum suum Gabrielem; tamen idem Deus mittens, & missus à se ipso, erat cum Angelo, erat cum Gabriele, & ante Gabrielem in virgine: dicto autem verbo Angelo: Verbum factú est caro in virgine, hoc verbo ego sum qui loquor tecum; pater misit me per seipsum cum spiritu sancto in uentrem virginis: nõ sic quòd Angeli caruerunt visione, & præsentia Dei. sed ego filius, qui fui cum patre, & spiritu sancto in uisione Angelorum omnia gubernans, omniaque sustentor, licet humanitas mea à me solo filio assumpta, requieuit in uentre Mariæ.

Claui crucis Christi quàm longi erant.

GLoriosa virgo Maria loquebatur ad beatam Brigidam dicens: Filia mea, quinque cogitare debes: Primo, quòd omnia membra filij mei in morte diruguerunt, & frigescebant: & sanguis, qui de vulneribus eius, in passione effluxit membris omnibus adhæsit coagulatus. Secundo: quòd in corde punctus erat tam amare, & misericorditer, quod pungens non destitit, donec lancea attigit costam: & ambæ partes cordis essent in lancea. Tertio: cogita quomodo deponebatur de cruce: hi duo, qui deponebant eum de cruce, tres applicabant scalas; una protendebatur ad pedes, secunda subtus alcellas, & ad brachia. Tertia ad medietatem corporis. Primus ascendit, & tenebat eum per medium, secundus ascendens per aliam scalam, excussit primo unum clauum de vno brachio, deinde applicata scala excussit clauũ alterius manus: qui quidem claui longe ultra stipitem crucis protendebantur. descendente illo igitur, sustentabat onus corporis paulatim, & modice, prout poterat. ille alius ascendit scalam, quæ tendebatur ad pedes, & excussit clauos pedibus. cunque appropinquaret ad terram, vnus eorum tenuit corpus per caput, alius per pedes ego uero, quæ mater eram, tenui per medium, & sic nos tres portauimus eũ ad quandam petram, quę in linteo mũdo per me operta erat: in quo obuoluimus corpus, sed non cosui lintcum, sciebam enim pro certo, quòd non in tumulo putresceret. postea Maria magdalena, & aliæ sanctæ mulieres uenerunt, nec non Angeli sancti multi, quasi atomi solis affuerunt, obsequiũ exhibentes

bentes creatori suo. qualem autem tristitiam tunc temporis habui, non est qui ualeat dicere; eram sicut mulier pariens, cuius omnia membra post partum tremula sunt, quæ præ dolore uix respirare possit.

Clauis quatuor erat crucifixus Christus.

ERat autem crucifixo, & brachia eius eleuata. ita ut nodus crucis inter scapulas esset, nec vllum capiti reclinatorium crux præbebat, & tabula tituli vtrique brachio super caput eminenti affixa erat ad crucem: igitur iussus dorsum vertit, & manum post latus primo dextram extendit: & inde alia manus ad reliquum cornu non attingens distenditur, & pedes similiter ad foramina sua distenditur. cancellatique, & quasi tibijs distincti, duobus clauis ad crucis stipitem per solidum os, sicut manus erant, configuntur, & alio loco, brachia mea, ad foramina stipites funibus trahebãtur, pedes deorsum tracti, & duobus clauis perfossi, non habebant aliud substentaculum, nisi clauos. interiora mea omnia arida, & contracta fuerunt. Cor meum plenum erat dolore, quod quia recentissime, mature erat, & optime, ideo dolor quandoque de neruis exibat ad cor, iterum à corde ad neruos: & sic augumentabatur dolor, & prolongabatur mors.

Circunciſio Christi vbi mansit, & membrana eius.

GLoriosa uirgo Maria in reuelatiõne ad B. Brigidam ait: Cum filius meus circuncideretur, ego membranam illam in maximo honore seruabã, quò ibam: quomodo ego illã traderem terræ, quæ de me sine peccato fuerat generata, cum tempus vocationis meę de hoc mundo instaret. ego ipsam commendaui sancto Ioanni custodi meo, cum sanguine *illo benedicto*, qui remansit in vulneribus eius, quando deposuimus eum de cruce. *post hęc* sancto Ioanne, & successoribus *eius* sublatis de mundo, crescente malitia, & perfidia, fideles, qui tunc erant, abscon derunt illam in loco mundo sub terra, & diu fuerat incognita, donec Angelus Dei illam *reuelauit*: ò Roma, si scires, gauderes vtique, immo si scires, fleres incessanter: quia habes Thesaurum mihi charissimum, & non honoras illum.

Verba Reginæ cœli ad beatam Brigidam.

EGO sum Regina *cœli. dilige filium* meum, *quia honestissimus* est, & cum eum habueris, omnem honestatem habes. *ipse* est etiam desideratissimus, & cum eum habueris, omnia desiderabilia, habes: ego volo tibi dicere, quia dulciter ipse dilexit corpus meum, & quàm dulciter animam meam, quantum etiam honorauit nomen meum. ipse filius meus prius dilexit me, quàm ego eum. quia creator est meus: ipse coniungium patris mei, & matris meæ tanta castitate coniunxit, ut tunc non inueniretur castius cõiugium, & nunquam conuenire vellẽt, nisi iuxta legem causa tantum suscitandi prolem. & cum sibi nunciatum esset ab Angelo, quod virginem parerent, vnde salus mundi procederet; magis voluissent mori, quàm carnali amore cõuenire. & voluptas in eis mortua erat, tamen pro certo dico tibi, quòd ex charitate diuina, ex verbo angeli nunciantis conuenerunt carne, non ex

con-

concupiscentia aliqua voluptatis: sed contra voluntatem suam ex diuina dilectione, & sic ex semine eorum per diuinam charitatem caro mea compaginata est. facto autem corpore meo, Deus à diuinitate sua animam creatam immisit corpori, & mox anima cum corpore sanctificata est, quam Angeli custodiebant, & seruabát die, ac nocte. cum autem anima sanctificaretur: tanta matri meæ aduenit lætitia, ut impossibile esset dictu. deinde completo cursu vitæ meæ, primo, animâ meâ, quia domina erat corporis, ad deitatem excellentius ceteris eleuauit inde corpus meum, ut nullius creaturæ corpus sit tam propinquum Deo, sicut meum. ecce quantum filius meus dilexit animam meam, & corpus. sed aliqui sunt, qui omnino negant me assumptam corpore, & anima. aliqui etiam, qui nesciunt melius: sed ista est pro certissimo rei veritas, quod cum corpore & anima ad Deitatem assumpta sum.

Paradisi fœlicitas.

O quàm felix patria, ò quàm beata terra, vbi erit dominus, omnia in omnibus, & nullius rei erit penuria, seu aliquis defectus. certe hæc patria est ocus pascuæ cælestis, ubi nihil deerit, in quo fideles suos dominus suauiter reficiet, & perpetuo collocabit. Vnde Ezechiel. 34. dicit dominus: Inducam eos in terram suam, & pascam eos in montibus Israel, in riuis, & in cunctis sedibus terræ, in pascuis vberrimis pascam eos, & in montibus excelsis erunt pascua eorum: ibi requiescent in herbis virentibus, & in pascuis pinguibus pascentur supra montes Israel. ipsa est enim domus domini diuitijs referta, & ciuitas Dei nostri bonis omnibus ad impleta. Qua propter scribitur Isaias. 33. Oculi tui videbunt Hierusalem ciuitatem opulentam. bonorum copiositas, & maxima abundantia, non solum patet ex prædictis, sed etiam specialiter ex multitudine eiùs pacis, in qua delectabuntur mansueti: qui hæreditabunt terram illam, superius expressam. Vnde Isaias. 55. cap. In lætitia egredimini, in pace deducimini.

Pœnæ impiorum in mortis articulo.

MAli si quidem quatuor dolores patiuntur in morte: Primus dolor est angustia corporea, tanta & tam grauis, quanta, vel qualis, nec est, nec fuit in præsenti vita ante desolationẽ illam. Quod in quibusdam, si non in omnibus apparet prę nimio dolore discrepantibus, fortis est in corporalibus violentia, quando nexus illi & phisicales nodi inter corpus, & animam disrúpuntur. vnde lamentationis voce Propheta. psa. 17. ait: Circundederunt me dolores mortis. non erit membrum, nõ articulus in corpore sine dolore. Secundus dolor est, quando plenè iam defatigato corpore ex suis exhaustis viribus, anima iam multo liberius videt tunc in momento occurrere ómnia opera sua bona, uel mala ante oculos interiores. Dolor iste est tantus, & tam grauis, quòd anima plurimum turbata cogitur, quasi se ipsam odisse. Vnde dicitur. psal. 17. Torrentes iniquitatis conturbauerunt me. nam sicut torrentes multo impetu veniunt diruentes, ita mali in morte videbunt omnia bona, uel mala, quæ egerint subito. Tertius dolor, quando anima incipit tam iuste di iudicare; vident singularia tor-

menta

menta sibi gehennæ debitæ imminere propter sua peccata. Quartus dolor est, quando anima adhuc in corpore posita, videt malos spiritus se capere præparatos, ubi tantus dolor est, quòd misera anima, quandiu potest, tempus suæ captiuitatis exquirit.

Inferni pœnæ.

DIcunt sancti Doctores, quòd in die iudicij Deus visitabit peccata parentum in filios: & quòd pro peccatis pœnas inferni assequentur. videlicet calores ignis supernaturalis: qui non extinguetur, & erit instrumentum diuinæ iustitię. stridor, frigus, tenebræ, fumus, lacrimæ interiores, aspectus dæmonum, clamor, improperia, ariditas, sitis, fætor sulfuris, uermis conscientiæ, vincula carcerum, inuidia, rancor, carentia visionis Dei, tristitia, ablatio omnis salutis. ipsum etiam esse, quod omnis creatura appetit, pœna erit eis, & sicut ait Dionisius, proterua fantasia, dæmones, concupiscentia, & furor irascibilis: & quicquid denique opponitur dotibus corporis, & animæ beatorum.

Pœnæ etiam infernales secundum peccata sunt diuersę. Prima est ignis. Secunda frigus, vnde ibi erit frigus, & stridor dentium. Matth. 25. ca. Tertia est fætor, vnde de his tribus Propheta ait: Ignis, & sulfur, & spiritus procellarum. Psalmus. 10. Quarta vermis indesinenter. Vnde Isai. c. 1. Vermis eorum non morietur. Quinta, impatientium mallei percutientes: unde dicitur prouerb. 19. Parata sunt derisoribus iudicia, & percutientes mallei stultorum corporibus. Sexta tenebræ palpabiles exteriores, & interiores. unde Iob: Terram miseriæ, & tenebrarum, & alibi: Vadam ad terram tenebrosam, & opertam mortis caligine, ubi æternum non uidebo lumen. Septima confusio peccatorum erunt libri aperti: & conscientiæ hominum omnibus manifestæ. vt legitur Daniel. 7. cap. Octaua: horribilis visio dæmonum, qui uidebuntur in executione scintillarum de igne accendentium. Nona: ignea cathenæ, ideſt anxietates, quibus impij singulis membris accinguntur. Prima est concupiscentium. Secunda maleficorum. Tertia luxuriosorum. Quarta, inuidiosorum, & odio habentium. Quinta est eorum, qui in hoc seculo per flagellum non meruerunt castigari. Sexta eorum, qui in tenebris ambulantes ad lumen verum, scilicet Christum, venire contempserunt. Septima confitentium peccata sua, & pœnitentiam contemnentium. Octaua illorum, qui in malo delectantur, & in suo peruerso opere, & sermone. Nona eorum, qui ambulant in desiderijs suis, & eunt post concupiscentias suas. Sicut patet Dei omnipotentia in creando: Sapientia in gubernando; Clementia in reprehendendo; sic patebit iustitia in puniendo. dignum est enim, vt non remaneat dedecus culpæ sine decore iustitiæ.

Circa istas pęnas est uidendũ, quid significent. Primo de pęna ignis. Quãuis ignis corporeus non possit agere in spiritum, tamen tunc agit, vt instrumentum diuinæ iustitiæ, non vt instrumentum naturæ, patet Lucæ. 16. de diuite, qui in Inferno clamabat: Crucior in hac flamma: & erit ignis inextinguibilis, & viuacissimus, secundum August. de ciuitate Dei. Probaturque Isai. ult. c. Ignis eorum non extinguetur.

tur. etiam nomine ignis designatur omnis afflictio damnatorum. Matth. 25. Ite maledicti in ignem æternum. Prima ad Cor. 3. Vniuscuiusque opus quale sit, ignis probabit. tamen non afflliget ignis omnes æqualiter, sed secundum quòd maius, & minus peccauerunt.

De secunda pœna, scilicet de frigore. Iob. 23. ibi erit fletus, & stridor dentium. dicit autem sanctus Doctor super. 4. sententiarum dist. ultima: Transibunt damnati de vehementissimo calore, ad vehementissimum frigus absque refrigerio. quia passio ab exterioribus non erit per transmutationem corporis à sua pristina naturali dispositione ad æqualitatem, uel temperiē reducendo, sed erit per actionem spiritualem.

De tertia pœna, quæ est fætor, dicit Basilius in vltima mundi purgatione fiet separatio quædam in elementis, vt quicquid est purum, & notabile remaneat ad gloriam beatorum. quicquid ignobile, & fætulentum in infernum proicijatur ad pœnam damnatorum. vt sit creatura Dei beatis materia gaudij, damnatis accrescat in tormētum, Sapien. 5. cap. Pugnabit cum illo orbis terrarum contra insensatos.

De quarta pœna, scilicet de uerme, hic vermis erit remorsus conscientiæ mordens animam, non corpus: quia nullum animal præter hominem remanebit, & dicit sanctus Doctor ubi supra: Vermis dicitur inquantum oritur ex putredine peccati, & affligit animā, sicut vermis corporalis affligit purgando, & hæc recordatio erit continua, q̄ pro tam uilibus bonis terrenis, amiserint perpetua gaudia.

De quinta scilicet, malleis percutientibus impiorum corda. hæc pœna non intelligitur de malleis materialibus, sed de diuersitate pœnarum, quibus impij malleantur. has pœnas recitauit beatus Lazarus post resurrectionem suam, in mensa, cum discumberet cum Christo in Bethania in domo Marthæ, vt dicitur. Io. 12. c. prout in vita beati Lazari sic legitur. Vidit enim, vt ait idem, ante portas Inferni arbores igneas, & peccatores suspensos in illis arboribus, sicut illi libenter coruunt ad malum. alij pendebant per pedes, alij per manus, alij per aures, alij per brachia, alij per linguas: & postea vidit fornacem ardentem per septem flammas in diuersis coloribus, & septem plagæ erant in circuitu fornacis. Prima nix: Secunda glacies: Tertia ignis: Quarta sanguis: Quinta serpentes: Sexta, Sulfur: Septima, fætor.

Idem Lazarus postea uidit alios flentes, alios vlulantes, alios gementes, alios ardentes, & quærunt, & desiderant mortem, & non inueniunt, & clamantes dicunt: Nos in loco sumus, in quo est tristitia sine lætitia, in quo est dolor sæmpiternus, in quo est abundantia lacrimarum propter cruciatum dolorum animarum, in quo loco vidit Lazarus rotam igneam, mille habentem circuitus, una hora, mille vicibus, & percussa rota ab angelo tartareo, in vnoquoque motu, mille animæ cremabantur. Postea uidit flumen horribile, in quo erant pisces in medio maris, quæ animas peccatrices deuorabant sine vlla misericordia; sicut lupi deuorant oues. Postea vidit multas animas submersas in illo flumine, alias vsque ad genua, alias vsque ad

vmbilicum; alias vsque ad labia, & alias vsq; ad supercilia, & toto die perenniter cruciabantur. Post hæc vidit locum tenebrosum viris, & mulieribus plenum, in quo erant omnes pœnæ: & erant ibi puellæ nigræ, indutæ pannis piceis, & ignibus, & sulphuribus, & serpentibus circa colla sua: & postea vidit puteum obscurum plenum viris, & mulieribus, quæ comedebant linguas suas. postea vidit viros, & mulieres in loco glaciali, & ignis cremabat partē illorum mediam, & pars alia frigescebat. Post hæc uidit locum alium plenum uiris & mulieribus, & erat ibi vna anima super aliā, quasi oues in ouili.

Vita beati Lazari, ubi sunt hæc descripta, sumpta est de historia transmarina.

De sexta pœna tenebrarum dicit sanctus doctor supra. in solutione ult. arg. super tertium quæsitum.

Dispositio inferni erit talis: Sunt ibi lux, & tenebræ, prout maxime spectat ad miseriam damnatorum, uisio secundum se est delectabilis, vt dicitur in principio Metaphisicæ, sensus oculorum maxime diligibilis est, eo quod per ipsum plura cognoscimus, sed per accidens uisio est afflictiua in quantum videmus aliqua nobis nociua, vel nostræ uoluntati repugnantia: ideo in Inferno, dicit sanctus Doctor: Nihil perspicue videtur, sed solum sub quadam umbrositate ingerendo afflictionem cordis. Vnde simpliciter loquendo, Infernus est tenebrosus, & hoc facit naturalis situs loci, quia in medio terræ: sed ex diuina dispositione est ibi aliquid luminis, quantum sufficit ad uidendum, quæ animam torquere possunt. In inferno est ignis fætulentus, turbidus, & fumosus.

Quidam assignant, vt dicit sanctus Doctor, causam istarum tenebrarum ex condensatione, & compassione vaporum damnatorum, quasi nihil sit diaphanum subiectum lucis, & tenebræ, nisi oculi damnatorum, qui erunt obtenebrati. item erit ibi septima pœna fletus damnatorum. hic fletus erit spiritualis dolor interior, & non fletus corporalis, cum resolutione lacrimarum, quia, cessante motu cœli, nulla erit ultra generatio, vel corruptio, uel corporalis alteratio, vt dicit sanctus Doctor, ubi supra. In resolutione lacrimarum, oportet esse humorum generationem, qui per lacrimas distillat, & hoc non erit in damnatis: sed talis fletus, erit commotio, & conturbatio capitis, & oculorum. Corpora damnatorum affligentur ab interiori, & exteriori secundum quod corpus immutatur ad passionem animæ, correspondente punitione delectationi, quam habuerunt in hoc mundo. Damnati in hoc mundo amiserunt omnia bona, tam gratiæ, quàm gloriæ: ideo nulla erit in eis consolatio lætitiæ. nam Babilon magna cōfusionis ciuitas est, facta habitatio dæmoniorum, vt dicit Apocal. 18.

De uisione beati Lazari vtrum sit sumpta ex historia apocripha, ignoro. tamen ex scripturis sacris colligumtur designationes aliarum pœnarum loci tartarei, ubi nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat: videntes damnati electos in gloria, turbabuntur cruciatu horribili, gementes intra se, & præ angustia spiritus dicentes: Sap. 5. c. Hi sunt, quos aliquando habuimus in derisum, & in similitudinem improperij, nos insensati vitam illorum existimabamus

bamus insaniam, & finem eorum sine honore: ecce quomodo computati sunt inter filios Dei, & inter sanctos sors illorum est.

Supplicium erit malorum intueri gloriam beatorum ante diem iudicij: licet forte post finem iudicij beati visuri sint improbos in tormentis: secundum illud: Lætabitur iustus, cum uiderit vindictam impiorum: reprobi vero, non visuri sunt beatos in gloria secundum illud: Tollatur impius, ne videat gloriam Dei. talia dicent in infermo peccatores: quoniam spes impij tanquam lanugor est, quæ à uẽto tollitur, & tanquam spuma gracilis, quæ à procella spargitur: & tanquã fumus à vẽto diffusus: & tanquam memoria hospitis vnius Diei. ignis gehennæ nec lignis nutritur, nec flatu succenditur: sed à Deo creatus est inextinguibilis ab origine mundi. scriptum est enim Iob 20. c. Deuorabit eos ignis, qui non succenditur. ignis gehennæ semper ardebit, & nunquam lucebit: semper vret, & nunquam consumet: semper afficiet, & nunquam deficiet. est enim apud inferos summa tenebrarum obscuritas, immensa pœnarum acerbitas, in fine miseriarum æternitas. Ligatis, inquit, manibus, & pedibus, mittite eos in tenebras exteriores, &c. singula membra pro suis peccatis sustinebunt tormenta: ut in eo puniantur, in quo peccauerunt. scriptum est enim: Per quæ peccauerit homo, per hæc & torquetur. sicut legitur de diuite, qui cruciabatur in flamma, & petebat refrigerium in lingua. Lucæ. 16. c. Reprobi uero, non solum in exterioribus: sed in interioribus tenebris inuoluẽtur. quia spirituali pariter, & corporali luce carebunt. scriptum est enim: Tollatur impius, ne videat gloriam domini. tantas. n. pœnas tolerabunt damnati, & angustias, vt vix aliquid cogitare ualeant præter pœnas. sed dirigent impetum cogitationis; vbi sentient uim doloris. Vnde Salomon ait in eccles. 9. Quantumcunque potes, operare, quia nec opus, nec ratio, nec scientia, nec sapientia est apud inferos, quò tu miser properas. erit enim in reprobis tanta mentis obliuio, tanta cæcitas animi, tanta confusio rationis, ut uix, uel nunquam ad cogitandum quicquam de Deo possint assurgere, nec ad confitendum valeant respirare. nam à mortuo tanquam ab eo, qui nõ est, perijt cõfessio. scriptũ est enim: Non mortui laudabunt te domine, neque omnes, qui descendunt in infernũ. non infernus confitebitur tibi, neque mors laudabit te.

De Nominibus. 72. Discipulorum Christi.

PRimus missus in discipulos fuit beatus Martialis. Ioan. 6. cap. Est puer unus hic, qui habet quinque panes. qui autem dicitur comestor, fuit ille paruulus, de quo Matth. 18. Et ad uocans Christus paruulum, statuit eũ in medio discipulorum, de quo cum legeretur illud euangelium Romæ solẽniter, diaconus dicens: & aduocans Iesus paruulum, addidit, Martialem lemouicorum, cum autem corriperetur ab alio, ne legeret nisi quod esset scriptum: dixit ille: sic se habere: tunc surgens ille, qui non credebat, vidit quod ita scriptum habebat, quo affirmante, alius non credens duobus primis, & idem vidit. & tertio apertum est, in cuius memoria, in medio ecclesiæ altare Sancti Martialis cõstructum vsque

hodie manet: & quia de ipso scriptum est: Vsque hodie in psalmo benedixit pusillis cum maioribus, cum super oblatos benedictionem dabat Iesus Christus dominus noster, sicut fecit beato Martiali, manum imponebat super capita eorum. Matth. 19. Hoc probatur mirabile in hoc paruulo, quòd benedictionem Christi super caput ipsius apparens, ut testatur super psalmistam: Mane astabo tibi.

De beato Martiale inuenitur in historiis fide dignis, quòd beato Petro idem Martialis Stephani consanguineus: qui olim cum esset annorum. 15. venit cum parentibus suis ad Iesum in tribu Beniamin prædicantẽ. qui, iubente domino, baptizati sunt à Sancto Petro Apostolo: parẽtibus ad sua propria remeantibus, Martialis remansit semper cum domino, & semper ei adhærens, factus est vnus de 72. Christi Discipulis, qui fertur fuisse puer ille, quem dominus in medio discipulorũ statuit, & illi in cena specialiter ministrauit; & fuit delegatus ad vrbem Lemouicam, in qua Deo innumerabilem populum acquisiuit. Beatus ergo Martialis, de quo supra, Aquitaniam intrans, de pretioso sanguine Prothomartyris Stephani, cum multis alijs pretiosis reliquijs secum tulit, habuitque in comitatu suo virum Dei Amatorem, & vxorem eius Veronicam, quæ valde familiaris, & præcordialis amica fuerat virginis Mariæ, matris Dei.

Secundus est Cleophas, cuius corpus est in ecclesia Sancti Firmini Magdalenæ diœcesis. Tertius est, Lucas, secundum Gregorium in prologo moralium. Quartus Ioseph cognominatus Barsabas. Quintus, Matthias. Sextus Ioseph. Septimus Stephanus prothomartyr. Octauus Philippus. Nonus Prochorus. Decimus Nichanor. Vndecimus Timon. Duodecimus Parmenas. Tertiusdecimus Nicolaus aduena antiochensis, actuum. 5. Quartusdecimus Andronicus. Quintusdecimus Iunias: de quibus Apostolus ad Romanos 17. Salutate Andronicum, & Iuniam cognatos, & captiuos meos: qui fuerunt in captiuitate cum eo causa fidei. Sextusdecimus Agabus, qui zonã pauli soluit, & prophetico spiritu repletus fuit, de quo actuum. 2. Decimusseptimus Ananias, qui Paulum baptizauit. Decimus octauus Thattæus, non Apostolus, sed alius, qui à beato Thoma Apolo ad Abagarum regem missus, cum sanauit, Edissam namque ciuitatem ad Christi fidem conuertit. Decimusnonus Simon Cleophæ, filius post Iacobum iustum, Hierosolimorum episcopus, qui anno centesimo vigesimoprimo pro fide Christi Crucis martyriũ pertulit. Vigesimus Ephenerus Episcopus Cartaginen. Vigesimusprimus Ampliatus Episcopus Ediſſæ. Vigesimus secũdus Vrbanus episcopus Macedonien. Vigesimustertius Appelles Episcopus Cratheæ. Vigesimusquartus Aristobolus Berhaniæ episcopus. Vigesimusquintus Narcisus Episcopus Athenarum. Vigesimussextus Rufus Episcopus Cesarien. Vigesimusseptimus Asmeretus Hircaniæ Episcopus. Vigesimusoct. Flegonta. Vigesimusnonus Ermes, Episcopus Dalmatiæ. Trigesimus Patroas Episcopus Penn. Trigesimusprimus Hermas Episcopus philopoleos. Trigesimussecũdus Gappus episcopus Ephesi. Trigesimus-

gesimus tertius Philologus episcopus Smopensis. Trigesimus quartus, Lucius episcopus Leodicen. Trigesimus quintus, Solipater episcopus Iconij Trigesimus sextus Iason episcopus Iconij. Trigesimus septimus Erastер episcopus eadin. Trigesimus octauus nereus, episcopus Bruti. Trigesimus nonus. Ampheius episcopus Smirnæ. Quadragesimus. Herodion. Quadragesimus primus. Stachin. Quadragesimus secundus Lucius episcopus secundus Iconij. Quadragesimus tertius Siluanus episcopus Thessalonicen. de quo in epistola ad Thessalon. 2. cap. primo. scribitur: hinc quidam arbitrantur Zacheum esse, qui hospitio Christum suscepit. Quadragesimus quartus Sosthenes colophonicæ episcopus. Quadragesimus quintus Apollo episcopus Iconiæ. Quadragesimus sextus Linus secundus episcopus Romæ post Petrũ. Quadragesimus septimus Cæsar Duratij episcopus, de quo ad Phil. 4. Quadrag. oct. Cephas. Quadragesimus nonus Iesus, qui dicebatur iustus. Quinquagesimus episcopus esupulis. de quo ad Colos. 4. Titicus, de quo ibidem primus episcopus calcidonen. Quinquagesimus primus Artema episcopus Lisiriæ. Quinquagesimus secundus Clemens episcopus Sardiniæ. Quinquagesimus tertius. Onesephorius episcopus onor. Quinquagesimus quartus. Carpus Boroæ, in Tracia. Quinquagesimus quintus. Erodius, qui post Petrum apostolum primus Antiochię sedit. Quinquagesimus sextus Aristarcus apprime episcopus. Quinquagesimus septimus Zenalegis peritus episcopus diospoleos. Quinquagesimus octauus Aristarcus. Quinquagesimus nonus Philemon episcopus gazæ. Sexagesimus Philetus episcopus Ephesi. Sexagesimus primus. Hermogenes episcopus megarorum. Sexagesimus secundus. Demas, de quo ad Thimoteum. 4. Demas me dereliquit, diligẽs hoc seculum. Sexagesimus tertius Pudens. Sexagesimus quartus Trophimus. Sexagesimus quintus Chincreis, qui in Gallijs prædicauit. Sexagesimus sextus Crescẽs episcopus Calcidonẽ. Sexagesimus sept. Sauinianus sinonen. episcopus. Sexagesimus octauus Potentianus primus trecenen. episcopus. Sexagesimus nonus Altimus aurelianen. episcopus. Septuagesimus Maximus episcopus aquen. constitutus, qui Marsiliã profectus est cũ beata Maria Magdalena, ac Martha eius sorore, & eius pedissequa Marcella. Septuagesimus primus Vrsinus, qui Anatanael fertur fuisse, de quo dominus dixit: Ecce vere Israelita. Io. 1. Septuagesimus secundus Iulianus, qui dicitur fuisse Simon leprosus, primus cenomanen. episcopus.

Saturninus inter Christi discipulos numeratur.

DE Beato Saturnino ad Tholosanorum partes misso, reperi in aliquibus historijs, quòd fuit de discipulis Christi, & audita beati Ioannis Baptistæ prædicatione, ac cœlesti eius conuersatione diligentius considerata secutus est beatum Ioannem miris laudibus magnificando Iesum: & cũ beatus Ioannes Iesum digito demonstrans dixisset: ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi; Saturninus accepta benedictione mente, & corpore secutus est Iesum, à Christo inter alios discipulos,

pulos, ut aliquibus historijs legitur designatus. qui cum Martiale, & alijs discipulis fecit discumbere quinque millia hominum de quinque panibus, & duobus piscibus à domino pascendorum. Fuit ministrans in cœna: potestatem ligandi, atque soluendi à domino accepit, & redundantiam spiritus sancti in die Pentecostes cum alijs suscepit. In Pentapolim: & ad diuersas partes Persarũ missus, multos ad Christi fidem conuertit.

Exemplum epistolæ Abgari Regis ad dominum Iesum Christum.

ABgarus Vchaniæ filius Toparcha Iesu Saluatori bono, qui apparuit in locis Hierosolimorum salutem: Audiui, & de te, & de sanitatibus, quas facis. quòd sine medicamentis, aut herbis fiunt ista per te, & quòd verbo tantum cæcos facis videre, & claudos ambulare: & leprosos mundas, & immundos spiritus, ac dæmones eijcis, & eos, qui longis ægritudinibus afflictantur, curas, & sanas: mortuos quoque suscitas: quibus omnibus auditis de te: statui in animo meo vnum esse è duobus, aut quia sis Deus, & descẽderis de cælo, ut hæc facias: aut vt filius Dei sis, qui hæc facis. Propterea ergo scribens rogauerim te, ut digneris vsque ad me fatigari, & ægritudinem meam, qua diu laboro, curare. nam & illud comperi, quod Iudei murmurãt aduersum te, & volunt tibi insidiari, est autem mihi ciuitas, parua quidem, sed honesta, quæ sufficiat vtrisque.

Exemplum rescripti ab Iesu ad Abgarum Regem Toparcham.

BEatus es, qui credidisti in me, cum ipse me non videris. scriptum est enim de me, quia hi, qui me uident, non credent in me, & qui non uident me, ipsi credent, & viuent. De eo autem, quod scripsisti mihi, ut veniam ad te, oportet me omnia, propter quæ missus sum, hic explere, & postquã cõpleuero, recipi me ad eum, *à quo missus sum*: cũ ergo assũptus fuero, *mittã* tibi aliquem ex Discipulis meis, ut curet ægritudinem tuam, & uitam tibi, atque his, qui tecum sunt, præstet, & ciuitati tuæ.

Erat autem his epistolis adiunctum etiam hoc lingua Syrorum, quod infrascriptum est.

POstea vero quam Iesus assumptus est, misit & Iudas, qui & Thomas, Thattæum *Apostolum vnum ex 72.* qui cum venisset, manebat apud Thobiam filium Thobiæ: ut autem audiuit de eo Abgarus, & nunciatum ei fuisset, quod venisset apostolus Iesu, secũdum quod ei scripserat: cumque cepisset Thattæus in virtute Dei curare omnem languorem, & infirmitatem, ita ut omnes mirarentur: Abgarus, consideratis mirabilibus, quæ faciebat, recordatus est, quod ipse est, de quo sibi scripserat Iesus dicens: Cum autem assumptus fuero, mittam tibi aliquem de discipulis meis, qui ægritudinem tuam sanet: & vocans ad se Thobiam, apud quem manebat ait ad eum: Audiui quòd vir quidam potens venit, & manet in domo tua, adduc eum ad me. Cumque rediisset Thobias ad Thattæum dixit ei: Abgarus Toparcha uocauit me ad se, & dixit mihi, ut te ad eum perducam, ut cures eum: & Thattæus: Veniam, inquit, quoniã propter eum maxime missus sum, postera igitur die Thobias mane assumpto Thatteo

tæo venit ad Abgarum, & cum fuisset ingressus præsentibus primatibus suis, statim in ingressu visum est Abgaro diuini nescio quid splendoris in vultu Thattæi Apostoli. cum vidisset Abgarus adorauit Thattæum. Super quod admirati sunt omnes, qui assistebant Regi. ipsi enim nihil horum videbant. quia soli Abgaro fuerat ostensum. qui & cepit dicere ad Thattæum vere discipulus es Iesu Christi filij Dei, qui mihi dixerat: Mittam tibi aliquem de discipulis meis, qui te curet, & vitam tibi præstet: & Thattæus respondit: Quia magnifice credidisti in eum, qui me misit, propter ea missus sum ad te: & si permanseris in fide eius, & credulitate: præstabuntur tibi omnia desideria cordis tui. Tunc & Abgarus ad eum: Vsque adeo, inquit, credidi ei, vt & Iudęos, qui eum crucifixerunt, velim (si vlla mihi adesset tanta exercitus copia trucidare, & non Romani regni auctoritas impediret. & Thattæus ait ad hæc: Dominus noster voluntatem patris sui impleuit, quia impleta; assumptus est rursus ad patrem: dicit ei Abgarus: & ego scio, & credo in eum, & in patrē eius: & Thattæus: Propterea (inquit) pono manum meam super te in nomine eius: & cum hoc feciſſet, statim omni ęgritudinis morbo, quo tenebatur, absoluitur: Miratus est Abgarus, quod sicut verbis audierat de Iesu, ita & rebus, & operibus reperit per Thattæum discipulum eius impleri, qui eū absque medicamentis, & herbis curauit. non solum autem illum, sed & Abdon quendam Abdiæ filium podagra laborantem, cum se vestigijs eius advolueret, manus impositione sanauit. Mutosque alios uerbis illius ciues varijs obsessos sanauit incommodis, & sic opera magna, & admiranda perficiens prædicauit verbum Dei. Post hæc autem Abgarus ait ad Thattæū: Tu (inquit) cum virtute Dei hæc facis, & nos omnes uidentes miramur. Verum, quæso te, enarra mihi de aduentu Iesu, quomodo factum sit, & de virtute eius, in qua fiebant hæc, quæ audiui: Et Thattæus: Nunc tacebo quidem, verum quia verbum iussus sum prædicare; Crastino congrega mihi omnes ciues tuos, & coram ipsis prædicabo. & seminabo in eis verbum uitæ, uel aduentus Iesu: quomodo fuit, & cur, uel qua de causa missus est à patre, & de virtutibus eius operū, uel de misterijs, quæ locutus est in hoc mūdo, & qua virtute hæc fecit: sed noua prædicatione, & quod ita paruus, & humilis, & quomodo ita se humiliauit, & deposita maiestate paruifecit deitatem suam: ita ut in cruce cogeretur, & in infernū descenderet, & dirumperet sepem, quam à seculis nemo diruperat, & mortuos suscitaret. Qui descendit quidem solus, ascendit cum grandi multitudine ad patrem suum. iussit ergo Abgarus, ut mature omnes ciues conuenirent, & audirent prædicationem Thattæi, & post hæc iussit ei dare aurum, & argentum. sed ille non accepit dicens: si nōa dereliquimus, qūo accipiemus aliena? Gesta sunt autem ista quadrigentesimo, & trecentesimo anno. Hæc non inutiliter (ut puta) à nobis verba ex Syrorum lingua, interpretata, hunc à nostris libris tenebunt locum.

Litera Pilati ad Tiberium Imperatorem de domino nostro Iesu Christo.

APparuit temporibus nostris, & adhuc est homo magnæ virtutis,

si modo hominem appellare fas est, nominatur Iesus Christus, quem eius discipuli uocant filiũ Dei, suscitans mortuos, & sanans languores, homo quidẽ præ ceteris mediocris, vultum habens venerabilem, quem intuentes possunt diligere, & formidare, capillos habens coloris auellanę, pręmature, & planos fert vsque ad aures: ab auribus uero circinos, & crispos: aliquantulum ceruleos, & fulgentiores ab humeris uentilantibus: discrimen habens in medio capitis iuxta morem Nazareorum frõtem habens planam, & sereniſsimam cum facie sine ruga, & macula aliqua: quam robur moderatam uenustat: nasi & oris nulla prorsus est reprehensio: barbam habens copiosam, & in similitudinem capillorum coloris, non longam, sed in medio bifurcatam: aspectũ habens simplicem, & maturum oculis glaucis, varijs, & claris existentibus, in increpatione terribilis, in admonitione placidus, & amabilis, hilaris, seruata grauitate: qui nũquá vitus est ridere, flere autẽ sic: in statura corporis rectus, manus habens visu delectabiles, in colloquio grauis, & modestus speciosus inter filios hominum.

Eiusdem literæ ad eundem Tiberium Cæsarem post mortem domini nostri Iesu Christi.

POntius pilatus Tiberio Cæsari Imperatori salutẽ dicit: De Iesu Christo, quẽ tibi plane postremis meis declaraueram, nutu tandem populi acerbi, me quasi inuito, & subtimente, supplicių sumptũ est, uerũ hercle, ita implum, & sœuerum, ut nulla sic unquam ætas habuit, neque habitura sit: sed minor ipsius populi conatus, & magnus omnium scribarum principum, & seniorum consensus, suis Prophetis, & Sybillis contra monentibus, venutis legatum crucifigerunt, signis etiam super naturam apparentibus, dum penderet, & orbi uniuerso philosophorũ iudicio id impium, & scelestissimum esse indicantibus. Vigent *illius Discipuli*, opere, uita, & constantia *magistrum* non mentientes, immo in eius nomine ubique vnicuique beneficentissimi. Nisi ego seditionem populi, prope æstuantis exoriri pertimuissem, fortasse adhuc nobis vir ille viueret. At ego magis impiorũ cõpulsus, quá voluntate mea adductus, pro viribus non restiti, & sanguinem iustum, hominum malignitate, & inique acusatus in eorum (ut scripturæ *interpretantur*) exitium pati decreui. *Vale calendis* Aprilis. 33. Hierosolimis.

Augustinus de Dignitate Sacerdotum ad fratres in Eremo.

O Veneranda Sacerdotũ dignitas, in quorum manibus Dei filius, velut in utero Virginis, incarnatur. ò felices Sacerdotes, si sacerdotaliter vixeritis. ò cæleste misterium, quod per uos pater, & filius, & spiritus sanctus tam mirabiliter operantur super tam ineffabili ministerio vestro, quod vno, eodemque momẽto idem Deus, qui prælidet in cælo, in manibus vestris est in sacrificio: cœlum miratur, horrescit infernus, contremiscit diabolus, reueretur quàm plurimum *angelica* celsitudo. Quid retribuam *domino*, vt taceam de ceteris, quæ tribuit mihi, pro tam singulari dono sacerdotij mihi impenso, quod est datum optimum, & donum perfectum: verbi gratia ille, qui creauit me sine me; creatur, mediante me; & ille, qui ex nihilo cuncta creauit

uit sine me, si fas est dicere, dedit mihi creare se. ò venerabilium sanctitudo manuum, o felix exercitium, ubi tractat Christum Sacerdos Dei filium, cuius deliciæ sunt esse cum filijs hominum. O sacerdotes attendite: Maior est dignitas vobis collata, quàm angelis, qui adorant quod vos conficitis; nec ipsi conficere possunt. O altitudo sapientiæ Dei, o ineffabilis clementia Saluatoris. quod datum non est angelis, concessum est homini. Sacerdos hoc sacramentum ineffabile conficit. Angelus sibi quasi famulus assistit. O quàm venerabile, quàm glorioſum, quàm insigne fuit apud antiquos nomen sacerdotij: sed hodie quid abiectius eo? quid vilius? O sacerdotes, si anima cuiuslibet iusti, sedes Dei est, multomagis sedes, & templum dei esse debetis, mundum, & immaculatum. Si sepulcrum eius glorioſum est, in quo corpus iacuit exanime, glorioſiora & digniora esse debent corpora vestra, in quibus qui à morte suscitatus est quotidie dignatur inhabitare. Si beatus est uenter, qui nouem mensibus Christum portauit: ita, & si non tantum, tamen beata debent esse corda vestra: in quibus quotidie eligit sibi hospitium filius Dei. si beata sunt ubera, quæ paruulus suxit, ita debet esse os beatum, quod carnem eius sumit, & sanguinem fugit. Carnes ergo vestras cum more eius configite: & vobis diligenter prouidete, ne lingua loquendo, quæ vocat de cęlo filium Dei, contra dominum loquatur: & ne manus intingantur in sanguine Christi, polluantur sanguine peccati.

Corpus Masculi in quadraginta diebus, fœminæ uero octuaginta diebus, animatur.

IN quadraginta diebus corpus masculi organizatur, & perficitur, & quadraginta infunditur anima, vt sæpius. Corpus vero fœminæ octuaginta diebus perficitur. octuaginta anima inspiratur: vt sæpius. Sic ergo, si masculum pepererit. quadraginta: si feminam. diebus octuaginta à die natiuitatis partus, à templi arcebatur ingressu. hodie tamen statim ingredi non prohibetur, ne sibi pœna in culpam uertatur. 5. dist. §. hæc simil. & c. se extra. de purificatione post partum. cap. uno uerumtamen. mulier dum sentit sibi imminere dolores partus non intrent in ecclesiam. uel saltem caueat, ne polluat illam. Sacerdos autem mulierem vicinam partui sæpe moneat, vt confiteatur. Itaque cum dolor partus vrgebit eam, sit parata accipere eucharistiam: nam inhonestum est, quòd tempore partus presbyter diu cum ea moretur. Hæc ex summis, & præsertim Panor. cap. si quis de hom. & abortu.

Sed ex mente D. Augustini prius seminatur homo, postea concipitur in vulua, & ibi caro formatur: deinde post dies quadraginta septem creatur anima, & corpori infunditur, secundum sanctum patrem & martyrem Cyprianum, cui in omnibus compellor credere, quia per spiritum sanctum optime locutus est. Hæc ex D. Augustino ad verbum. serm. 25. ad Fratres in Eremo.

Magister autem sententiarum recitat opinionem philicorum, qui dicunt. 46. diebus creari animam: & fundatur ratio super illud Ioan. 2. cap. Quadraginta, & sex annis ædificatum est hoc

templum, & tu in tribus diebus excitabis illud? Hæc vero recitat Mag. sent. lib. 3. d. 3. ex verbis Aug. loco citato super Ioannem, qui quidem Aug. loquitur hic secundum mẽtem Philicorum.

De conceptione puerorum.

MOdo restat tractare nobis de mẽse conceptionis puerorum per influẽtiam stellarum, siue planetarum vsque ad nouem menses, cũ nascitur. Vnde sciendum est, quòd Saturnus primo mense conceptionis pueri infrigidat, desiccat, & plasmat quod est in utero matris, atque coagulat. Iuppiter secundo mense dat spiritum, & membra. Mars tertio mense dat ossa, & interiora componit. Sol mense quarto sanguineam caliditatem, & hepar, & cor perficit. Venus mense quinto, super alia aures, & nares, & faciem, & testiculos adiuuat. Mercurius mense sexto omnia foramina, renes, & linguã ordinat. Luna mense septimo, pulmonem, & membra diuidit per loca sua. Vnde contingit, quòd si puer expleto septimo mense nascitur, erit vitalis: quia omnes planetę in eo operati sunt suam potentiam.

Octauo autem mense fit inuersio ad Saturnum, qui plasmatos sua frigiditate, & siccitate stringit. vnde si puer tunc in hoc nascitur mense, idest, octauo mense, non viuit ille. Nono mense bene erit, quia tunc Iuppiter regnat, qui suo calore in vtero materno, plasmate existente, adiuuat, & viuit. & hæc regula, & ordo nunquam fallit secundum rationem stellarum, & naturam ad earum dispositionem.

EXPOSITIO SVPER Psalmos pœnitentiales.

PRIMVS PSALMVS.

Domine ne in furore tuo arguas me: neque in ira tua corripias me.

DOmine, ne quasi furibundus, & implacabiliter iratus me arguas, aut confundas in nouissimo die: neque quasi iratus iudex in sæueritate iustitiæ tuæ me punias: sed si quando exigentibus iniquitatibus corripere, aut arguere volueris, seruum tuum, quæso, id facias correctione paterna, in amabili misericordia tua, quo modo filios tuos corripere es solitus: non autem in *iudicio sæueræ ultionis* tuæ: quemadmodum illis facies, *quos* in nouissimo, in ira, & furore tuo æternæ damnationis gladio es percussurus.

Miserere mei domine: quoniam infirmus sum, sana me domine: quoniam conturbata sunt ossa mea.

ET quanquam, culpis meis exigentibus, secundum districtionem iustitiæ tuæ duriora commerui; tu tamen pijssime Deus mecum age suauiter, & misericorditer, attẽdens infirmitatem, & fragilitatem meam, quam & ego humiliter agnosco, & tu, qui vides omnia, non ignorans de qua infirmitate, & debilitate te precor, qui solus medicus es, & curator animarum, *vt sanes* languentem animam *meam* per medicinalem gratiam tuam, & peccatorum languores, ac vulnera auferendo, & operando, quæ recta sunt, interius me corroborando: quàmtocius, adhibe medelam. quoniam iam debilitatus sum valde, vsque ad ossa, & omnem

nem virtutem, ita vt uix quicquam in me remanserit virium.

Et anima mea turbata est valde: sed tu domine vsquequo.

ANimæ quoque virtutes debilitatæ sunt valde. neque quantum ex me vlla videtur superesse vis ad bene agendum, vt penitus mihi metipsi diffidens: omnem spem in me cogar proijcere. tu vero domine quou que tandem differes auxilium tuum? Cur tãdiu me miserum relinquis viribus, & consolatione priuatum?

Conuertere domine, & eripe animam meam: saluum me fac propter misericordiam tuam.

OBsecro domine, ne vltra differas, ne tardes amplius, sed ad me iam pœnitentem, conuerte benignum aspectum tuum, quem à me peccante iustè auerteras, & animam meam libera de peccatorum uinculis, de iugo mortis, & captiuitate diaboli, in quo per peccatum meipsum nequiter conieceram: atque his per peccatorum remissionem, & gratiæ tuæ largitionem liberum me facias, ac saluum, non propter mea merita, sed propter magnã, & infinitam misericordiam tuam.

Quoniam non est in morte, qui memor sit tui: in inferno autem quis confitebitur tibi?

ECce enim inter eos, quos mors æterna possidet, nemo est nominis tui, ad te honorandum, adorãdum, vel laudandum: & in profunda inferni fouea non inuenitur, qui uoluntariè laudis confessionem, aut gratiarum actionem det gloriæ tuæ. ubi blasphemijs fletibus, & dentium stridoribus plena sunt omnia, & omnis vox laudis audiri non potest. atque ob hoc, quæ vtilitas erit tibi ex uita mea, si nunc in peccatis persistens in infernum tandem cum illis me demergas? Præstat profecto, vt de morte ad vitam transferas animam meam, vt sic in ea, & nunc, & in perpetuum glorificetur nomen tuum.

Laboraui in gemitu meo, lauabo per singulas noctes lectum meum: lacrimis meis stratum meum rigabo.

ET vt facilius flectatur ad parcendum misericordia tua, vide domine afflictionem pœnitẽtiæ meæ, quemadmodum gemitibus, atque suspirijs propter peccata mea fatigor: neque adhuc cessare uolo, sed per noctes singulas in amara recogitatione peccatorum fletibus abundanter' madefaciam lectum meum, & lacrimis copiosis humectabo locum quietis meæ: etiam nocte, quæ tamen quietis est tempus, lacrimis non abstinens, & neque lectulo, qui est requiei locus, à flectibus parcens.

Turbatus est à furore oculus meus: inueteraui inter omnes inimicos meos.

OCuius quoque interior mentis meæ debilitatus est, & conturbatus à consideratione iræ tuæ, & vindictę, quæ propter culpæ meæ demeritum secundum districtionem iustitiæ tuæ, super me ventura erat; nimium perseueraui, ac veluti consenui in consortio peruersorum dæmonum, atque prauorum hominum, omnium inimicorũ meorum: atque ab eis uelut ad finem deductus sum. Cito enim ad finem perducetur, & consumptus inuenietur, qui inter tam edaciss imos uoratores, vel paululum permanserit. uox eius,

quæ est per luctum, spe ueniæ, & diuini auxilij, per Deum reddita, fidenter pellit aduersarios,

Discedite à me omnes, qui operamini iniquitatem: quoniam exaudiuit dominus vocem fletus mei.

TAndem vero, luctu finito, resumpta in Deo meo fiducia, procul abire iubeo, & quàm longissime à me recedere oēs operarios iniquitatis, cū quibus amplius vltra assimiliari nolo, quibus consensū in malo dare decreui, ac statui: iam enim testimonium mihi perhibente conscientia, confido esse exauditum à domino fletum meum, & lacrimas pœnitentiæ meæ: atque ob hoc indignum fuerit, vt ad ea, quæ mihi iam misericorditer sunt dimissa peccata, iterum turpiter conuertar.

Exaudiuit dominus deprecationem meam: Dominus orationem meam suscepit.

EXaudiuit benignus dominus, qui mortem non vult peccatoris, deprecationem meam, qua illum pro peccatorum dimissione, & languorum curatione sum deprecatus, vt iterum repetam ad gaudium, quod semel dixisse animo lætanti parum videtur, orationem meam non repulit, sed acceptauit, & exaudiuit eam.

Erubescant, & conturbantur vehementer omnes inimici mei: conuertantur, & erubescant valde velociter.

CONfundantur proinde, & conturbantur, & tabescant præ confusione, odio, & inuidia, omnes inimici mei, qui perdere quærebant animam meam: conuertantur, inquam, retrorsum quanto citius, & celeriter ad præsentiam cœlestis auxilij impediantur ab effectu operis sui, ut non potentes præuaricare eo, quod ceperant, turpiter confusi erubescāt: cum me, quem mortis dictioni destinauerant, diuina gratia conspexerint, ad vitam redijsse.

SECVNDVS PSALMVS.

Beati, quorum remissæ sunt iniquitates: & quorum tecta sunt peccata.

ILLI vere beati sunt, nunc quidem certa spe, in futurū perfecta fruitione, quibus Deus per suam misericordiam omnia peccata dimisit, indulgentiamque, & veniam concessit omnium peccatorū, quibus illum offenderant, & quibus rei tenebantur ad perditionem mortis æternæ. illi, inquam, quorum peccata per remissionem plenariam ita sunt tecta, & operta peccata, ut ea Deus vltra non aspiciat, non recordetur amplius: suntque veluti post tergum proiecta, & per obliuionem deleta.

Beatus vir, cui non imputauit dominus peccatum: nec est in spiritu eius dolus.

BEATI sunt homines illi, quibus Deus ita perfectam concessit peccatorum omnium remissionē, ut nullū omnino peccatū in eis ipse cognoscat illi, inquam, qui non solum externus nullum habent apparens crimen, sed neque latentis prauitatis quicquam habent in corde absconditum: nam qui exteriorem tantum iustitiæ apparentiam custodiunt, ita ut illis homines, ea quæ foris parent solum videntes, nullum queant imputare peccatum, hi

uere

vere beati non sunt. tametsi falso sibi id persuadeant, eo quòd in corde interius lateant, & in spiritu, quæ illis Deus cordium inspector imputat in peccatum.

Quoniam tacui: inueterauerunt ossa mea: dum clamarem tota die.

EGO vero, quoniam tacui, dissimulans agnoscere, & confiteri peccatum meum, quo onusta erat conscientia, consenuerunt, & aruerunt ossa mea, & omnes vires defecerunt, & robur omne abscessit, & omnis vigor spiritus, qui in me erat, assumptus est, quemadmodum cum homo ad ossa vsque consumitur. tametsi iugiter per omnem diem absque cessatione ad dominum clamarem, poscens auxilium. donec enim tacemus, donec dissimulamus, donec excusare uolumus, donec aperte nolumus confiteri domino quæ latent intrinsecus in abscondito cordis nostri, non est Deo excusabilis nostra oratio, quantumuis clamemus voce, quantumuis ore, & exteriori gestu Deum postulauerimus.

Quoniam die, ac nocte grauata est super me manus tua: conuersus sum in ærumna mea, dum configitur spina.

VEruntamen tu domine, qui de salute mea semper es sollicitus, vt me ad pœnitentiam, peccatique agnitionem, & confessionem perduceres, aggrauasti super me manum tuã. graues mihi afflectiones sunt ex tua ordinatione, siue internas, siue externas immittendo: & ego in afflictione huius mundi positus. agnoscens vltricem manum tuam, conuersus sum de peccato pœnitentiam agens, ad te dominum meum, Deum meum, à quo per peccatum fueram auersus, dum remorsus ille conscientiæ ad modum spinæ continuo pungit mentem: ac veluti infigitur carni spina rubi ad pungendum, ita infigitur animæ, ut eam diuexet, ac laceret.

Delictum meum cognitum tibi feci: & iniustitiam meam non abscondi.

ITaque velut compulsus hac tortura; atque carnificina malæ conscientiæ; & tali cõpunctus stimulo agnoui, quia tu domine esses, qui me requirebas ad pœnitentiam, sicque meum peccatum; quod vsque tunc vel excusando, uel dissimulando tacueram, per agnitionem, & confessionem ipsum tibi manifestaui: & iniustitiam, quam aduersum te commiseram, non vltra celaui, neq; reticui, sed palam eam ante conspectum tuum proposui, & accusaui.

Dixi confitebor aduersum me iniustitiam meam domino: & tu remisisti impietatem peccati mei.

MOX vero ubi peccatum agnoui, tanta fuit erga me tua pientissima misericordia, ut statim ad propositum cordis mei, cum iam proposuissem in corde meo peccatum confiteri, ac me meipsum accusare, tu statim adesse dimittens mihi impietatem peccati mei, tanquam si tes expectans ad miserendum mei.

Pro hac orabit ad te omnis sanctus: in tempore opportuno.

PRO hac autem impietate peccati mei, quemadmodum mihi fuit necessarium pœnitere, & remissionem postulare: ita necesse est omnem eum, qui sanctificari voluerit in hoc mũdo,

fre-

frequenter orationem facere ad te domine, cui soli peccant homines: donec ad exorandum est tempus opportunũ, donec in hoc tempore acceptabili, in hac die salutis exaudibilis est oratio: quisquis enim in hoc mundo viuit, nõ sine quotidianis degit offensis, pro quibus per singulos dies, donec tempus est miserendi, in recollectione mentis positus, lacrimas, & orationem fundere debet, remissionemque petere, qui in sanctitate, & iustitia tibi domine cupit placere: siquis enim dixerit: quia peccatum non habet, pro quo oret, se ipsum seducit, & veritas in eo non est: atque etiam si propriam quis impietatem non habeat, pro cuius remissione debeat orare, habet nihilominus peccata proximorum: quæ tanquam propria quilibet uere sanctus debet in oratione deflere, & pro eis remissionem ab ste postulare.

Verumtamen in diluuio aquarum multarum: ad eum non approximabunt.

QVi tamen Sanctus est, dum ita per quotidianam orationem se se continuo purgare studet, & sanctificari adhuc per hanc continuam bonam exercitationem seruabitur, ut nũquam pondere peccatorum prorsus ualeat obrui, atque demergi in profundum: ita si etiam inundantes tentationes in mundum copiosarum aquarum magni diluuij excreuerint, non sit ad illum appropinquandum, sic ut illũ obruere ualeant: aut prorsus in perditionem demergere: qui enim à quotidianis delictis sese continuo emendare satagunt, hi non facile, uel grauissimis tẽtationibus prorsus succumbũt, quemadmodum è contrario qui nunima negligunt agnoscere, & confiteri, ac quotidiana delicta tacent, & ante conspectum tuum, domine Deus, confiteri dissimulant: paruipendunt, & emendare non laborant, propter peccandi consuetudinem, & prauam habitudinem, cum graues tentationes illis aduenerint, facile etiam peccatis mortis obruuntur: immo etiam leuibus tẽtationibus facile succumbunt.

Tu es refugium meum à tribulatione, quæ circumdedit me: exultatio mea erue me à circundantibus me.

TV es domine, ad quem confugio in omni tribulatione, quæcunque me circumdederit, apprehenderit: tu es meum tutissimum refrigerium, ad quem semper in aduersis omnibus habeo recursum, nihil dubitans de tuæ misericordiæ fidelitate: modo ego fideliter tibi confitear iniquitatem meam: tu domine, qui es meum gaudium, in quo exulto, & glorior in spiritu meo, libera me ab inimicis meis, qui me ab omni parte, & plurimi, & ad decipiendum sollicitissimi circundant.

Intellectum tibi dabo, & instruam te in uia hac, qua gradieris: firmabo super te oculos meos.

REsponsio diuina, non quidem hoc tibi ego polliceor, ab omni tribulatione, & malo sic te liberare postulantem, ut nihil omnino mali persentias: sed hoc dabo, quod tibi ad salutẽ satis erit: dabo tibi ego ipse intelligentiam præceptorum meorum, atque eorum, quæ tibi eruat ad placendum mihi necessaria, & docebo te, siue vnctione mea interna, siue etiam doctrina exteriore, in via ista iustitiæ, quam tu

am-

ambulare proponis:& in lege mea,secũdum quam tibi viuendum erit,si mihi placere uelis:ponam etiam super te & firmiter ponam benignum aspectũ meum neque illum à te amouebo, donec perstare volueris in hoc proposito iustitiæ,habebo semper ad te piũ aspectũ, ut sim tibi quasi custos,protector, & prouisor in omnibus, ne quicquam tibi possit aduersum contingere: quẽadmodum solet bonus pastor super gregem firmatos habere oculos, & pater super filium dilectum.

Nolite fieri sicut equus, & mulus: in quibus non est intellectus.

PRopterea filij hominum, cum ego tam parato sim erga vos animo ad benefaciendum:ne uestro vitio, uia veritatis relicta, similes efficiamini irrationabilibus animalibus, ne uestro honore contempto, in quo creati estis, uos ipsos comparetis iumentis insipiẽtibus,equis,atque mulis,in quibus nullus est intellectus,quo ducantur:nulla rationis regula quadrigantur: quæ solo agitãtur affectu sensuali, quòcunq; ille pertraxerit,pergunt: sed intelligite magis dignitatem conditionis vestræ, & tanquam rationales creaturæ, ac spiritu,non carne viuere curate, secundum ducatum rationis, illuminationisque & eruditionis meę.

In camo, & fræno maxillas eorum constringe:qui non approximent ad te.

QVia vero multi iam suæ dignitatis obliti, iumentis assimilantibus ad uocem exhortationis tuæ obsurdescunt,nec audiunt te domine:dulciter monentem, suauiter vocantem. rti ecro te domine,ut ij,qui ad te conboudisimulant, non quod dulcibus tuis exhortationibus,& pollicitationibus ad pœnitentiam commouentur,vt eiusmodi, inquam, uel aduersitatum præscius ad te cogas,ac veluti per vim compellas reuerti ad eũ modum, quo equi, & muli solent frænis, & camis constringi, & cogi ad facienda opera hominum, quæcunque ipsi voluerint, ad quæ alioquin induci non possunt.

Multa flagella peccatoris: sperantes autem in domino: misericordia circundabit.

O, si cognoscerent, qui Deo approximare nolunt, quanto iuxta veritatem sit melius homini iusto, quàm peccatoribus: nam homines quidem peccatores, tametsi florere videantur in hoc seculo, multa tamen expectant flagella,& tormenta varia, eaque æterna, quibus cruciabuntur in seculo futuro: atque etiam modo ex mala conscientia veluti perpetuum sustinent flagellum,purgationẽ,ac stimulum,& in omnibus obuenientibus necessitatibus, atque aduersis multum torqueri illos videmus: dum consolationem interiorem diuinam nesciunt: propter quod etiam minima ferula facile commouentur, & vehementer affliguntur: qui autem domino seruiunt,& non norunt in eo cõsolationem accipere, hos misericordia ex omni parte circuncinget, & in futuro quidem seculo perfecta,atque plenissima,& in præsenti nihilominus sufficiens admodum,quantum præsentis vitæ conditio patitur.

Lætamini in domino, & exultate iusti: & gloriamini omnes recti corde.

PRoinde duos serui Dei excelsi; quicunque in sanctitate,& iustitia Deo vestro seruire laboratis, lętari merito

merito debetis in eo: & perfecta lætitia exultare: & uos, quicunque estis recti corde, mundi spiritu, in rectitudine iustitiæ, & mandatorum Dei ambulantes: omnia deuia, omnia tortuosa malorum fugiētes, uos, inquam, decet iure in domino magnifice gaudere, in misericordia eius; qua circundabimini; & à peccatorum flagellis saluabimini in uitam æternam.

TERTIVS PSALMVS.

Domine ne in furore tuo arguas me. neque in ira tua corripias me.

DOmine implicabili illo furore, quem exhibebis, atque demostrabis in omnes impios in die iudicij tui, à quo nemo saluare impium poterit, ne tum simili cum illis sententia arguas me: & in sæuera illa vltione tua, in terribili illa vindicta iræ tuæ, ne sentiam correctionem & formidabilem sententiam tuam, quam experientur omnes, qui in impietatibus suis perseuerauerunt.

Quoniam sagittæ tuæ infixæ sunt mihi: & confirmasti super me manum tuam.

IDcirco autem iram tuam formido, & deprecor domine: quoniam punctura timoris tui iam stimulare cæperunt animam meam, dum reuoluo peccatorum meorum magnitudinem: quēadmodum sagittæ cum infiguntur in carnem, stimulant vehementer, & affligunt eam: & tu extendere iam cæpisti, atque aggrauare super me vltricē manum tuam, ex qua etiam nunc istos malæ conscientiæ stimulos, atque torturas graues me sentire percipio, quæ si modo ita mihi grauis est, ut affligar vehementissime, quanto erit intolerabilior tunc, cum in immensum vltionē faciet grauiorem? merito ergo domine iram tuam ego formido, & à facie implicabilis tui furoris iure ego, dum tēpus est miserendi, expauesco.

Non est sanitas in carne mea, à facie iræ tuæ: non est pax ossibus meis: à facie peccatorum meorum.

ECce nunc iam in carne mea non est sanitas, nihil est integrum propter iram tuam, & indignationem, quā per peccata mea scio iuste contra me prouocatam: sed totus quasi lāguidus, & mala distemperantia animi ægrotans: deficio ita, ut præ dolore, & languore vix mihi libeat vltra viuere: nullam pacem habent ossa mea, vniuersæ vires corporis, & animæ cōmotæ sunt, & conturbatæ propter peccata mea: per quę cum me sentiam tuam iram iuste commeruisse, non possum ullam præ timore, & horrore habere requiē: & omnia prorsus, quæ intra me sunt, per istam pessimam peccati deordinationem, velut in magna conturbatione, & indispositione sunt constituta: & tumultu insolito atque ordinatione mirabili voluuntur intra me imaginationes, cogitationes, & affectiones meę absque vllo ordine, & compositione solita, nullam mihi permittentes pacem cordis mei.

Quoniam iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum: & sicut onus graue grauatæ sunt super me.

ECce enim peccata mea, quę hactenus dissimulaui, quæ hactenus operui, aut excusaui, confiteri quoque, & emendare neglexi: iam eo excreuerunt

runt, vt etiam supergradiantur caput meum: ita vt iam spiritum habeant, mentem dico, & voluntatem; pessundatum, illumque uelut superauerint, & ad sensualis appetitus concupiscentiã inflexerint, immo huius seruituti illum uelut subiecerint, & paulatim crescentia facta sunt super me grauiora, & ponderosa ualde, quemadmodũ onus magnum dorso alicuius, vt capiti impositum, ita vt dissumulare vltra non possit, nec ferre vltra ualeam.

Putruerunt, & corruptæ sunt cicatrices meæ, à facie insipientiæ meæ.

INsuper & cicatrices meorum vulnerum renouatæ sunt, & semel sanitas vulneribus iterum ceperunt pericolosius subtus carnem exurgere, hoc est: peccata mea aliquando dimissa, & per pœnitentiam sanata, reiteraui, & non cauens, factus sum, quàm ante fueram, deterior, & ægrotans periculosiori vulnere: idque propter insipientiam meam, quoniam videlicet, ita insipienter vulnera illa priora feci recrudescere: & quæ semel planxeram, stultus ego iterum resumere non metuebam.

Miser factus sum, & curuatus sum vsq; in finem: tota die contristatus ingrediebar.

HIS modis vsque ad finem, idest nimium, & vehementissime quãto ferre poteram, miserijs uarijs, & magnis afflictus fui, & totus incuruatus sub pondere miseriarum vsque in finẽ, ita vt mihi uidear amplius ferre non posse, atque ita horrore conscientiæ perturbatus, & peccatorum turpitudine conteritus iugiter uersabor in magna mœstitia, & desolatione.

Quoniam lumbi mei impleti sunt illusionibus; & non est sanitas in carne mea.

NAm lumbi mei, in quibus luxurioſi affectus est sedes, pleni erãt fœdissimis motibus, quibus mirum in modum mihi illudebatur: & magna me afficiebant ignominia, dum ex eis fœdas, bestiales, & omnino inordinatas commotiones exurgentes, & tiránizantes persentirem in meo corpore: plane non est sanitas in carne mea, nulla est debita compositio, nulla est rectitudo, nulla rectitudinis proportio: sed disseparata, incomposita, confusa, & inordinata sunt omnia. postea enim quam spiritus meus eam, quam tecum habet, o domine Deus, rupit confœderationem, cœperunt, non solum quæ in anima; sed quæ in corpore omnia confundi: suam compositionem dissoluere, à sua confœderatione discedere, tumultibusque misceri, quod malum in dies augmentum sumens uehementer iam aggrauatum sentio.

Afflictus sum, & humiliatus sum nimis, rugiebam a gemitu cordis mei.

ITa ego malis multis, & magnis afflictus sum, & vultione tua domine in magna humilitate, despectione, atq; miseria constitutus; atque ita vexatione dantes intellectum, recogitans in amaritudine animæ meæ peccata, quibus te offendi, in spiritu contribulato, & corde contrito, atque humiliato cœpi edere gemitus, atque suspiria, ita vt pro gemitu clamorem, & iam magnum per os immundum rugitus emittere, affectu maximo à te ueniam precando peccatorum meorum.

Domine ante omne desiderium meum; & gemitus meus a te non est absconditus.

DOmine, qui omnia nosti, qui inspicis, & probas corda filiorum hominum, qui desideriũ pauperum exaudis: tibi apertum est omne desiderium cordis mei, quo desidero vitam in peccatis male actam tuæ gratiæ auxilio corrigere, tibique amodo fideliter seruire: gemitus meus, ac crebra suspiria eximo cordis educta pro peccatis, quibus te ita multum, & multipliciter offendi, non te latent: non sunt coram te abscondita: sicut tu ea nosti: ita ea tibi absque dissimulatione cõfiteor suppliciter poscens ueniam.

Cor meum conturbatum est in me, de reliquit me virtus mea; & lumen oculorum meorum, & ipse non est mecum.

COnturbatus est prę horrore in me spiritus meus, & omne robur meum discessit à me, uixq; in me quicquam remansit virium: ablata est à me fortitudo mea ad bene agendum, & ea, quam habere solitus fueram, & quam habere debueram: ipsum quoque lumen mentis meæ, quo videre solebam, & alios etiam illuminare (siue ipsum lumen naturalis iudicij, siue etiam lumen gratiæ tuæ) non ultra in me est, sicuti solet: sed magna ex parte per peccatorem fœditatem obscuratum, obnubilatum, atque obtenebratum est: ita vt solum iamquę bona sunt, non valeam agere: sed vix etiam cognoscere, & iudicio discernere.

Amici mei, & proximi mei aduersum me appropinquauerunt: & steterunt.

PRæter hæc vero, quæ intrinsecus patior, grauia nimium tormenta, etiam extrinsecus mihi affectio accedit, cum me à peccatis voluero ad te conuertere. illi enim, qui prius me diligebant, tanquam amici, & proximi mei, cum illis essem in peccato *socius*, videntes, quòd me velim à vijs ipsorũ prauis separare, facti sunt mihi aduersarij: appropinquauerunt mihi, & statuerunt se ex aduerso contra me, ut obsisterent meo proposito, illudque valenter, quantum possent, impediret.

Et qui iuxta me erant, de longe steterunt, & vim faciebant qui quærebant animam meam.

ET qui mihi proximi erant *noti*, atque amici elongauerũt se à me, & elongati, ita steterunt contra me: quærentes animam meam perdere, & in mortem me trahere, viri intulerunt mihi, & grauem suscitauerunt persequutionem.

Et qui inquirebant mala mihi, locuti sunt vanitates: & dolos tota die meditabantur.

ET qui mihi mala cupiebant, qui me in peccatis fouere laborabant, & à proposito bono ex tuæ manus visitatione concepto, auertere ipsi proposuerunt, & suggesserunt vanitates: iterum mihi proponentes peccata pristina, seculique pompas, & delicias: ex aduerso autem difficultates in Dei seruitute obuenturas aggrauantes, & iugiter tota die dolos, & fraudes excogitabant: quibus me possent decipere, & à recto remouere.

Ego tanquam surdus non audiebam: & sicut mutus non aperiens os suum.

EGO verò, ut pote, qui iam tuę manus uisitatione edoctus essem, & tuo timore medullitus cõfixus, in proposito pœnitentiæ persistens immobilis, obsurdescebam ad omnia; quę illi proponebant: & quasi surdus fuissem, ita ut nihil permotus illorum dictis, siue blandis, siue comminatorijs. & quemadmodum mutus omnino loqui nescius: ita nihil illis responsi dabam ad vllum consensum, iam enim firmo virtutis, & pęnitentiæ proposito, animum meum contra illorum impias obiectiones penitus obfirmaueram.

Et factus sum sicut homo non audiens: & non habens in ore suo redargutiones.

SIcque me ipsum feci propter virtutis propositum, quasi surdum, & mutum: per inde ac si nihil audirem eorum, quę ipsi proponebant: nihilque habere, quod illis responderem, aut quo illorum uanas propositiones confutarem.

Quoniam in te domine speraui: tu exaudies me domine Deus meus.

ATque hæc quidem idcirco feci domine, quoniam in te iam ceperam constituere spem meam: propter quod ab omnibus illorum vanitatibus volebam prorsus auertere animum: neque dubito, quin tu misericordiarum pater, pro tua benignitate sis exauditurus me pauperem, & afflictum seruum tuum: spiritu contribulato, ac humili, contritoque corde, tibi supplicantem, & totum se tibi plena fiducia committentem.

Quia dixi: nequando supergaudeant mihi inimici mei: dum commouentur pedes mei, super me magna locuti sunt.

DIxi enim in corde meo: uolo, dum tempus est, in domino ponere spem meam, ut per eum possim fieri saluus à rabie inimicorum meorum: nequando ipsi de mea gaudeãt, si mihi prævaluerint, suamque de me uideant impleri voluntatem: cum enim uel modicum incipiunt moueri à recto pedes mei, statim exultantes magna, & superba loquuntur aduersum me, quasi suo uoto positi, sed ante victoriam (ut spero) canunt Triumphum.

Quoniam ego in flagella paratus sum: & dolor meus in conspectu meo semper.

ET quidem, quod ad te attinet domine, ego conscius magnitudinis peccatorum meorum, paratum me offero ad disciplinam, & correptionem sufferendam, prout misericors iustitia tua dictauerit, & expediens cognouerit: non refugio ad te domine pro peccatis meis disciplinam suscipere correctionis, sciens quòd grauiter peccauerim in cœlum, & coram te, ut iam non sim dignus lætari tecum ut filius, sed potius flagella sustinere, ut seruus malus, & fugitiuus: imò, & ipse uolo propter iniquitates meas dolere, & pœnitentia me ipsum affligere, & dolorem meum seruare volo semper, donec viuam, nunquam prorsus obliuioni daturus iniquitatem meam: uoloque in hoc dolere, & afflictione hac pœnitentiæ persistere, usque dum tua me consolatione ab eo releuare dignaberis.

Quoniam iniquitatem meam annunciabo: & cogitabo pro peccato meo.

NAm iniquitatem meam ego ipse confiteri paratus sum, & celare volo: sed me ipsum in aperta confessione paratus sum accusare: & recogitabo in amaritudine turpitudines peccati mei, & pro eo me affligam: ero quoq; memor, donec viuam, peccati mei, atq; etiam postquam tibi placitum fuerit dimittere, mihi tamen iustum erit sub inde recordari, & recogitare, quàm à te olim fuerim elongatus.

Inimici autem mei uiuunt, & confirmati sunt super me, & multiplicati sunt, qui oderunt me inique.

QVamquam autem ita per omnia tuæ voluntati me subijciam, & à te paratus sim, quicquid decreueris correctionis, libenter suscipere: inimicorum tamen meorum rabiem metuo, & ab illis per te saluari oro: melius iudicans in manus tuas incidere, tuaque manu corrigi: quàm illorum potestati tradi: ut per eos morte interficiar: ipsi autem hi inimici mei adhuc supersunt, neque desistunt me male persequi, & contra me fortitudine, & violentia confortati, ac corroborati insuper, & numero multiplicati sunt, qui me falso, & sine causa odiunt, & persequuntur, malum quærentes paupercula: animæ meæ.

Qui retribuunt mala pro bonis, detrahebant mihi: quoniam sequebar bonitatem.

ECce homines ingrati, qui pro bonis mala retribuunt, ipsi mihi aduersati sunt, impietatis negocio: & cũ ego nihil illis nisi bonum exhibuerim, nunc vicissim mala mihi rependere laborant, detractionibusque, & contumelijs molesti fuerunt mihi. propterea q ab illorum prauo consortio me ipsum segregãs, uiam eligere uirtutis, eamq; deinceps ambulare uolo.

Ne derelinquas me domine Deus meus: ne discesseris a me.

QVanto vero illi magis mihi aduersantur, tantomagis, te, piissime domine Deus meus, precor, mihi fieri propitium, ut in tantis malis, quæ ego partim intrinsecus fero, partim à foris sustineo, miserum me, & tam multis modis afflictum nunquam derelinquas: neque te ipsum à me sic elonges, ut absque tuo auxilio in tantis me periculis relinquas.

Intende in adiutorium meum: domine Deus meus salutis meæ.

QVin potius, ut tuam misericordiam decet, intentus esto ad auxilium mihi, & cogita de impendendo mihi adiutorio tuo, domine Deus saluator meus: vt qui mihi ipsi in tantis difficultatibus prorsus diffido, possim me inde eluctari, tua gratia valeá exitum bonum, & finem beatum inuenire. Amen.

QVARTVS PSALMVS.

Miserere mei Deus; secundum magnam misericordiam tuam.

SI quidẽ potentissime Deus, iuxta sæueritatem districtionem, quæ iustitiæ tuæ nunc mihi velles reddere, qui tam fœdissime prolapsus sum: non esset reliqua mihi spes vlla salutis: atque iccirco ad benignitatem misericordiæ tuæ, subq; eius alas potius confugiens supplici-

ter

ter te rogo, vt per misericordiam tuã mei tunc miserearis, neque in gratiam recipias, neque uero hoc vel impossibile est, uel incongruum misericordiæ tuæ: quoniam sicut magna est mea, in qua nunc fæteo, miseria, ita magna omnino, & maxima est misericordia tua, adeo vt nulla sit tam grauis iniquitas, & peccati miseria: quam nos purgare ualeat humiliter implorata tua suauissima, latissima, & potentissima misericordia.

Et secundum multitudinem miserationum tuarum: dele iniquitatem meam.

QVantas vero à patribus nostris audiuimus miserationes tuas, & multas, & magnas, quibus pepercisti à seculo humiliter pœnitentibus, adeo vt sint miserationes tuę super omnia opera tua? iuxta multitudinem itaque istarum miserationum tuarũ nunc hoc abste humiliter peto, vt peccata mea non recorderis amplius ad iudicium vltionis, sed penitus deleantur à conspectu tuo.

Amplius laua me ab iniquitate mea: & a peccato meo munda me.

VEhementer me polluit, & commaculauit turpitudo peccatorũ meorum; Primum quidem adulteriũ, deinde multo etiam fædius innocentis occisio. & ideo me pluribus rationibus fædatum, plurimum ac diligenter laua ab iniquitate mea: totum me facias mundum in perfecta remissione peccatorum meorum.

Quoniam iniquitatem meam ego cognosco: & peccatum meum contra me est semper.

SI nollem agnoscere, aut dissimulare uellem, siue excusare peccatum meum, iuste non inuenirem apud te misericordiam. nunc autem ecce iniquitatem meam nec dissimulo, nec excuso, sed agnosco, detego, & accuso ante faciem tuam: & peccatum meum, quod mihi modo ad tempus miserabiliter placuit, & ob cuius complacentiam tua præcepta neglexi, ex nũc odio habere, & detestari volo, habeboque odio, & detestabor omni tempore: & quoties recordabor, semper execrabor illud: eroque memor, donec viuã, ad mei humiliationem, & tui nominis glorificationem.

Tibi soli peccaui, & malum coram te feci: vt iustificeris in sermonibus tuis.

NON est, neque in cęlo, neque in terra præter te, ad quem spectet iudicium de peccato meo: hoc remittere, uel retinere, indulgere, uel punire: sed tibi soli, vt iudici, & cognitori omnium humanarum actionum, peccaui, & malum, quod coram te feci, uelis dimittere: quia potes. Itaque miserere mei, & dele iniquitatem mihi confitenti: si enim feceris, quod postulo, consequetur exinde gloria tua, vt inueniaris, & comproberis iustus, fidelis, ac verax in uerbis tuis, quibus pollicitus es misericordiam tuam ad te reuertentibus ab iniustitia sua: & sic uinces tu, ac superabis illorum calumnias, qui te calumniantur, quasi in fidelem, iniustum, aut nimium crudelem scelerum ultorem: sicque te, vt iniustum, infidelem, & in promissis uanum arguerent; simili peccatum nolles dimittere: vincentur autem, & confundẽtur, si, post quam mihi iam ita grauiter lapso præstiteris misericordiam, adhuc pergant te, vt in iustum, aut nimium cru-

crudelem, aut non veracem calumniari.

Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum: & in peccatis concepit me mater mea.

SIT etiam iustitia tua ad miserendum figmenti nostri, & ad peccatorum dimissionē facilior: illud, precor, considera, & attende, quemadmodum originali peccato concipitur homo in utero matris suæ, quæ corruptio humano generi congenita, iniquitatum omnium fomes est, origo, & seminarium, atque ita in peccatis modo quodam concipitur, & nascitur, eo quod ab ipsa conceptione indita nobis est hæc prauitas, & ad malum omne pronitas.

Ecce enim veritatem dilexisti; incerta, & occulta sapientiæ tuæ manifestati mihi.

RVrsum vero ex altera parte veritatem tibi obijcio, quam & in te diligis, & in seruis tuis requiris, quæ etiam iustitiam tuam modo quodam compellit, misericordiam non potest denegare suppliciter poscentibus, quemadmodum habent promissiones tuæ. tu enim mihi nota feci sti incerta, idest occulta consilia, iudicia, atque decreta sapientiæ tuæ, quæ non sunt passim omnibus certa, siue manifesta, & cognita. & ob hoc, licet peccauerim, non tamen despero: quemadmodum faciunt, qui ignorant decreta misericordiæ tuæ; & hæc autem, quæ olim de misericordia tua, te familiariter reuelante, cognoui; nunc tibi fiducialiter propono, nempe humani generis naturalem infirmitatem, & promissionis tuæ infallibilem veritatem, hoc est peccatorum meorū remissionem.

Asperges me domine hyssopo, & mundabor; lauabis me, & super niuem dealbabor.

SIcut autem iuxta legis ritum, qui à corporali lepra mundatur, hyssopo aspergitur: sic tu, summe sacerdos, (ad te enim spectat illius *corruptissimæ* lepræ, quæ inuasit spiritum meum, emundatio) hyssopo tuo asperge, idest sanguine tuo de cruce perfunde, ad emundationem animæ meæ: tu me laua à sordibus peccatorum meorum, vt tuis efficiar candidus, sic quasi nulla in me unquam fuisset macula: quemadmodum in niue candidissima, nulla penitus nigredinis valet macula conspici.

Auditui meo dabis gaudium & lætitiam; & exultabunt ossa humiliata:

FAc me audire, quæso te, uocem gaudij, & lętitiæ. loquere quod oblectet aures animæ meæ: loquere spiritui, qui est intra me, & dic illi: Dimittuntur tibi peccata tua. Vade in pace. Fides tua te saluam fecit à peccatis tuis: sicq; reuirescent, vigoréque, & virtutem resument, ex consolatione spiritualis gratiæ, omnia ossa corporis, & uniuersæ vires animæ meæ, exilientque prompta, & parata ad laudandum, & seruiendum tibi: & quæ uelut mortua torpebant, redeunte spiritus gratia, reuiuiscent in gaudio.

Auerte faciem tuam a peccatis meis: & omnes iniquitates meas dele:

NOli vltra aspicere peccata mea, aut recordari, quasi non dimissa, sed prorsus obliuiscere, & proijce post tergum tuum, penitusque dimitte omnes iniquitates meas: quas siue modo re-

recenter commisi, siue olim commissas, modo per occasionem recordor.

Cor mundum crea in me Deus: & spiritum rectum innoua in visceribus meis.

EXpulsa vero omni peccatorum malitia, cor nouum, animam nouam, & spiritum nouum da mihi Deus; pro immundo mundum, pro iniusto iustum, & animam istam, mala peccatorum vetustate consumptam, ac velut nihil factam, innoua, & per iustitiam rectam mihi commutare digneris in intimis meis, spiritumque meum, qui sub pondere peccatorum, & malæ concupiscentiæ tractu, atque consensu vehementer fuerat incuruatus, ad congruam, & tibi placentem restitue rectitudinem.

Ne proijcias me a facie tua: & spiritum sanctum tuum ne auferas a me.

NON me permittas, pater pijssime', sic iacere proiectum à gratia tua, sicque à te remanere separatum, & nunc ire retro post tergum tuum, & esse in numero impiorum hominum, quos non respicit benignus aspectus tuus: tuum sanctum spiritum, quo tibi iungi, & grauatus esse solebam, ne mihi vltra deesse patiaris: atque, cum reddideris, amplius auferri non sinas.

Redde mihi lætitiam salutaris tui: & spiritu principali confirma me.

REstitue nunc midi lætitiam illam salutarem spiritus mei, quæ mihi olim iugis erat indeficiens: & munifico illo, ac regio, potentique, & super admirabili tuo spiritu, me ita in omnibus vere bonis confirma, ut in perpetuum à te non valeam separari: qui sis mihi dux, & princeps, adiutor, liberator, atque director in omnibus vijs meis.

Docebo iniquos vias tuas: & impij ad te conuertentur.

CVM vero mihi misericordiam hanc præstiteris; id, quod tibi gratissimum esse cognouero; pro gratitudine sedulo persoluam, tam verbo salutaris correptionis, exhortationis, & eruditionis, quàm exemplo sanctæ cõuersationis, docendo eos, qui iniquè agunt, viam præceptorum, atque iudiciorum tuorum: & qui nunc sunt impij mea eruditione, per gratiam tuam ab impietate sua auersi, ad tuam seruitutem, tuorumque mandatorum obseruatione se se conuertent.

Libera me de sanguinibus, Deus Deus salutis meæ: & exultabit lingua mea iustitiam tuam.

LIbera me Deus omnium, Deus, qui solus me saluare potens es à corruptionibus peccatorum meorum, quæ in carne, & sanguine inhabitant: & cum fuero liberatus ab eis, præ abũdantia gaudij spiritus mei, exultando, collaudabit etiam lingua mea iustitiã, & veritatem tuam: quoniam iustus, fidelis es, & verax in promissionibus tuis.

Domine labia mea aperies: & os meum annunciabit laudem tuam.

NVnc quidem vinculis peccatorum concluſa fuerunt labia oris mei, vt non valerent tibi cantare speciosam laudem; sed vbi tu vinculis disruptis aperueris ea, statim gaudens os meum pro exhibita misericordia, canticum, siue psalmum laudis de cantabit tibi: os enim, quod peccator claudit, iniquitatem operando, tu peccatorum remissione

missione aperis, ut digne laudetur misericordia tua.

Quoniam si voluisses, sacrificium dedissem vtique: holocaustis non delectaberis.

ECce autem paratus sum pro peccatorum expiatione, quodcunq; voueris, offerre sacrificium, & quidem si corpore sacrificium aliquod præcepisses: aut iniunxisses mihi, aut exegisses à me, siue requisisses, libentissimo animo vtique obtulissem: sed holocausta corporalia non sunt, quæ tu requiris, aut in quibus sit tibi per se placitum, quasi per virtutem illorum expientur peccata pœnitentium.

Sacrificium Deo spiritus contribulatus: cor contritum, & humiliatum, Deus, non despicies.

VErum autem sacrificium, tibique per se gratum, quod pœnitens peccator pro remissione consequenda, offerre possit, & debeat, quod semper tibi erit placitum, anima est pœnitens, pro commissis dolens, & afflicta, & licet in uenturo tempore gratiæ futurum sit, ut euacuentur legis corporalia sacrificia, nunquam tamen futurum est, vt sacrificium spiritus per contritionē, & agnitionē suæ culpæ humiliati abijcias: sed permanebit. Hanc tibi semper acceptissimam pro peccatis hostiam, atque hanc ipsam tibi, quando quidē alia non postulas, offero pro peccatis meis.

Benigne fac domine in bona voluntate tua Syon: vt ædificentur muri Hyerusalem.

COncepta tamen fiducia, tandem de remissione peccatorum meorum, etiam generalem audeo pro vniuerso populo electorum tuorum: (& qui nunc est, & quem mihi venturum demonstrans) deprecationem facere, nimirū, vt benigne facias ciuitati Syon, ideſt secundum benignitatem misericordiæ tuæ, non secundum *ſæueritatē* iustitiæ agas cum populo *tuo electo*, & fideli, qui te cognouit, aut cognituros est, tibique seruiturus in hac militanti ecclesia: sic enim ædificabuntur muri supernæ Hyerusalem, & complebitur cœleste illud ædificium, quod ex viuis componitur lapidibus, qui hic in misericordia Dei aptantur, suo tempore in muros ciuitatis illius cum ceteris beatis coædificandi.

Tunc acceptabis sacrificium iustitiæ, oblationes, & holocausta: tunc imponent super altare tuum vitulos.

CVM vero hoc ædificium consumatum fuerit, atque completum illic sacrificium acceptissimum iugis gratiarum actionis, & laudis indeficientis ab omnibus cæli ciuibus, tibi *of*feretur sacrificium vtiq; iustitiæ, quod tibi æquum, & iustum est offerri præ omnibus, quod tu acceptabis, vt oblationes, & holocausta gratissima: tunc vero tibi, & delicatissimos illos uitulos labiorum confitētium nomini tuo, ideſt, perpetuam laudem omnibus vitulis acceptiorem, offerent, & præsentabunt super altare ante conspectum tuum sine fine, in secula seculorum; Amen.

QVIN-

QVINTVS PSALMVS.

Domine exaudi orationem meam : & clamor meus ad te ueniat.

DOmine Deus meus, cuius misericordia semper miseris, & afflictis est refugium ; quæso, vt orationem meam istã, qua nunc oro ad te conspectum tuum in amaritudine afflicti, & contribulati spiritus dignanter exaudias: vtq; meus iste clamor, quo ex cordis magno affectu ad te in oratione clamito, introgradiatur vsque ad sacrarium exauditionis tuæ, ne frustra illum ego emiserim, sed quæ postulo: impetrata referat.

Non auertas faciem à me: in quacunque die tribulor : inclina ad me aurem tuam.

NOli auertere à me aflicto benignũ aspectum tuum, noli abscondere à me placidum vultum tuum, vt nolis ad orationem meam attendere: magis autem in quacunque die tribulationẽ passus fuero, ac de tribulatione ad te clamauero, promptum te exhibeas ad orationem meam, & aures pias, auditumq; benignum accommodes meis precibus.

In quacunque die inuocauero te : velociter exaudi me.

QVacunque (inquam) die, quocunque tempore, quacunque hora contigerit me afflictum, & orantem ex cordis bono affectu te inuocare, quæso ne moreris respicere, ne differas exaudire; sed quanto citius orantem respicere, & subueniri postulantis desiderio. tam enim sum ex me metipso miser, ut longam moram non patiatur mea, quæ fere ad extremum usque gradum deuenit, miseria, vt sit uel in mora modica, non medicum mihi periculũ.

Quia defecerunt sicut fumus, dies mei : & ossa mea sicut cremium aruerunt.

ECce enim dies, anni, & tempora mea consumpta sunt : præterierunt, transierunt, & euanuerunt ad modum fumi, qui subito euanescit, atque resoluitur, nec vllam habet consistentiæ firmitatem : ita vt post quam euanuerit, nihil videatur illius supersse. ita plane transierunt cuncti dies vitæ meæ, & iam nihil illorum supersest. ossa mea continuo arefiunt exsiccantur, suoque robore ita destituuntur, vt omni exhauririãtur vigore, admodum cremij, quod in sartagine, per subiecti ignis actionem torretur vehementissime, vt eliquatur ex eo omnis pinguedo. ossa quidem corporis ita arescunt, ob nimiam afflictionem tristitiæ, quoniam spiritus tristis exiccat ossa, ossa quoque animæ meæ, idest, virtutes omnes, atque patientię, quæ in ea sunt, aruerunt, languerunt, & penitus defecerunt præ inopia, impotentia, atque inualida od omne bonum, & ad quęcũque aduersa sufferẽda, dum in tam longa afflictione absque ulla consolatione permaneo. dumque ille uehemens ignis praui sensualis affectus, velut depascit, consumit, & in bono languere facit omnem animæ virtutem.

Percussus sum, vt fœnum ; & aruit cor meum : quia oblitus sum comedere panem meum.

QVomodo gramen virens ab æstu solis percutitur, læditur, cogiturque arescere, virore perdito: ita ego percussum me sentio, siue ab æstu indignationis, & iræ tuę, quam sentio desuper, siue ab æstu malæ concupiscentiæ,

tię, quam ab intra crudeliter sæuiente experior: & aretactum est cor meum, spiritus meus omni uirore, atque uigore destituitur, vt nihil intra uideatur in me superesse uigoris, siue uirtutis, ad bene agendum: quę quidem debilitatio, & cordis arefactio, inde mihi etiã puenicbat. quod prę nimio dolore ne glexi sumere cibum, per quem ex tua institutione debet cõfirmari cor hominis. dum enim prę nimio dolore, & tristitia, immoderato ieiunio me exhaurio, propter cibi defectum, membris contabescẽtibus, perit corporis vigor, ab continuam actionem naturalis caloris, perpetuoque edit, siue absumit aliquid: vt si non continuo per cibum fiat reparatio, necessarium sit corporis, vigorem deficere: cibum vero spiritus dum obliuiscor comedere, panem verbi Dei, in quo spiritus, & vita melius, quàm in corporali pane viuit homo, dum neglexi comedere, deglutire, ruminare, atque intra spiritus intimum trajicere, merito infirmatus est, merito axinaniuit intra me spiritus meus, videlicet necessario destitutus, si quidem vt corporis vigor corporali pane sustentatur, atque foueatur: ita vigor spiritus pane indiget spiritali, neque sine eo potest anima in suo robore firma consistere.

A voce gemitus mei, adhæsit os meum carni meæ.

PRopter uocem gemitus mei, propter dolorem nimium, quem suspiriis, gemitibus, & fletibus testabor, ita exiccata sunt ossa mea, vt omni carne consumpta aheserint ossa cuti, quemadmodum illi, qui multo tempore cibum non sumpserunt, sola ossa habere uidentur, cute, & pelle obtenta.

Similis factus sum pellicano solitudinis: factus sum sicut nitticorax in domicilio.

ASsimilatus sum pellicano, solitudinarię aui, quæ sicut diligit solitudinem, & moratur in solitudine, siue in deserto; ita & ego propter *nimium animi mærorem*, quo pœnitens *angor, hominum* fugio consortia, publicum fugio, & loca secreta quærito, amica mœroribus. Factus sum quasi coruus nocturnus, quasi noctua, aut bubo habitans in secreto, & tenebroso aliquo angulo domicilij, qui lucem fugit, atque conspectum hominum fugiens, per noctem uaco fletibus, & lugubres edo gemitus.

Vigilaui, & factus sum, sicut passer solitarius in tecto.

ITa vigilaui in prolixam vsque ad noctem, seruans vigilias, ablato, præ nimio dolore, somno ab oculis meis, & assimilatus sum passeri solitario habitanti in tecto ædificij, qui aliorum fugiens consortium, continuo clamore, & eo quidem vnico, atque inuariato clamat fortiter, sed tamen, absq; omni modulationis dulcedine. ita enim ego elongaui fugiens, & mansi in solitudine, expectans eum, qui saluum me fecerat: ita ego sedens solitarius, & leuans me super me, vel conuertens me ad me, recogitaui omnes annos meos in amaritudine animæ meæ, fortique, atq; continuo clamore asperum pœnitentiæ cantum clamaui coram te, nihil aliud clamans, quam peccaui, iniuste egi, & iniquitatem feci. Deus propitius esto mihi peccatori: miserere mei Deus, miserere mei: parce domine, parce, dimitte, dimitte, respice, atq; his similia aspera cantica.

Tota Die exprobrabant mihi inimici mei: & qui laudabant me, aduersum me iurabant.

SVper hæc autem mala, quæ ego ab intus grauissima pertuli, accesserunt etiam ea, quæ extrinsecus ab aduersarijs meis suscepi. cum enim sic in afflictione,& luctu pœnitentiæ persisterem, aduersarij meritò me lugentem conspicientes iugiter probra,& conuicia iactabant in me,& uerbis,& factis, vt poterant, turpiter mihi illudentes, & qui prius, donec essẽ eis in peccato socius, me laudabant, mihi adulabantur,mihi applaudebant. hi post quam ab ipsorum coinquinatione, & vijs malis me subduxi, iam coniurauerunt aduersum me,vt omnibus modis, quibus possent,mihi illuderent, mihique proposito pœnitentiæ obsisterent: illi etiam,qui mihi blandiebantur, amicitiam uerbis simulabant,&conficti adulationibus exterius applaudere, ac amicitiam ostendere videbantur. aduersum me conturabant,in meum malum,definito consilio,conueniebant,vt sub specie amicitiæ incautum in mortem traherent.

Quia cinerem tanquam panem manducabam:& poculum meum cum fletu miscebam.

EGO autem in nimio dolore positus,panem,& cibum,quem ad uitæ sustẽtationem accepi, comedi quasi cinerem,ac si cinis fuisset absque omni delectatione & refectione: ita insipidus fuit mihi propter animi dolorem, omnis cibus corporis, nec erat mihi inter panem,& cinerem differentia,neq; delectationis multo amplius ex panis esu accepi delectationem, quam si pro pane sumpsissem cinerem, quia cinerẽ tanquam panem, manducabam, ac si panis fuisset. Comedi panem simul cũ cinere, qui adhæserat non curans quid ederem præ dolore,ut solent homines plurimum afflicti, non curiosè perspicere quid edant, aut quam sit mundũ, quod comedunt: sed neque potus ipse vllam mihi attulit delectationem, aut voluptatem:quoniam bibendo à lacrimis non abstinui, sed tam eas abundanter effudi,ut simul ipsæ cum potu, quĩ erat in poculo, commixtæ fuerint: in summa tantus fuit mœror animi, tanta spiritus angustia, ut ne illa quidem, quæ summam hominibus solent adferre voluntatem, vllam mihi potuerint adferre consolationem.

A facie iræ indignationis tuæ: quia eleuans allisisti me.

OMnem hanc afflictionem ego accepi à conspectu iræ indignationis tuæ, eo quòd indignationem tuã aduersum me ostenderis, quoniam tu vehementer me humiliasti,& afflixisti, quasi collisione valida me allidens ad terram: quemadmodum solent homines cum fortiter, quippiam voluerint collidere in terra, illud prius in altum eleuare: deinde toto conatu, & pleno impetu ad terram proijcere: ut tanto sit casus, & collisio grauior, quanto & magis in altum facta eius, quod proijcitur, eleuatio.

Dies mei, sicut vmbra, declinauerunt: & ego, sicut fœnum arui:

DIes mei abscesserunt, & transierunt ad modum vmbræ,quæ nullam habet soliditatem substantiæ: & continuo imminuti sunt,breuioresque facti, quanto longius in uiuendo pregredior: quemadmodum umbra con-

tinuo minor apparet, quanto magis ad ipsum corpus luminosum, vnde venit, vmbra accedit: & ego cõtinuo defectu, sic ad mortem tendens, admodum vmbræ exarui, virore consumpto, & exhausto uigore deficiens.

Tu autem domine in æternum permanes: & memoriale tuum in generatione, & generationem.

TV vero domine, nequaquam nostris similis, nullum defectum pateris, uigore, & fortitudine nõ imminueris, neque ad terminum durationis tuæ appropinquans, sed in perpetua æternitate stabilis, & immutabilis perseueras, idem ipse nunc existens, qui eras ante mundi principium, & ante omne tempus, atque idem permansurus, omnia post uentura secula, & tui memoria tecum permanet æterna, in omnes generationes post venturas celebris futura, ut fuit in prioribus generationibus. indeficienti enim fortitudine tua, & bonitate inexhausta ostendis in omnibus generationibus tam admiranda opera, ut nunquam possit tui memoria deficere de cordibus hominum.

Tu exurgens domine misereberis Syon: quia tempus miserendi eius.

TV domine, qui in prioribus generationibus visus es hominibus dormire, quasi de somno exurgens, respiciens tandem ad Syon, & populi tui misereberis, veniensque in tempore constituto, ut saluum facias populum tuum à peccatis eorum, & in libertatẽ restituas. veniet enim tempus gratiæ, & miserationis ab ęterno definitum, & præordinatum, quo decreuisti cum illo facere misericordiam, tempus illud gratiæ, & reconciliationis, tempus illud acceptabile, & dies salutis aduenit, neque in perpetuum durabit tempus iræ, sub quo fuerunt patres nostri in præteritis generationibus.

Quoniam placuerunt seruis tuis, lapides eius: & terræ eius miserebuntur.

QVoniam serui tui, quos mittes in tempore illo ad ædificandum sanctam tuam ecclesiam. complacebũt lapides eius, apostoli, atque apostolici viri fideles, artifices, & sapientes Architecti operis tui, diligent homines fidem suscipientes tanquam lapides viuos, & quemadmodum artifex complacentiam, & gratiam habet in lapidibus ad ædificium, quod intendit conuenientibus, ita illi, per quos tu Syon ędificare volueris, gratiam, & complacentiam magnam habebunt in fidelibus hominibus, qui per fidẽ apti erunt vt tanquam lapides viui coedificentur in habitaculum Dei, ut superædificentur summo angulari lapidi, & misericordia commouebuntur super terram, cinerem, & puluerem ipsius Syon: deest, etiam super infimos, & vilissimos peccatores existentium: ut puluis terræ, qui crediderint prædicationi eorum: facientque illos expuluere mortuos fieri lapides viuos: ex peccatoribus iustos, ex infidelibus fideles, ut apti fiant ad ædificium ecclesię domus Dei, & corporis Christi.

Et timebunt gentes nomen tuum domine: omnes reges terræ gloriam tuam.

ET in tempore illo, cum tibi ita placuerit, per abundantem misericordiam tuam ædificare ecclesiam, populi,

populi, tribus, & linguæ, ac nationes alienigenæ, quæ prius te ignorauerãt, agnoscent te, & reuerebuntur, atque adorabunt inclytum nomen tuum: & per vniuersum orbem plurimi reges terrarum agnoscentes magnificentiam gloriæ tuæ venerabuntur te, & colent, ut supremum dominum, agnoscentes te Regem esse Regum, & dominantium cunctorum dominum:

Quia ædificauit dominus Syon: & videbitur in gloria sua.

QVia dominus ipse in tempore placiti ædificabit sibi ecclesiam suã ex lapidibus viuis, ex multitudine populorum fidelium: & in ea ipse apparebit in gloria sua, & manifestabitur palam omnibus in filio suo, quem mittet in carnem, factum visibilem in gloria quoque signorum, & prodigiorum admirabilium, quæ illo tempore per ædificatores Syon glorioſæ operabitur agnoscere ipse, & manifestabitur mundo, ostendetque suam fidelibus præsentiam.

Respexit in orationem humilium: & non spreuit preces eorum.

IDcirco autem ædificabit Syon, & manifestabit gloriam suam in ea, quoniam misericordia commouebitur dominus, & ad miserendum inflectitur humilium miserorũ afflictorum, quia ad ipsum de tribulatione, & sua miseria pro sua salute iugiter exclamant: nequaquam abijciet, aut repellet orationes eorum, qui ad ipsum de tribulatione, & afflictione clamauerint in humilitate supplicantes. videns enim videbit afflictionem populi sui clamantis ad se de angustia, venietque, ut saluet, & liberet eum ab inimicorum tyrannide.

Scribantur hæc in generatione altera: & populus, qui creabitur, laudabit dominum.

SCribenda sunt hæc, & digna vtique, quæ scribantur in generationibus posterioribus, ut omnis generatio, quæ post ventura est, vsque ad consummationem seculi misericordiam istam maximam non ignoret, neque obliuiscatur in perpetuum, maxime etiam hæc signanda, & scribenda sunt pro generatione illa ventura, pro populo; qui nascetur, in plenitudine temporis, pro nouo illo populo, qui spirituali natiuitate ex aqua, & spiritu sancto generabitur domino in ecclesia noua.

Quia prospexit de excelso sancto suo: Dominus de cœlo in terram aspexit.

VIdelicet hæc scribantur, & signẽtur in generatione altera, quod in temporis plenitudine Deus pater omnipotens de altissimo tabernaculo, & sancto templo, ac trono suo, quod inhabitat glorioſus, benigno aspectu desuper respexit: quod dominus, inquã, ipse summus, de summo cœlorum, vbi residet in magnificentia gloriæ suæ, oculos misericordiæ, benignumque aspectum suum dignatus est inflectere ad hæc infima nostra, & ad eos, qui in terra ista habitant, mortales, & ignobiles.

Vt audiret gemitus compeditorum ut solueret filios interemptorum.

NEque vero aspexit in hæc infima nostra, vt veniret, & iudicaret, ac perderet mundum pro iniquitatibus, per suæ rigorẽ iustitiæ, sed ad miserendum potius miseris, & afflictis, qui hic super terram iacebant in captiuitate durissima, sub principe tenebrarum

vio-

violẽtissimo,& crudelissimo tyranno, vinculis peccatorum, & mortis irretiti: ut qui gemere potuissent, certe liberare se non potuerunt: ut horum gemitum exaudiret,& gementes de tam dura captiuitate sua misericordia faceret saluos: disruptis vinculis, & tyranno deuicto: atque, vt filios hominum, qui per illum impium ab initio homicida interfecti fuerant, & morte damnati, à mortis iugo absolueret, & morti destinatos, à morte faceret saluos.

Vt annuncient in Syon nomen domini, & laudem eius in Hierusalem.

VT ipsi à vinculis peccati, ac mortis,& diaboli seruitute liberati, in sancta ecclesia prædicarent, cũ gratiarum actione, & decantarent cum laude nomen domini, & annunciarent etiam, & prædicarent alijs, qui adhuc captiui detinerentur, oblatam salutis gratiam: vtque laudem eius annunciarent, & proclamarent in Hierusalem ciuitate sancta, & in ecclesia, quæ est uerę pacis locus,& habitatio: propter namque suam gloriam,& sui nominis laudem, ipse hanc fecit misericordiam cum genere humano.

In conueniendo populos in unum: & Reges ut seruiant domino.

VT annunciarent, in quam, laudẽ domini in Syon, tunc cum in vnũ conuenirent populi simul, & reges, ut seruirent domino: in tempore scilicet gratię, & die salutis, quando plurimi populi simul conuersi, & in unitatem fidei congregati, unam constituent, cõponentque ecclesiam simul, & Reges, ac Duces populorum ipsis, in unitate, & concordia vno cultu omnes uni famulentur domino.

Respondit ei in uia virtutis suæ: paucitatem dierum meorum nuncia mihi.

ET ipse populus fidelis, populus Syon, & Hierusalem respondit liberatori, ac saluatori domino in uia fortitudinis suæ, via fidei, ac mandatorum eius, fortiter perambulans, & percurrens alacriter; sic, inquam, respondit: & sic illi locutus est dicens: Nuncia mihi, indica mihi breuitatem temporis mei: fac me cognoscere, quam sit breuis, & modica *vitæ* meæ duratio: ut tanto diligentius, atque feruentius, dum tempus est, semper ad te festinẽ, neque cessem à cursu, donec ad te perueniam:

Ne reuoces me in dimidio dierum meorum generatione, & generationem anni tui.

NEc tamen me ex uita reuoces: ne me auferas à vita in dimidio tẽporis mei, ante quam constituta dies adueniat, sine implere me numerum dierum, quos constituisti mihi, ut non ante tempus in ira tua subito me succidas: sine me ad iustam peruenire ætatem: ideſt, ad debitam uirtutum perfectionem attingere, & in virum perfectum excrescere, fierique consumatũ in bono, ut digne valeam tibi occurrere: & non donec puer adhuc sum, donec adhuc in perfectione uiuo, ante tẽpus maturitatis, me succidas: sed facias pro tua uoluntate me in virtutibus consumatum plenos habere dies, antequam hinc me auferas, aut migrare iubeas: & merito quidem ego perfectionem durationis meæ postulo. tua enim duratio omnimodis integra, & perfecta est, absque omni defectu, in omnes generationes, & priores, & posteriores se se extendens, immo omnes

nes generationes in immensum excedens, ut initiũ nullum habens, ita nec finem.

Initio tu domine terram fundasti: & opera manuum tuarum sunt cæli.

ET tu quidem, domine, in principio temporis creasti terram, eamque in sua firmitate fundasti, & constituisti solidam: & amplissimi illi cœlorum orbes sunt opera manuum tuarum, opera potentiæ, sapientiæ, atque virtutis tuæ, quæ tu potenter solo verbo creasti de nihilo.

Ipsi peribunt, tu autem permanes: & omnes sicut vestimentum veterascent.

IPsi quidem à suo statu, in quo nũc sunt, recedunt, neque in ea semper dispoliatione, in qua sunt cernuntur, remanebunt: sed tu in æternum permanes, idem ipse omnino inuariatus, & prorsus immutabilis, ut pote, qui nec acquirere aliquid possis in te ipso, qd non habeas, aut eorum, quæ habueris, quicquam deperdere: & omnes illi veterascent: siue antiquabuntur ad modum vestimenti, quod cum per vetustatem ad extremum deuenerit, statum suæ durationis innouari petit.

Et sicut operiorium mutabis eos, & mutabuntur: tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient.

ET sicut mutari solet operimentum, aut indumentum assumendo nouum pro veteri, ita mutabis illos, & innouabis mutatione gloriosa: & ipsi immutabuntur, sic innouati cum liberabuntur à seruitute, & vanitate, cui nunc propter hominem sunt subiecti: & tu domine, prorsus idem ipse semper inuariatus, & immutabilis persistis: nullam omnino, uel acquirendo, vel deperdendo mutationem in te ipso admittens, nec est apud te vlla transmutatio; aut vicissitudinis obumbratio: & tua duratio, quæ est æternitas, nunquam finem accipiet. est enim æternitas duratio infinita, neque initiantem, neque finientem habens terminum.

Filij seruorum tuorum habitabunt: & semen eorum in seculum dirigetur.

ET licet tibi soli hæc æternitatis duratio conueniat, facias tamen ex bonitate tua etiam electos suos huius tuæ durationis secundum partem aliquam participes. nam filios seruorum tuorum, quos tibi per euangeliũ genuerint sancti Apostoli tui, & doctores, facias habitare, atque permanere coram te in sempiternum: & semen eorum, quod post se reliquerint, posteritas eorum, filij, quos spirituali generationi in te per euangelium genuerint, in sempiternum coram te dirigentur, ut non deficiant à conspectu tuo in perpetuum, & in hac militanti ecclesia nunquam à fidelibus aberis vsq; in consumationem seculi: & in uentura illa triumphante societate beatorum perpetuo inhabitabis in medio eorum, eruntque ipsi ante conspectũ tuum in secula seculorum. Amen.

SEXTVS PSALMVS.

De profundis clamaui ad te domine: Domine exaudi uocem meam.

CLamaui domine ad te de profundis tentationum, de profundis periculorum, quibus pene immersus fuit spiritus meus: de profundis etiam cordis mei, & intimis

præ-

præcordijs meis: de corde contriti, & ſpiritu humiliato: tu uero me clamantem ne deſpicias, ſed clamantis vocem exaudi.

Fiant aures tuæ intendentes: in uocem deprecationis meæ.

NE auertas ab oratione mea aures tuas, ſed benignus auditus tuus ad exauditionem ſit intētus uoci meę, quia oro ante conſpectum tuum.

Si iniquitates obſeruaueris domine: Domine quis ſuſtinebit?

NEque uero in memoriam reuoces peccata mea præterita, ut propterea clamantem deſpicias, atque etiam ſi adhuc maculæ quædam læuiorum peccatorum in me reſideant, non ob hoc ſtatim, quæſo, repellas orationem meam. nam ſi tu iniquitates hominum obſeruare velles, vel antiqua ſemel remiſſa quę frequenter faciunt homines in memoriam reuocando, ut propterea reconciliatis, minus eſſes ad exauditionem facilis, vel quotidiana delicta, & lapſus, quibus in die ſepties cadit iuſtus, & per quæ in multis offendimus omnes ſecundum ſæuerum rigorem, & rigidam diſtrictionem iuſtitiæ tuæ expendere, atque diiudicare. ſi, inquam, ita tu noſtras iniquitates diſtricte attenderes, atque obſeruares, quis eſſet inter mortales, qui ab infantia ad malum proni ſunt omni tempore, qui ferre poſſet tuam hanc diſtrictionem, tuam hanc iuſtitiæ ſæueritatem ſuſtinere, quis ſtare poſſet coram te, aut quis iuſtificari poſſet in conſpectu tuo, hic viuens ſuper terram: aut quis iam conſideret orationē ſuam apud te poſſe exaudiri? quando quidem pœnæ omnes, & præteritorum grauium peccatorum, & plurimorum quotidianorum ſibi ſunt conſcij.

Quia apud te propitiatio eſt: propter legem tuam ſuſtinui te domine.

ABſit vero, piiſſime Deus, ut ita obſerues iniquitates noſtras. quoniam tecum eſt propitiatio, & propriū eſt tibi miſereri, & ꝓpitiari, ac parcere propter quod miſericorditer magis agere debes nobiſcum, neque diſtricte ſic omnia exigere, vt diſſimules peccata hominum propter pœnitentiam: propter legem ſanctam tuam, quam obſeruandam præcepiſti nobis, ego pro mea prauitate cum adiutorio gratiæ tuæ pſeueraui in te. neque à te per tranſgreſsionem volui abſcedere, teq; in obedientia legis tuæ perſeuerando ſuſtinui, propter quod te mihi, quæſo, exhibeas benignum.

Suſtinuit anima mea in verbo eius ſperauit anima mea in domino.

ANima mea, & ſpiritus meus fiducialiter ſuſtinuit, atque expectauit longanimiter in verbis promiſsionum tuarum, quibus miſericordiam pollicitus es poſtulantibus: anima fiduciam, & ſpem ſecuram habuit in domino Deo ſuo, qui cum ſit fidelis in omnibus uerbis, & iuſtus in omnibus uijs ſuis, imo ipſa veritas, atque iuſtitia neque fallere, neque fruſtrare poteſt recte in te ſperantes.

A cuſtodia matutina vſque ad noctem, ſperet Iſrael in domino.

ET quidem fiducialiter ſine hæſitatione, atque omni metu ſpem conijciamus in dominum Deum, quicuncunque vere fideles, ex populo Dei eſſe volumus: idque iugiter, & per omne tempus à vigilia matutina vſq; ad profundam noctem, ideſt, ab ætate prima uſque ad ultimam, omnibus diebus vi-

tæ noſtræ, aut tam in aduerſis, quàm proſperis.

Quia apud dominum miſericordia: & copioſa apud eum redemptio.

SPerent fideles in domino omnes fideliter, quoniam eſt miſericordia cum eo, eſtque ipſius miſereri omniū, quæ fecit, neque obliuiſcetur aliquando miſereri, neque prorſus continebit in ira miſerationes ſuas: & copioſa, plena, multiplex, ac liberalis redemptio, atque ſaluatio eſt apud illum. redemptio, inquam, ſiue ſaluatio à morte, à peccatis, ab aduerſarijs, à tẽtationibus, à periculis, & à malis plurimis, quibus ſubditum eſt genus humanum uniuerſum.

Et ipſe redimet Iſrael: ex omnibus iniquitatibus eius.

EIpſe redimet ſeruos ſuos in ſe credentes, ab omnibus eorum iniquitatibus, ſaluumque faciet populum ſuum à peccatis eorum: à præteritis quidem, & præſentibus per remiſsionem, eos expurgando: à futuris uero, ac poſſibilibus, per pręſeruationem cuſtodiendo: nemo enim peccata potens eſt dimittere, niſi tu ſolus, Deus pijſsime; à quo & nos miſeri, qui in profundis iacemus malorum cocupiſcentiarum noſtrarum fidenter ſperamus, & profunda humilitate ſupplicamus, gratis liberari, propter gloriam nominis tui: quod ſit benedictum in ſecula. Amen.

SEPTIMVS PSALMVS.

Domine exaudi orationem meam, auribus percipe obſecrationem meam: in ueritate tua exaudi me in tua iuſtitia.

DOmine Deus orationem, quam fundo ante cõſpectum tuum, benignus exaudi, & aures tuas (vt humanum aliquid loquar) fac intendas deprecationi meæ, benignumque illum auditum præbe: ſecundum ueritatem promiſsionum tuarum, ſecundum æquitatem iuſtitiæ tuæ, exaudi me, tibi corde humili ſupplicantem. exigit enim hoc tua veritas, & iuſtitiæ æquitas, ut iuxta promiſſum pęnitentię peccatori miſericordiam non denegeſ: neque enim iuſtitiæ eſt, neque veritatis tuæ promiſſum denegare poſtulanti humiliter.

Et non intres in iudicium cum ſeruo tuo: quia non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis viuens.

NEque vero me Deus pijſsime, adducere velis in diſtrictum tuũ iudicium, ut ſecundum diſtrictionem ſæuerę iuſtitiæ tuæ mihi rettribuas, ſed ad tronum miſericordiæ tuæ confugio, & miſericorditer mecum agi cupio. nam ſecundum diſtrictionem, & ſæueritatem iuſtitiæ tuæ, ſuppoſita miſericordia, uix quiſquam viuentium ſuper terram iuſtus per omnia ante conſpectum tuum comperietur, qui nonnullæ vnquam macula peccati, uel fuerit, vel ſit coinquinatus, neque quiſquam ſoli iuſtitiæ, non præſuppoſita miſericordia, innitens, ſe poterit iuſtum cõ probare ante diſtrictum eiuſmodi iudicium tuum: quanto minus ego pec-

cator miserabilis, qui multorum malorum mihi sum conscius, tui audebo iudicij districtionem prouocare, uel expectare.

Quia persecutus est inimicus animam meam: Humiliauit in terra vitam meam.

ECCE enim persecuti sunt me ad mortem aduersarij, & perdere quęsierunt animam meam, eam in mortem præcipitare quærentes: & reuera vitam animæ meæ valde afflixerunt, depresserunt, & contriuerunt vsque in terram, & interitum pęnę, & infernum.

Collocauit me in obscuris sicut mortuos seculi: & anxiatus est super me spiritus meus: in me turbatum est cor meum.

CONstituerunt me, & habitare fecerunt in obscuritatibus, & horroribus internis, tentationum multitudine, & grauitate, conscientiam velut obtenebrantes, & spiritus lumen obnubilantes ad eum modum, quo peccatores huiusmodi, qui in perpetuis degunt obscuritatibus: uel sicut eos, qui in hoc mundo morti additi sunt, quos tenebrosi seruant carceres: spiritus autem meus intra me factus est timore anxius, sibi metuens, ne forte obscuritatibus eiusmodi inuolutus, pereat in mortem, & huiusmodi metu turbata sit intra me anima mea.

Memor fui dierum antiquorum meditatus sum: in omnibus operibus tuis, & in factis manuum tuarum meditabar.

CVm vero ita me conturbarent cogitationes meæ, non desperabam tamen, sed in memoriam reduxi secula præterita, quæ ab initio mundi fluxerunt, & considerauí diligenter ad omnia opera tua, quæ fecisti in temporibus, & generationibus præteritis, quomodo semper humilibus, & pœnitentibus propitius miserator, impijs seuerus ultor extiteris, & in ijs, quæ fecerunt manus tuæ, quæ tu fecisti in omni potentia tua, diligentem apposui considerationem.

Expandi manus meas ad te: anima mea, sicut terra sine aqua tibi.

EX his uero, spe misericordię, tuę & liberationis mea concepta, expandere cœpi fiducialiter brachia ad te Deum meum, qui me possis à morte, & ab omni malo facere saluum. Anima mea tibi est, ad te sitit, te desiderat, & modo quodam præariditatę tibi est aperta aquis gratiæ, & consolationis tuæ, per cupiens humectari, atq; refocilari: quomodo terra arida, & sicca, non habens aquę humorem prę sicci, & ariditate fixa, aperitur. sitit itaque, & anhelat ad pluuiæ irrigationem, ut potetur, & humectetur ab ea.

Velociter exaudi me domine: defecit spiritus meus.

FEstina domine ad seruum tuum, ne tardes amplius: Sed exaudi me, quam tocius, & uelociter præsta auxilium: iã enim in proximo est, vt deficiat spiritus mæus, longa, & graui nimium inimicorum prauitate confractus, nisi præsentissimum adsit tuum mihi auxilium,

lium,nec video quemadmodum ex me ipso,ultra valeam tantæ malitię resistere, cum penè nihil remanserit in me virium.

Non auertas faciem tuam à me: & similis ero descendentibus in lacum.

NEquaquam vltra differas ad me conuertere benignum auditum tuum & aspectum, neque exaudire distuleris orationem meam: alioquin etiam, si uel modicum adhuc auerteris aspectum tuum, iam similis ero ijs, qui in lacum mortis,& inferni demersi sunt, & unus ero de numero illorum, eritque cum illis portio, & mansio mea.

Auditam fac mihi mane misericordiam tuam:quia in te speraui.

MAne diluculo, in serenitate, & trãquillitate interiori,per tuum aduentum in animam meã immissa,te post noctem tribulationis exoriente aduisitationem, & consolationem in spiritu meo, atque etiam matutino tempore,cum ad te attentius orauero, tunc,quæso, fac me audire uocem miserationis,fac vt à me audiatur uox tuę consolationis, fac ut sentiam intra me dulcorem aduenientis misericordiæ tuæ:ecce enim spem meam omnem, & fiduciam plenam in te reposui.

Notam fac mihi viam, in qua ambulem: quia ad te leuaui animam meam.

DEmonstra mihi viam bonam, per quam ambulare debeam coram te, vt placeam tibi, & instrue me, ac dirige per viam præceptorum tuorum: quoniam ad te Deus leuaui paupercu lam,& cæcutientem animam meam,vt à te lumen accipiat, & eruditionem, atque ducatum bonum.

Eripe me de inimicis meis domine, ad te confugi: doce me facere voluntatem tuam.

LIbera me domine ab aduersariis, & persequutoribus meis; qui malum quærunt animæ meæ, vt præualeant mihi, tu es ò domine tutissimum meum refugium, ad quem in omnibus obuenientibus mihi periculis fiducialiter confugio,tanquam ad patrem, dominum, & patronum meum, & à quo securitatem semper expecto. proinde tu me doce interno tuo magisterio, & spiritus tui illuminatione salutari obseruare præcepta tua, & in omnibus tuæ sanctissimæ voluntati fieri obedien tẽ:tu enim es dominus meus, & Deus meus, cui me parere in omnibus est æquissimum: quippe solus me potes de omnibus, quæ veritatis sunt, edocere.

Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam: propter nomen tuum domine viuificabis me in æquitate tua.

SAnctus tuus spiritus, qui est ipsa essentialis bonitas in omnibus per communicationem procedit, ac deriuat;ipse mihi dux erit, ubi postulo, & confido, præstabitque ducatum lumine gratiæ tuæ, & directione sua sancta per viam rectam, & bonam, per viam

præceptorum tuorum, & propter gloriam magni nominis tui, & propter temet ipsum, non propter mea, Deus, merita: viuifico spiritu tuo vitam dabis animæ meæ, & in ea vita in finem vsque seruabis, propter iustitiam, & fidelitatem tuam.

Educes de tribulatione animam meam: & in misericordia disperdes omnes inimicos meos.

LIberam, & saluam facies animam meam de omnibus tribulationibus, & angustijs suis, quibus præmittitur ab aduersantibus, & propter misericordiam tuam, cum tibi placuerit oculis tuæ misericordiæ meæ afflictionem respice, disperdes, dissipabis, & fugabis, omnes, qui mihi quærebant mala.

Et perdes omnes, qui tribulant animam meam: quoniam seruus tuus ego sum.

ET in perditionem, atque damnationem mittas per sæueram vltionem iustitiæ tuæ omnes, qui tribulant, & affligunt spiritum meum; quoniam seruus tuus ego sum: bona voluntate tibi desiderans seruire: & tu vicissim meus es dominus: qui me seruum tuum, & nunc in hoc tempore cõsolationibus destitui non patieris, & in venturo seculo vna cum omnibus sanctis tuis plena satietate lætificabis in secula seculorum. Amen.

Oratio D. Augustini dum Hypponenses Belli calamitatibus premerentur.

ANTE *oculos tuos Domine culpas nostras ferimus:*
Et plagas, quas accepimus, conferimus.
Si pensamus malum, quod fecimus,
Minus est, quod patimur, maius est, quod meremur,
Grauius est, quod commisimus, leuius est, quod toleramus,
Peccati pœnam sentimus, & peccandi pertinaciam non vitamus.
In flagellis tuis infirmitas nostra teritur, & iniquitas non mutatur.
Mens ægra torquetur, & ceruix non flectitur.
Vita in dolore suspirat, & in opere non se emendat.
Si expectas, non corripimur: si vindicas, non duramus.
Confitemur in correctione, quod egimus.
Obliuiscimur post visitationem, quod fleuimus.
Si extenderis manum, facienda promittimus.
Si suspenderis gladium, promissa non soluimus.
Si ferias, clamamus, vt parcas;
Si peperceris, iterum prouocamus, vt ferias.
Habes Domine confitentes reos.

Nouimus, quòd, niſi dimittas, rectè nos perimas.
Præſta Pater omnipotens, ſine merito quod roganus.
Qui feciſti ex nihilo, qui te rogarent
Per Chriſtum dominum noſtrum. Amen.

INTERPRETATIO HEBRAICI ALPHABETI.

QVia interpretationes literarum Hebraici Alphabeti maxima ex parte continent ſententiam verſuum, quibus ante ponuntur, circa quod notandum eſt, quòd Aleph interpretatur doctrina, Beth, domus: Gimel plenitudo: Daleth, tabularum, ſeu ſcripturarum, & hæc ſi quidem eſt prima connexio literarum ipſarum, ubi dicitur, quòd doctrina eccleſiæ, quæ eſt domus Dei, eſt in plenitudine ſcripturarum. He, iſta: Vau, & Zay, hęc: Beth, vita. Hęc eſt ſecunda connexio, vbi dicitur, quod iſta, & hæc doctrina eſt vita, quam uiuimus. Thet, bonum: Ioth, principium: Hæc eſt tertia connexio, ubi dicitur: quòd bonum eſt principium per ſcripturas, quaſi per ſpeculum ſaltem in ænigmate agnoſcere debent. Caph, manus: Lamech, Cor, vel diſciplina. Hæc eſt quarta connexio, ubi dicitur, quòd in vtero cordis diſciplina exigitur quia nihil facere poſſumus niſi, quæ facienda erunt, agnouerimus. Men, ex ipſis: Num, ſempiternum. Samech, adiutorium. Hæc eſt quinta connexio, ubi dicitur, quòd ex ipſis ſcripturis eſt nobis ſempiternum auxilium. Zain, Oculus: Phe, errauit: Sadech, iuſtitia, uel conſolatio. Hæc eſt ſexta connexio, ubi dicitur, quòd ſæpe dicta ſcriptura eſt oculus errantibus, & conſolatio. Caph, aſpice ſuper. Res, Caput: Syn, ſuper vulnus. Thau, ſignum, uel conſumatio. Hæc eſt ſeptima connexio, ubi etiam in numero ſit myſticus intellectus, ubi dicitur. Aſpice in ſcriptura contineri caput noſtrum, à quo habemus medelam, ſuper vulnera, & ſequimur conſumationem, ideſt, uitam æternam.

Si aliquid boni in hoc Theſauro per miſericordiam Dei valet exiſtimari, benedicam dominum, & laus eius in ore meo. Regi ſeculorum immortali, & inuiſibili ſoli Deo omnis honor, & gloria. cuius ſermonum annotatio illuminat, & intellectum dat paruulis, ut ſcribit Pſalmigraphus. Pſal. 118.

FINIS.

Series Chartarum

PRIMA PARS.

A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V X Y Z.
Aa Bb Cc Dd Ee Ff Gg Hh Ii Kk Ll Mm Nn Oo Pp
Qq Rr Ss Tt Vv Xx Yy Zz. AAa.

SECVNDA PARS.

A B C D E F G H I K L M.

TERTIA PARS.

A B C D E F G H I K L M N O P Q R S.

QVARTA PARS.

A B C D E F.

VENETIIS,

Apud Franciſcum Zilettum, M D LXXX.

Digitized by Google